SANCTI

PETRI DAMIANI

S. R. E.

CARDINALIS,

EPISCOPI OSTIENSIS,

ORDINIS SANCTI

BENEDICTI.

S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI OSTIENSIS,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI,
& Doctoris sanctissimi, ac disertissimi, Operum

TOMVS QVARTVS.

CONTINENS PIAS QVASDAM ORATIONES, AC DIVERSI GENERIS METRA,

multis ex Bibliothecis collecta, Notisque illustrata;

OPERA, AC STVDIO

DOMNI CONSTANTINI CAIETANI, SYRACVSANI,
Abbatis sancti Baronti, ex Congreg. Casinensi, & Abbatis Præsidentis,
ac Fundatoris Romani, Apostolicique Collegij Gregoriani,
DOMVS S. BENEDICTI.

ACCESSERE COLLECTANEA

In Vetus Testamentum ex Opusculis eiusdem S. Petri Damiani, ab Anonymo illius Discipulo excerpta:

NECNON REGVLA

Venerabilis Viri Dei PETRI DE HONESTIS, Clerici Rauennatis.

Ex perantiquis MSS. Codicibus nunc primùm etiam edita; eiusdem domni Constantini Abbatis Caietani diligentia.



PARISIIS,

M. DC. LXIII.



PAVLVS PAPA V.

DILECTO FILIO CONſtantino Caietano, Syracuſano, Monacho S. Nicolai de Arena Catanen. Congreg. Caſinen. Ordinis S. Benedicti.

DILECTE Fili, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum tu, ſicut accepimus, Opera B. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis editurus ſis, quæ non ſine Eccleſiaſticarum Litterarum detrimento in tenebris variè diſiecta iacebant, tuaque laudabili opera, labore, & diligentia vnà cum alijs compluribus Eccleſiaſticorum Scriptorum Monumentis ex multis Bibliothecis conquiſita & collecta fuerunt, & idcirco fel. record. Clemens VIII. Prædeceſſor noſter ſtudio benè merendi de Republica Chriſtiana, & Apoſtolica Sede, cuius nobilis pars egregius hic Doctor extiterat, Romam te vocauerat; nunc verò aſpirante Diuina gratia, primus Tomus abſolutus ſit, ac tres reliquos te editurum propediem ſperes; Nos, qui doctas piorum & eruditorum hominum lucubrationes complecti Paſtorali charitate tenemur, & ſtudia huiuſmodi promoueri in Domino exoptamus, vt tam primus horum Operum Tomus iam typis excuſus, quam cæteri cum excudentur, ſinceri, & emendati prodeant, neque cuiuſquam incuria, aut fraude adulterari vel labefactari poſſint, MOTV PROPRIO ET EX CERTA NOSTRA SCIENTIA, *Omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus, præſertim Librorum Impreſſoribus, ac Bibliopolis quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & in vniuerſa ditione & locis S. R. E. mediatè vel immediatè ſubiectis; ſub quingentorum aureorum, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, nec non amiſſionis Librorum, atque typorum, quàm etiam in tota Italia, & extra eàm vbiuis Gentium, & Locorum conſtitutis, ſub Excommunicationis Maioris latæ Sententiæ pœnis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium interdicimus & inhibemus: Ne per Quindecim Annos à data præſentium computandos, primum Tomum Operum B. Petri Damiani à te editum, & alios ſingulos à te edendos, dummodo omnes à Magiſtro Sacri Palatij approbati ſint, per totidem Annorum ſpatium ab vniuſcuiuſque eorum editione numerandum, abſque tua licentia imprimere, alioue titulo, vel forma, quouis prætextu mutatos, vel alio quocumque Idiomate verſos edere, vel ſic editos vendere, ſeu venales habere audeant, vel præſumant. Mandantes vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Locorum Ordinarijs, Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, & alijs Officialibus: vt quando, & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requiſiti, præmiſſa contra inobedientes exequantur, & obſeruari faciant, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Statutis, & Conſuetudinibus, Iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; Priuilegijs quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, quibuſuis perſonis quomodolibet conceſſis, & confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac ſi ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, pro hac vice duntaxat derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium Litterarum exemplis, etiam in ipſis Voluminibus impreſſis, eadem vbique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die xvij. Auguſti M. DC. VI. Pontificatus noſtri Anno Secundo.*

Scipio Cobellutius.

IN VITÆ LAVDEM, AC BEATITATEM Sancti Petri Damiani, Cardinalis Episcopi Ostiensis.

B. Alexander II. Pont. Max. in Epistola ad Galliarum Præsules.

Hab. Edit. Paris. 1612. cum Epistolis Gerberti.



LEXANDER seruus seruorum Dei, G. Rhemensi, R. Senonensi, B. Turonensi, M. Bituricensi, T. Burdegalensi, Archiepiscopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Non ignorat sancta vestra Fraternitas, dilectissimi, quòd ex Auctoritate Sedis Apostolicæ, cui Nos indignos Clementia Diuina præfecit, totius vniuersalis Ecclesiæ regendus, ac disponendus Nobis Status incumbit. Quoniam igitur pluribus Ecclesiarum negotiis occupati, ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis Virum destinare curauimus; QVO NIMIRVM, POST NOS, MAIOR IN ROMANA ECCLESIA AVCTORITAS NON HABETVR: PETRVM VIDELICET DAMIANVM, OSTIENSEM EPISCOPVM: QVI NIMIRVM ET NOSTER EST OCVLVS, ET APOSTOLICÆ SEDIS IMMOBILE FIRMAMENTVM. Huic itaque Vicem nostram pleno iure commisimus: vt quicquid in illis partibus, Deo auxiliante, statuerit, ita ratum teneatur, & firmum, ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum. Quapropter venerabilem Sanctitatem vestram fraterna charitate monemus, & insuper Apostolica vobis Auctoritate præcipimus; Vt talem, tantumque Virum tanquam nostram Personam digna studeatis deuotione suscipere: eiusque sententiis, atque iudiciis, propter B. Petri Apostolorum Principis reuerentiam, humiliter obedire. Quisquis enim fastu superbiæ, quod absit, inflatus, illius iudicio contradictor, vel aduersator extiterit, vsque ad dignam satisfactionem, nostram, vel Romanæ Ecclesiæ gratiam non habebit. Quia verò cum ad vos Gitelmum misimus, adhuc aduentum præfati Domini Petri Nos impetrare posse, nullatenus sperauerimus; volumus, vt si quid apud vos Giselmus cœpit, ad Domini Petri magisterium veniat: & per eius manum quicquid agendum est, fiat.

Hab inter Vet monumenta à Sebast. Tengnagel. edita Ingolstad. ann. 1612.

Bernardus, siue potius Bertoldus, Presbyter Constantiensis, in Libro de Vitanda Excommunicatorum Communione.



ETRVS Damiani, piæ Memoriæ, Cardinalis Episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *ALTER HIERONYMVS, in nostro tempore.* Hæc Bernardus: qui idem affert Testimonium Cap. 10. sui alterius Libri Decretorum, apud nos M. S. Eminentissimus quoque Cardinalis Baronius eadem veterum Scriptorum auctoritate ductus, egregium eumdem nostrum Doctorem, compellare solebat Hieronymum Iuniorem.



De Festo die S. Petri Damiani, Cardinalis Episcopi Ostiensis.

Domni Constantini Abbatis Caietani Præmonitio.

FEstus dies Sancti Petri Damiani ab immemorabili tempore, solemni ritu quotannis celebratur tum Ravennæ, tum per omnes alias Flaminiæ Regionis Ciuitates, & loca, quorum Ecclesiæ eidem Rauennati subsunt Metropolitano. Vnde quotanis etiam ab earundem Ciuitatum Præsulibus in Ordine Diuini Officij Typis impresso, inter Sanctos alios, Cælestium Spirituum Albo adscriptos, Doctor idem egregius recensetur. Et quidem ibi sic habetur: *Kalendarium Sanctæ Metropolitanæ Archiepiscopalis Ecclesiæ Ravennæ, eiusque Diœcesis, Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini, D. Aloysij S. R. E. Cardinalis Capponij, eiusdem Sanctæ Rauennatis Ecclesiæ Archiepiscopi iussu editum.* Atque in eodem Kalendario sub vigesimatertia die Mensis Februarij ita decernitur: *Petri Damiani Episcopi, & Confessoris Rauennatis, Duplex, fuit heri. In Primo Nocturno, Laudemus. In Secundo Nocturno, Beati Patris. Vt in Communi Confessorum Pontificum. In Tertio Nocturno. Vigilate Vt in eodem Communi, Nona Lectio, & Commemoratio Feriæ. Oratio pro Sancto: Exaudi: Vesperæ de præcedenti, Commemoratio sequentis.* His accedit Kalendarium Fauentinæ Ecclesiæ, sub hisce verbis: *Ordo Diuini Officij recitandi, Missæque celebrandi iuxta Ritum Breuiarij, & Missalis Romani, in Ecclesia, & Diœcesi Fauentina, Eminentissimi Domini D. Francisci, S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Tituli Sancti Marcelli, eiusdem Ciuitatis Episcopi iussu editus.* Atque in eodem, sub eodem, quo supra, die vigesimatertia mensis Februarij, hoc etiam modo decernitur: *Petri Damiani Episcopi, & Confessoris, ac Fauentiæ Protectoris, Duplex Maius Lectiones Primi Nocturni: Fidelis Sermo. Secundi: Beati Patris. Tertij: Vigilate, cum cæteris de Communi Confessorum Pontificum. Nona Lectio, Homilia, & Commemoratio Feriæ. In Officio nihil fit de Vigilia Sancti Matthiæ. Color Albus. Missa: Sacerdotes. Secunda Oratio Feriæ, cuius Euangelium legitur in fine. Tertia, de Vigilia Sancti Matthiæ. Præfatio Quadragesimal. In Secundis Vesperis Commemoratio Feriæ. Fit Processio in Ciuitate ex Voto.* Hæc ex Rauennate, & Fauentina Ecclesiis, vt & in cæteris eiusdem Prouinciæ Ecclesiarum Kalendariis, quæ nos breuitatis causa nunc prætcrimus, de Diuinis Honoribus, tam in Officio Ecclesiastico, quàm Sacrosancto Missæ Sacrificio, Petro Damiani vltra exhibitis, & à tempore, cuius memoria non extat. Quod sine auctoritate Romani Pontificis id factum fuisse, nullo pacto dubitari potest. Qua de re eundem Petrum Damiani ab eodem Romano Pontifice Sanctorum numero adscriptum extitisse, tum ex his, quæ modò diximus, tum ex aliis, quæ Tomo Tertio egregij eiusdem Doctoris Operum prælibauimus: tum denique ex multis aliis Argumentis, quæ in eandem rem adducere possumus, iure optimo, vt concludamus, operæ pretium est.

De laudabili S. Petri Damiani Operum defatigatione à Domno Constantino Abbate Caietano præstita, gratia duo Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Litteris, ac Vitæ sanctitate insignium Testimonia.

Cæsar Baronius Presbyter Cardinalis Tit. SS. Martyrum Nerei, & Achillei, Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, Tomo XI. Annal. Ecclesiast. ad A. C. 1072.

SIc Deus in hoc deploratissimo sæculo, cùm excreuisset ad Ecclesiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo tantum Virum, qui austerissimæ Vitæ exemplo, Verbique prædicatione, & Scriptis, exsiccaret tantam putredinem: pariterque pugnaret aduersus Simoniacam Hæresim, quæ vbique locorum grassabatur impune. Quod autem pertinet ad Scripta, hic ea cuncta recensere non immoramur, cum modò (16 4.) apud Nos, mandato Beatissimi Domini nostri, Clementis Papæ Octaui, laboret Domnus Constantinus Caietanus, Siculus, Monachus Casinensis Congregationis · vt Viri sanctissimi Scriptorum Monimenta vndique collecta, prælo subiiciat; quod propediem spero fore. In his enim peruestigandis, & exemplaribus pluribus hinc inde perlatis, magno studio corrigendis, studio indefesso laborat: à quo & eiusdem Petri Vitam accipies vberiùs scriptam.

Robertus Bellarminus Presbyter Cardinalis Tit. S. Mariæ in Via, in Libro de Scriptoribus Ecclesiast. sub A. C. 1660.

PEtrus Damiani (sic à † Parentis sui, Damiani nomine vocatus) nobilis Rauennas, monachus fuit Ordinis S. Benedicti, ac deinde S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis Vixit temporibus Gregorij VI. & Successorum eius vsque ad Gregorium VII. ad quos omnes Epistolas dedit. Vir fuit valde sanctus, & deuotus, & præcipuè pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus. *Pauloque post*: Obiit in Apostolica Legatione Anno Domini 1672. Scripsit Epistolas plurimas, & Sermones permultos: quæ duo Opera typis nuper (anno 1606. & 1608.) mandauit Romæ Domnus Constantinus Caietanus, Ordinis S. Benedicti Monachus.

† *Fratris.*

Eminentissimis, ac Reuerendissimis Dominis, SANCTISSIMI D.N. VRBANI VIII. Fratris Filijs, S. R. E. Cardinalibus.

D. Francisco Sedis Apostolicæ Vice-Cancellario, ac Romani Apostolicique Collegij Gregoriani Protectori: necnon

D. Antonio S. R. E. Camerario, & Vtriusque Signaturæ, ac Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, Præfecto,

BARBERINIS PRINCIPIBVS,

Domnus Constantinus Abbas Caietanus, Salutem, & Felicitatem.

SAncti Petri Damiani Cardinalis, Episcopi Ostiensis, Quartum Librorum Volumen, quod in lucem editur, Vobis sese exhibet, Cardinales Eminentissimi: vt per vos SANCTISSIMO D. VRBANO VIII. Patruo vestro offeratur. Neque enim supremæ inter homines potestatis fastigium, & magnitudinem satis intelligit, qui ante Illum sine Duce audet importunus irrumpere. Licet enim Liber ipse Auctoris sui nomine, Viri nempe doctrina, & sanctitate clarissimi, ac rerum, quæ in eo continentur, pondere, & vtilitate, satis per se gratiosus futurus sit apud Eum, qui Fautor est Litterarum, & Sanctitatis Assertor; aliquid tamen commendationis, & gratiæ ex vtriusque splendore nominis, atque auctoritatis amplitudine, sperat sibi accessurum: ita vt, Vobis præeuntibus, alacrior magisque ante MAXIMI PONTIFICIS conspectum appareat. Deus Optimus Maximus Vos ad Ecclesiæ suæ vtilitatem diutissimè seruet incolumes.





S. D. N.

VRBANO VIII PONTIFICI MAXIMO

Constantinus Abbas Caietanus, Sempiternam Felicitatem.



VARTVS, iam, & vltimus, BEATISSIME PATER, S. Petri Damiani, Cardinalis, Episcopi Ostiensis, Tomus publici iuris efficitur: sed tamen consuetam tantæ Maiestati præstat reuerentiam: neque ante in populi conspectum prodire sustinuit quàm VRBANVM IN PETRI CATHEDRA sedentem, supplex veneraretur. Quod certè factum nemo, vt arbitror, non magnopere laudabit. Vbi enim nobilium ingeniorum partus lucis incunabula feliciùs, quàm in Sedis Apostolicæ penetralibus sortiantur? In illis nimirum penetralibus, vnde Gentes à criminibus expiatura vox mittitur: Vbi cælestis Oraculi Arcana patefiunt: Vbi perennis Thesauri Dona dispensantur Vbi denique mortis Antidotus, & vitæ Pharmacum propinatur. Quod Nomen charris (vt ita dicam) victuris illustriùs præponatur, quàm quod resonat in ore Populorum, publica decorat Monimenta, priuata honestat Ornamenta, & inter Sacrosancta Mysteria Sacerdorum voce depromitur. Quis non speret sibi tam Augusti Syderis luce præeunte, tempestates omnes, atque omnia monstra nauigantibus infesta facilè cessura quousque ad illum beatæ Vitæ Portum, quem piè viuentibus Conditoris nostri immensa Bonitas, & omnipotens Sapientia præparauit, victrix laborum Pietas, & triumphatrix periculorum animi Fortitudo perducat? Sed hæc in aliorum Libris iustiùs essent præfanda, qui in Sedis Apostolicæ clientelam noui, recentesque venerunt. Petri enim Damiani, egregij Doctoris Benedictini, erga Romanam Ecclesiam fides eximia, ac pietas pene singularis, mea commendatione non indiget: Siquidem tam ex eius Scriptis (quorum maxima iam parte, Summis duobus Pontificibus, Clemēte VIII, & Paulo V. mandantibus, homines per nos fruuntur) quàm ex Vitæ, ac rerum gestarum præclaris facinoribus, nota satis, ac testata posteris remanserunt: adeo vt ab Illustribus eius temporibus ALTER HIERONYMVS, meritò dictus fuerit. Nimirum Vir Sanctissimus non denegauit à Maioribus suis (de Ordinis Benedictini Patribus loquor) quorum studia, labores, vigiliæ & excellens in omni laudum genere virtus, quantos omni tempore fructus Christianæ Reipublicæ attulerit. Aliquantisper fortasse

Bernoldus Presb Constantin. libro de vitanda Excommunicatorum Communione.

hoc loco commemorarem, nisi publicis essent consignata Monimentis, ita vt eorum memoria in benedictione futura sit penes omnem posteritatem. Pulcherrimorum namque Operum, quæ magnus Patriarcha Benedictus, eiusque Alumni pro Christi gloria, & communi hominum vtilitate perfecerunt, non solùm exemplis, sed etiam vestigijs, plena est omnis Ecclesia Sanctorum. Quo magis æquum esse, & rationi consentaneum puto, me, qui eandem Religionem profiteor, totis viribus eniti, vt non dissimilem exhibeam erga Romanam Ecclesiam cæterarum Ecclesiarum Principem, ac Parentem, obsequij, ac pietatis ardorem. Cum enim omnibus à Maiorum suorum virtute degenerare turpe sit, tum illis potissimùm id omni ignominia deformius esse debet, qui in Sanctæ Religionis studioso gloriosissimi certaminis cursum conficere statuerunt: quibus illa proposita est expeditissima ratio vincendi, retro oculos nunquam flectere, nec in medio deficientium lassitudinem imitari, sed strenuè præeuntium fortiter hærere vestigiis. Quamuis mihi etiam domestica exempla Maiorum, à quibus in sæculo originem duco, possint addere faces (vt ita dicam) & stimulos ad benè currendum. Sed enim quid attinet vetera, & quæ mihi cum alijs communia sunt, enarrare; cum singularis affectus & obseruantiæ in Romanum Pontificem proprias, ac peculiares causas habeam? Tua enim beneficentia (BEATISSIME PATER) quod in me contulit, vt post Maximos illos, Optimosque Pontifices, Antecessores Tuos, Clemétem VIII. Leonem XI. Paulum V. & Gregorium XV. quibus à Sacris Litterarum Monimentis inseruiui, Tibi inseruirem, iure suo postulat, exigitque: vt totum me pro Tua amplitudine, honore, ac dignitate deuoueam, atque ad huius Sacrosanctæ Sedis decus, existimationemque omnia mea studia, curas, cogitationes conuertam. Illud dumtaxat adddere non verebor: Quemadmodum potuit ante hac SANCTITAS TVA, antiquæ cum Ordinis mei, tum Maiorum meorum erga Sedem Apostolicam deuotionis, & obseruantiæ specimen in me vno haud obscurè recognoscere: ita si Vita mihi suppetet, afflabitque, vt facit, incredibilis tuæ istius benignitatis Aura, magis magisque posthac recognituram.

Interim vltimum hunc Illius Clarissimi olim, & Sanctissimi Cardinalis Episcopi, & Petri Damiani Tomum, qui iam, Deo auspice, à me cum Tribus aliis, à tenebris, atque obliuione vindicatus est, ac Tuo munere publica luce fruitur, hilari fronte accipe: & qua soles humanitate, complectere. DEVS OMNIPOTENS, saluam diu, florentemque Christianæ Reipublicæ SANCTITATEM TVAM conseruet; eiusdemque vota cœptaque omnia fœcundet.

EX NOVA LEONIS ALLATII
APIVM VRBANARVM RECENSIONE.



1. ONSTANTINVS CAIETANVS, Syracusanus, Abbas Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, & Abbas Præsidens, ac fundator Collegij Gregoriani in Vrbe, plurima tum sua, tum aliorum tineis obsita concinnauit, partim edita, scilicet:

2. *Operum B. Petri Damiani*, Tomus IV. *Obseruationibus, ac Notis* illustrauit. I. continet Epistolarum Libros VIII. Romæ, 16 6. II. Sermones de Sanctis, & Sanctorum Historias. Ibidem, 1608. III. Opuscula Theologica, & Moralia. Ibidem. 1615. IIII. pias quasdam Orationes, ac diuersi generis Metra. Addidit, *Collectanea in vetus Testamentum ex Opusculis eiusdem Damiani ab Anonymo illius Discipulo excerpta, & Petri de Honestis Clerici Rauennatis Regulam Clericorum ante Quingentos Annos scriptam.* Ibidem, 1640. in fol Paulo V. & Vrbano VIII.

3. *B. Amalarij Fortunati, Ordinis S. Benedicti Cardinalis, & Archiepiscopi Treuerensis Vitam*, Scipioni Burghesio, Romæ Typis Iacobi Mascardi, 1612. in 4.

4. *Libros IV. de Imitatione Christi*, multis in locis ex Veteribus Codicibus restitutos, auctos, & emendatos: quibus addidit *Concertationem*, qua verus Auctor eorundem Librorum Ioannes Gersen de Canabaco, Abbas Vercellensis vindicatur, Paulo V. Romæ, 1616. in 12.

5. Eandem *Concertationem*, priori editione auctiorem, cui accessit *Apologetica Responsio* pro hoc ipso Librorum Auctore Ioanne Gerson, aduersus Heribertum Rosucidum Societatis Iesu Presbyterum, 1618. in 8.

6. Libros II. pro Ioanne Diacono S. R. E. Cardinali, *De S. Gregorij Magni, eiusque Discipulorum Monachatu Benedictino*, Paridi Lodron'o Archiepiscopo Salisburgensi. Salisburgi, 1620. in 4.

7. Sanctorum trium Episcoporum Religionis Benedictinæ Luminum, *Isidori Hispalensis, Ildefonsi Toletani, & Gregorij S. R. E. Cardinalis Episcopi Ostiensis Vitas, & Actiones* Scholijs illustratas. Accesserunt *Opuscula* quædam eiusdem S. Isidori nondum edita, Philippo III. Hispaniarum Regi Romæ. 1616. in 4.

8. *Carmen* in Libros Ligni vitæ, & eorum Auctoris Arnoldi Vioni commendationé, Venetiis. 1595.

9. *Animaduersiones in Vitam S. Anselmi Episcopi Lucensis.* Leguntur inter Monumenta contra Schismaticos à Iacobo Gretsero Societatis Iesu publicata. Ingolstadij, 1613. in 4.

10. *S. Columbanum Abbatem Bobiensem, & Luxouiensem cum Suis fuisse Ordinis S. Benedicti, Assertionem*, inter Scholia in vitam Sancti Magni à Martino Abbate Fossensi scriptam. Augustæ Vindelicorum, 1627. in 8.

11. *De Erectione Collegij Gregoriani in Vrbe, Epistolam Encyclicam.* Romæ, ex Typographia Cameræ Apostolicæ, 1622. in 4

12. Vitam Gelasij Papæ II. Gentilis sui, à Pandulfo Pisano conscriptam: & Vitam, & Passionem S. Erasmi Episcopi, & Martyris ab eodem Gelasio scriptam, *Notis*, ac *Commentariis* illustrauit. Vrbano VIII. Romæ, apud Caballum, 1638. in 4.

13. Lingua Italica, *Giuditio sopra la Vita del Rè David scritta dal Signor Ranuccio Pichi Secretario dell' Altezza di Parma.* Romæ, 1631.

* Edenda partim perfecta, partim affecta. *

De Præstantia Religionis Benedictinæ Commentaria Encyclica, Parænetica, Apologetica, Lib. IV.

De Dignitate Ordinis S. Benedicti aduersus quorumdam nouitates.

Responsio iuridica aduersus F. Martinum Fernandez Hermoso, & alios, De habitu Benedictinorum.

De Antiquitate Regulæ, & Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini.

De Sacra Sede Transtiberina Collegij Greg. in qua Princeps Apostolorum Petrus primùm sedit, &c,

De sanctitate Luciferi Episcopi Calaritani, lib. II. -- *De Ioachimo Calabro Abbate*, Apologeticus,

De nummis, & Numismatibus in honorem B. M. Virginis cusis. Lib. II.

De Veneratione Sanctorum, Lib. II. -- *De Sacrosancta Basilica Vaticana.* Lib. I.

In Vitam Bonifacij Papæ VIII. ex Caietanorum Familia *Commentaria* cum *Apologia, pro eiusdem Bonifacij ingressu legitimo ad Pontificatum, prudenti regimine, & gloriosa morte.*

Variarum Concertationum tum Sacrarum, tum Politicarum, Volumen.

Vita, & Miracula S. Rosaliæ, ex Cæsareo Gallorum, & Marsorum Comitum Sanguine.

De Sanctis, & Beatis Siciliæ, cum Notis, & Animaduersionibus.

Martyrologium Benedictinorum, hoc est, De Sanctis Ordinis S. Benedicti.

Calendarium Benedictinum, in quo Seruorum Dei, famaue Sanctitatis illustrium ex Ordine S. Benedicti, breuiter describuntur.

De admirabili Sacramento diuini Altaris, & Diuinæ Mensæ Conuiuio, ex doctissimis Benedictinæ Familiæ Patribus, ac sacris eiusdem Ordinis Ritibus illustrato,

De Diuino Cultu Deiparæ Mariæ à Benedictina Familia exhibito, & in alios propagato.

De Caietana Familia Commentaria ab Anno Christi DCC. ad nostra tempora, quibus etiam quamplurium Nobilium aliarum Familiarum Origines, & Memoriæ describuntur.

Annales Benedictini; --- *Acta S. P. Benedicti*: --- *Acta S. Scholasticæ Virginis, eiusdem Sororis.*

Acta S. Placidi Abbatis, & Martyris. -- *Acta S. Gregorij Magni PP.*

Acta S. Petri Cælestini Papæ V. -- *Acta S. Thomæ Aquinatis.*

In Vitas Summorum Pontificum Alexandri II. Gregorij VII. Victoris III. Vrbani II. & Paschalis II. *Commentaria.*

Vitæ Sanctorum adhuc ineditæ cum *Notis & Scholiis* quamplurimæ.

Bibliotheca Benedictino-Aniciana Veterum Patrum, D.Etonumque Benedictinorum Libris nondum vulgatis exornata.

Apparatus ad quatuor Tomos S. Petri Damiani, continens diuersi generis Indices, & varia eruditionis Notas, & Scholia.

Opuscula quædam S. Ambrosij Authperti, Magistri in Humanioribus Literis Caroli Magni, & Abbatis S. Vincentij de Vulturno prope Capuam fluuio.

Opuscula S. Bertharij Abbatis Montis Casini, & Martyris, ex sanguine Regum Gallorum.

Opera Sancti Bruni ex Abbate Casinensi Episcopi Signini, Notis illustrata. Nempe, in quinque libros Moysis. In librum Iob. In Psalterium Dauid. In Cantica Canticorum. In Ioannis Apocalypsim. In Canticum Zachariæ. Libellus contra Græcos de Sacrificio in Azymo. Vita S. Leonis Papæ IX. Vita S. Petri Episcopi Anagnini. Liber de Ornamentis Ecclesiæ. Liber aduersus Simoniacos. Liber Sermonum. Liber Homiliarum.

Opuscula, & Epistola S. Columbani Abbatis Bobiensis, cum Notis, & Argumentis.

CONSTANTINI cum laude meminere plurimi: inter eos non contemnendi, Cæsar Card. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis sæpius, & anno M. LXXII. fatetur ideo à Clemente VIII. Romam accersitum Caietanum, vt impressioni Operum B. Petri Damiani præesset. Robertus Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Damiano. Franciscus Suarez lib. de Religione in particulari. Arnoldus Vionus in libris de Ligno Vitæ. Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro. Clemens Rainerius de Apostolatu Anglicano Benedictino. Franciscus Biuarius Commentarij in Flauium Lucium Dextrum. Bartholomæus Gauantus in Rubricis Breuiarij. Franciscus Auantius in Manuali Simplicium. Iacobus Gretserus aduersus Replicatorem Caluinianum. Ioannes Salas in 1. 2. S. Thomæ. Andreas Salazar Notis ad Regulam S. Benedicti. Lucas Waddingus Notis in Opuscula S. Francisci, & Annalibus Franciscanis. Christophorus Besoldus in Spicilegio Politico, & Iuridico. Maximilianus Sandæus Academicorum Commentar. lib. 12. Michael Ghislerius Tomo 1. Commentariorum in Hieremiam. Octauius Caietanus Notis de Sanctis Siciliæ, & in Historia Siciliæ. Andreas Victorellus, & Ferdinandus Vghellus Additionibus ad Ciaconium de Vitis Rom. Pontificum: Anthonius Iepes in Chron. Ordin. S. Benedicti: Abrahamus Bzouius Compendio Annalium Baronij. Constantinus Bellorus Colloquiis de Instituto Gregorij Magni. Martinus Martinez Apologia de Patronatu Hispaniæ S. Æmiliani. Carolus Strengelius Lucida Corona Religionis Benedictinæ, & Monasteriologia, quam Constantino inscripsit. Iacobus Sirmundus Opusculis. Laurus in Orchestra. Siluanus Razzius de Sanctis Virginibus. Ludouicus Ferrarius de Epistolis Missiuis. Dominus de Marigliac, in Præfatione ad Ioannem Gerson à se Gallicè translatum. Federicus Vbaldinus ad Vit. S. Damasi Papæ, & Alij; Inter eos Constantinus Caietanus, & *Archiuorum peruestigator diligentissimus*; & *de Antiquitate Ecclesiastica benè merens*, & *planè doctus*, & *doctissimus*, & *de Antiquitate merendi cupidissimus*, & *eruditissimus Pater*, & *pius*, & *grauis*, & *eloquens*, & *elegans*, & Vir clarissimus, passim non sine omnium admiratione audit.

In fine præmonitionis de Festo die sancti Petri Damiani paulò supra impressæ, adde quin immo Beatissimum hunc Cardinalem Episcopum sanctorum Catalogo adnumeratum fuisse, aperte testatur Carolus Sigonius sæculi sui virorum eruditorum facile Princeps ex perantiquis scriptorum monumentis (extitit enim is Archiuorum, & Bibliothecarum scrutator diligentissimus) in hunc modum *Homines Sanctorum in numerum relati fermè ex Italia. Gregorius Magnus Pontifex 604. Romanus Columbanus Scotus Abbas Bobij 614.* atque aliis interiectis subiungit *Petrus Damiani, Monachus & Cardinalis Rauennas. 1080.* hæc ille in Epitome rerum omnium memorabilium quas in libris de Regno Italiæ tractauerat.





B. PETRI DAMIANI, MONACHI BENEDICTINI, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis

Tomus Quartus, Sacrorum Carminum, & Precum.

I. ORATIO AD DEVM PATREM.

ROGO te, immensa pietas, Deus
Pater omnipotens, ne perdas me
creaturam tuam ad tui similitudi-
nem conditam, ac pio Filij tui Do-
mini mei Iesu Christi cruore redem-
ptam. Porrige mihi manum tuam Domine Deus
meus, & eripe me de profundissimo lacu iniquita-
tum mearum. Erige lapsum, solue compeditum,
illumina cæcum, sana me mille malignorum spiri-
tuum vulneribus sauciatum. Heu me miserum,
heu me perditum, heu me indeficienti lacrymarum
fonte lugendum, qui dum spurcissimæ carnis meæ
legibus vixi, numquam te de me gaudere permisi,
sed semper te reprobæ vitæ meæ flagitiis ad ama-
Esther 13. ritudinem prouocaui. Sed scio Domine, quia in vo-
luntate tua cuncta sunt posita, & non est qui possit
tuæ resistere voluntati. Sed enim decreueris salua-
Exod. 17. re nos, continuò liberabimur. Produc Domine de
saxea cordis mei duritia lacrymarũ abundantiam,
qui de rupe deserti largissimam profluentis aquæ
Num. 20. copiam prodire iussisti. Domine Iesu Christe, si tu
es lux vera, & ego colo te, cur pateris in tenebris
Psal. 77. esse me? Veh mihi, lumen adoro, & tenebras per-
fero; veritati deseruio, & per inanium cogitationũ
figmenta deludor. Domine, qui cauernas tartari
Exod. 10. diuinitatis tuæ radiis illustrasti; qui densas Ægypti
tenebras Moysis famuli tui precibus effugasti, res-
pice chaos illud, & tenebrosum mei cordis infer-
num visitationis tuæ luce perfunde; vt animam,
quam tu dignatus es lux æterna redimere, tene-
brarum auctor nequeat in obscuritatis suæ caligi-
ne possidere. Qui illuminasti cæcum a natiuitate,
Ioan. 9. illumina me. Qui leprosos mundasti, purifica me.
Id. 11. Qui Lazarum de sepulchro suscitasti, resuscita
me vitiis fœtidum, & peruersæ consuetudinis mole
Dan. vlt. depressum. Qui Danielem in lacu a leonum mor-
Id. 3. sibus custodisti, eripe me. Qui tres pueros de ca-
Exod. 12. mini æstuantis incendio liberasti, libera me. Qui
& 13. liberasti Israël de oppressione Pharaonis, libera
1. Reg. 16. me. Qui liberasti Dauid de manibus Goliæ &
Act. 12. Saülis libera me. Qui eduxisti Petrum de carcere
Herodis, libera me. Domine benedicte, glorio-

A se, piissime, vides, & ipse conscientiæ meæ
testis es, quia volo mala mea cuncta respuere,
sanctisque tuis iussionibus, vt dignum est, obe-
dire; sed quia nequeo ex me, spero in te. Non
enim inuenio in carne mea bonum. Et reuera
Domine, quis vmquam Sanctorum ex se vir-
tutem, vel sanctitatem habere potuit? quis per
se sine auxilio, perfectionis culmen ascendit?
Certè Domine, non Petrus, non Martyr, non
Apostolus, non denique ipsi Angeli, non Cheru-
bim, aut Seraphim, nisi à te percepissent, do-
num aliquod habere potuissent. Si ergo ipsæ
Virtutes cælorum nihil habent à se, sed omnia
perceperunt à te, quid ergo boni à me, qui sum
B stercus & vermis, puluis & cinis, poteris expe-
ctare, nisi quod ipse dignaris infundere? Tu Iacob. 1.
enim es Pater luminum, à quo omne datum
optimum, omneque donum perfectum. Tu es, à
quo bona cuncta procedunt. Tu fons vitæ. Tu
auctor salutis æternæ. Sicut enim terræ non à
se ipsa, sed de cælo semper lumen infunditur;
sic anima mea sicut terra sine aqua tibi, tene- Psal. 142.
brosa squalet semper & arida, nisi tuæ gratiæ
rore perfusa, tui splendoris radio fuerit illustrata.
Et quidem inquiro apud me Domine, vt tibi de
meis aliquid offeram, sed cùm omnia mei pe-
ctoris arcana reuoluo, nihil ibi nisi tenebras vi-
deo, nihil omninò nisi vitiorum tribulos & spi-
C nas inuenio. Vide ergo Domine miseriam meam,
vide tantæ paupertatis inopiam, mihique com-
punctionis gratiam tribue, quæ animæ meæ ru-
biginem tergere, tamque cruenta meorum cri-
minum valeat inquinamenta lauare. Expelle Do-
mine frigus hoc atque torporem de meo pecto-
re, & flammam in me dulcissimæ tuæ charita-
tis accende. Numquid eum Domine, immen-
sam tuæ pietatis abundantiam mea valebit ini-
quitas vincere, quam totius mundi non potue-
runt crimina superare? Nam cùm totus pene
mundus esset Idololatriæ deditus, quis te ro-
gare præsumet, vt quem cæli non capiunt, vteri
virginalis angustias habitaturus inuiseres? morta-

hitatis nostræ membra susciperes ? mortis atrocissimæ tormenta perferres, vt inimicos tuos à mortis debitæ supplicio liberares ? Si ergo, clementissime & piissime Domine, misericordiæ tuæ magnitudinem totius mundi flagitia non vicerunt, vnius canis mortui peccata quantumlibet grauia superabunt ? Absit hoc à te Domine. Absit a te, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris. Quid est ergo quod dicis: Gaudium esse Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiā agente ? Quid est quod de te Propheta dicit: Quia miserationes tuæ sunt super omnia opera tua ? Nonne tu Domine, permisisti te ab illa spurcissima, & fœdissima muliere cōtingi, quæ fluxu erat sanguinis cruentata? Cuius præsumptionis audaciam non modò nullatenus condemnasti, sed vt salutem quoque cum ipsa vestimenti fimbria raperet, indulsisti. Nōne tu, mitissime Domine, cum multiuira illa Samaritana loqui dignatus es ? siue, quod maius est, numquid non cum Chananæa, quæ adorabat Idola, colloquium miscuisti ? Eius insuper filiā à dæmonio maternis precibus liberasti ? Hanc circa me, quæso Domine, mirandæ pietatis tuæ regulam exhibe; extinctum animæ meæ infelicis igniculum his olei tui fomitibus reaccende. Non Pauli, non Petri misericordiam quæro, quia dum alter ignorantia, alter timore peccauit, facilè vterque veniam obtinuit. Illud mihi, piissime Domine, misericordiæ tuæ genus indulge, illud animæ meæ languenti, vel iamjam potiùs morienti, suauissimæ medicinæ tuæ poculum porrige, quod Latroni in Cruce pendenti misericors obtulisti, eumque absorptum ex deglutientis mortis faucibus eduxisti. Illud tuæ misericordiæ genus quæro, quod deprehensæ in adulterio præbuisti, quod peccatrici in domo Simonis contulisti: quæ dum pedes tuos crinibus tersit, animā suam à peccatorum sorde purgauit. Hoc modo trahe me ad te, Saluator meus, accende me, purifica me. Impleantur amore tuo omnia viscera mea, vt benedicat tibi anima mea, & descendat super me misericordia tua. Ad hoc enim te Pater omnipotens misit in terras, vt saluos facias peccatores. Qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: Ezech. 18. & 33. Luc. 15. Psal. 144. Matth. 9. & Luc. 8. Ioan. 4. Matth. 15. Luc 23. Ioan. 8. Luc. 7.]

II. ORATIO AD DEVM Filium.

[Margin: 1. Pet. 1.]

RECORDARE Domine Iesu Christe, quia non auro, vel argento, sed proprij sanguinis tui me pretio redemisti: & cùm tu sis fons patens domus Dauid in ablutione peccatoris, & menstruatæ, ego solus, Domine, tantæ pietatis expers ero, & extra redemptionis tuæ lineam remanebo? Heu me, piissime Domine, permittes me cū regenerationis tuæ tunica, quam mihi dedisti, cum vexillo sanctæ Crucis, quam mihi in fronte pinxisti, in manus venire diaboli, & cum ipsis tuis insignibus, æternis incendiis cruciari ? Scio Domine, quia tantæ pietatis es, si ego perfectè conuertor ad te, quòd tu statim recipies me. Sed quia tantæ fragilitatis, & ignorantiæ sum, vt ipsa conuersio per me sine te, dignè fieri non possit; tu me conuerte Deus salutaris meus, tu illumina animam meam, tu dirige, tu in me flammam tuæ dilectionis accende. Et forsitan, iustissime & piissime Domine, tanta sunt peccata mea, * vt nulla mea pœnitentia ad hæc plangenda sufficiat; ecce corpus meū, per quod te miser offendi, tu, qui es animarum medicus, verbera, flagella; siue lepra, siue quibuscumque doloribus tibi visum fuerit, durissimè percute. Tua planè creatura sum, Conditor meus; tu me tuis cinge flagellis, nec tradas me in manus inimici mei: aut si eousque mea processit iniquitas, vt in hac non possit vita deleri, præcipe vsque ad diem iudicij tui vltricibus me pœnis affligi, vt tunc saltē extremus omnium Electorum tuorum merear inueniri. Absit enim à me vt postulem gloriam. Sufficit mihi, vt tantummodo pœnas euadam: Sed quoniam preces meæ tam sordido ore prolatæ, ad te non merentur ascendere; te rogo, Beata Virgo Maria templum Dei viui, aula Regis æterni, sacrarium Spiritus sancti, benedicta inter mulieres; redolet ager sacratissimi vteri tui naribus cordis mei: ex quo videlicet agro dum vnicum illud ac singulare lilium prodiit, omne cum eo virtutū spiritualiū germē erupit. Tu enim es cælestis illa terra, quæ dedit fructum suum. Te materiam Sapientia cælestis habuit, vnde templum sui corporis fabricauit. Te Spiritus sanctus impleuit. Te virtus Altissimi ineffabiliter obumbrauit. Tu defer preces meas ad Filium Creatorem tuum. Immò tu ora pro me, tu obsecra: cuius nimirum vota non possunt despici, cuius preces in eius conspectu nequeūt paruipendi. Ecce Domina mea, infelix ego deprehensus in crimine ducor ad furcas, raptor ad gladium, pertrahor ad supplicium. Exurgat ergo Regina mundi, opponat se, ingrediatur ad Filium, & liberet reū. Accurre & tu, ô Michaël cælestis militiæ princeps, & qui in fine mundi peremptutus es Antichristum contra Deum se contumaciter extollentem, iam illū deijce in corde meo regnare tentantem. Libera à tentatione animam meam dum viuit in corpore, vt eam post obitum Creatori suo dignè valeas præsentare. Adiuua me & tu, ô B. Gabriel fœderator cælestium nuptiarum: salua me precibus tuis miserum peccatorem: qui illum missus es nunciare, qui venturus erat in mundum peccatores & miseros liberare. Medere & tu languidæ animæ meæ S. Raphaël, quique Saræ dæmonium abstulisti: & Tobiæ oculos, quos perdiderat, reddidisti, malignum ab anima mea spiritum, qui virum eius Christum ab ea diuidere conatur, exclude, & cæco cordi meo luminis iubar infunde. Orate pro me omnes sancti Angeli, omnes sancti Archangeli, omnes sanctæ Virtutes, omnes sanctæ Potestates, omnes sanctæ Dominationes, omnes sancti Principatus. Ora pro me sancte Chorus Throni, ora pro me sancte Chorus Cherubim, ora pro me sancte Chorus Seraphim. Orate pro me omnes sancti Patriarchæ, omnes sancti Prophetæ. Oret pro me Iudex Apostolorum Senatus. Oret pro me candidatus Martyrum Chorus. Orent pro me sancti Confessores, omnésque sanctæ Virgines. Orate pro me misero & funditus perdito, Domini mei, omnes Sancti Dei. Et quæ est tam crudelis multitudo peccati, quæ tot Senatorū cælestiū nequeant intercessione deleri ? Nec enim potestis esse misericordia vacui, qui cum ipso fonte misericordiæ inseparabiliter estis vniti. Scio Domine, quia non mereor Ecclesiæ tuæ limina sacra contingere, nec infelices oculos ad cælum leuare. Indignus sum benedictum & gloriosum nomen tuum per polluta & spurcida labia mea proferre; sed veniat, oro, Spiritus tuus in animam meam, & omnia hæc inquinamenta detergat. Si enim Sol iste, qui non de sublimioribus tuis est creaturis, tantas habet vires, vt sordes deleat, terras illustret, arua fœcundet; quantò magis si coæternus & consubstantialis tibi Spiritus tuus infelicē hāc arbusculam arescentem iam, comisque nudatam dignetur inuisere, faciet eā protinus reuirescere ? nec impotens erit eam virtutum floribus, ac vernantium fructuū decore vestire. Veni Domine

[Margin: * Intellig. opera nostra ex naturæ viribus satisfacere non posse: nam suppo-]

[Margin: si ÷ Dei gratis, & eius acceptione, [illegible] Theologi plurimi docent.]

[Margin: Luc. 1. Tob. 3. & 11.]

A Ieſu, veni dulcis habitator in me. Odor tuus omnia vincit aromata, ſuauitas tua fauos & omnia mella tranſcendit. Veni, obſecro, totumque me tuo iuri ſic vendica, vt nullam in partem de cæteto ſe tyrannus habere cognoſcat, ſed dedica me vndique templum tuum, quia tu es Deus & Dominus meus. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

III. ORATIO AD DEVM *Spiritum ſanctum.*

SPiritus ſancte Deus, omnipotens, coeſſentialis & coæterne ſummo Patri ac Filio, ineffabiliter ab vtroque procedens, cordi meo dignãter illabere, & nequitiæ meæ tenebras mirificus illuſtrator expelle; vt ſicut Dei Verbum virginalis potuit B vterus te ſuperueniente concipere; ita & ego per auxilium gratiæ tuæ, eundem meæ ſalutis Auctoré valeam ſemper in mente portare. Tu enim Domine, lux es mentiũ, tu virtus cordium, tu vita es animarum. Tu largitus es ſanctis Apoſtolis, vt ad plenũ redemptionis humanæ Sacramenta cognoſcerent, & fidei regulam inoffenſo veritatis limite prędiaarent. Tu dediſti beatis Martyribus ſanctæ libertatis audaciam, & mundi principes non metuerent, & exquiſita pœnarum genera conſtantiſſima longanimitate tranſirent. Tu locutus es in Prophetis, tu in Patriarchis fidei fundamenta conſtituiſti. Tu Sanctis omnibus & velle, & poſſe, omniumque virtutum flores, quibus cæleſtia ſcanderent, prębuiſti. C Et ego peccator infelix, quomodo ſine te ſaluus fieri valeo, qui ſcilicet abſque te, quid ſaltem orare debeam, non agnoſco? Profectò Domine, ſi tu recedis, anima mea non viuit. Sicut enim ſubtracta anima, corpus emoritur; ſic te recedente, ipſa protinus anima, neceſſe eſt * extinguatur. Sentio, ſentio, Domine, quia cùm per occultam gratiam tuus aliquando vigor accedit, meus illicò ſpiritus conualeſcit. Cùm verò te peccatis meis exigentibus ſubtrahis, infelix anima mea protinus arefacta cõtabeſcit, & corruit; nec vt in ſtudio puræ orationix exerceatur, aſſurgit. Deſcende ergo in me viuificator æterne, meique pectoris glaciem flamma tuæ charitatis accende. D Præbe capiti meo aquam, & ſaxeam cordis mei reſolue duritiam: ſuper hoc ſcilicet elementum, Domine, & ante mundi originem ferebaris, & nunc ad purificationem animarũ inviuifica fontis fluenta deſcendis. Veni ergo, in me cum aqua compunctionis, & potum mihi da in lacrymis in menſura. Veh mihi miſero peccatori, & innumerabilia quotidie flenda committo, & tamen flere non valeo. Imber ergo gratiæ tuæ, Domine, diſtillet in me, vt anima mea, quæ a vitę fonte recedens aruerat, per tuæ viſitationis afflatum nouiter reuireſcat. Paratum cor meum, paratũ cor meum. Ecce Domine, omnes ſinus tibi mei cordis aperio, arcana pectoris laxo, tuæque dignationis E acceſſum inhianter expecto. Habet certè oculus carnis lumen ſuum, viſibilem ſcilicet Solem; ſed te interior homo meus expectat, qui lumẽ es animarum. Qui illuminaſti cæcum à natiuitate, illumina me. Qui reſuſcitaſti Lazarum, viuifica me. Heu heu infelix anima, cùm tu ſis vita corporis, ipſa mortua iacens, viuificatorem tuum habere Spiritum non mereris. Mortua tibi, viuis alij: ipſaq; in tenebris conſtituta, exteriori ſubſtantiæ lumen attribuis; ſed videre non vales, quia non proprium lumen habes. Veni tu, obſecro, Spiritus veritatis, & omnes errorum tenebras à me potẽter expelle. Iudica Domine nocentes me, & expugna impu- A gnantes me: Apprehende arma & ſcutũ, & exurge in adiutorium mihi. Tu purificator, & viuificator Spiritus, omnipotens, æterne Deus, ignis conſumẽs es: Tu Spiritus iudicij; Tu Spiritus ardoris. Corripe itaque cor meum, & omnium culparum, vitiorumque rubiginẽ virtute tui ardoris exterge, & inimicum tibi nequitiæ ſpiritum à cunctis meis ſenſibus prorſus exclude. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Veni, quæſo, veni benedicte Spiritus veritatis, & omnes meorum viſcerum venas intimus ſcrutator ingredere. Tolle quidquid fermentatum, quidquid vitioſum, quidquid reperis noxię vetuſtatis peſte corruptum; meque fac azymum, ac tuæ munditiæ pu- B ritate ſincerum. Redde me mortuum mihi, viuentem tibi. Mortifica in me omnes fomites carnaliũ voluptatum, exeoque me ad purum, & non ſolùm vitiis, ſed & mundo me redde prorſus extinctum. Veni, obſecro, Spiritus benedictionis æternæ, omnéſque mei pectoris latebras inenarrabili tuæ dulcedinis ſuauitate perfunde. Anima mea ad tuum liqueſcat aduentum, cæleſtem virtutem per te renouata concipiat, ad ſui vigoris originem redeat, atque in amorem tuum ſuccenſis viſceribus inardeſcat. Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomẽ ſanctum eius. Vberem gratiæ tuæ benedictionem, Domine, anima mea ſuſcipiat: &, vt tibi medullatas hoſtias offerat, ineffabili tuæ C dulcedinis adipe ſaginata pingueſcat. Illumina me lux veritatis, accende me, purifica me. Te enim es largitor chariſmatum, tu auctor ſanctificationum, & omnium remiſſio peccatorum. Tu Virtutes Angelicas ad amorem tuum indeſinenter inflammas: tuæ charitatis incendio Cherubim & Seraphim incomparabiliter æſtuant. Tu me, Domine, tibi totum vendica, totum poſſide, nullamque in me partem à te vacare permitte: ſed ſolus in me viuas, méque tibi ſoli viuere facias. Qui viuis & gloriaris in Trinitate perfecta vnus & verus Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

id eſt, vita ſpirituali priuetur. · *Gen. 1.* · *Ioan. 9.* · *Id. 11.* · *Pſal. 34.* · *Pſal. 67.* · *Pſal. 102.*

IV. AD SANCTAM TRINITATEM, *Orationes.*

TE adoro, te colo, te glorifico, te magnifico, benedicte, omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, trinus & vnus Deus. Adiuua me Domine, abſolue me, purifica me, mũda me, Rex meus & Deus meus. Da mihi iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudentiam. Da mihi perfectam fiedm, ſpem, & charitatem. Concede mihi Spiritũ ſapientiæ, & intellectus, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris tui. Da mihi irriguum inferius, & irriguum ſuperius. Da mihi benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ. Mollifica Domine lapideum cor meum: Da mihi E compunctionem, & cõtritionem cordis, vt defleam innumerabilia peccata mea. Domine non ſum dignus, vt intrem in Eccleſiam tuam. Indignus ſum leuare infelices oculos meos ad cælum, vel exprimere nomen tuum benedictum per labia mea; ſed tu, qui creaſti me, ſicut vis, & ſicut ſcis, miſerere mei Domine Deus meus.

V. Secunda Oratio.

Miſerere Domine omnibus amicis meis, & propinquis, & omnibus benefactoribus meis, & omnibus, qui orant te pro me: & omnibus, qui rogãt me

orate pro se. Da eis pœnitentiam fructuosã, mortifica in eis omnia vitia, & fac eos florere virtutibus tuis. Fac eos Domine sic per omnia vivere, vt maiestati tuæ valeant de bona sua conuersatione placere. Miserere Deus Pontificibus, Regibus, Potestatibus, & omni populo Christiano. Sancta Maria, ora pro eis omnibus. Omnes Sancti & Sanctæ Dei, orate pro eis. Miserere Domine omnibus benefactoribus meis defunctis, & pro quibuscumque orare debitor sum; & omnes fideles tuos absolue, & da eis partem, & societatem cum Sanctis tuis. Sancta Virgo Maria, ora pro eis omnibus: omnes Sancti, & Sanctæ Dei, orate pro eis omnibus.

VI. Tertia Oratio.

Te adoro vnum in Trinitate, & trinum in Vnitate, benedicte, omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Miserere mihi misertimo peccatori, clementissime Deus meus; & miserere omnibus fidelibus tuis viuis & defunctis. Sancta Virgo Maria, mater Dei & hominis, templũ Dei viui, Virgo ante partum, & Virgo post partum, exaltata super choros Angelorum, ora pro nobis omnibus. Sancte Michael princeps militiæ cælestis, Sancte Gabriel fœderator cælestium nuptiarum, Sancte Raphael medicina Dei, orate pro nobis. S. Ioannes Baptista, ora pro nobis. S. Petre, qui habes claues Regni cælorum, S. Paule, S. Andrea, S. Ioannes Euangelista, orate pro nobis omnibus. Sancte Stephane, S. Apollinaris, S. Laurenti, orate pro nobis omnibus. Sancte Syluester, S. Martine, S. Benedicte, Venerabilis Pater noster, orate pro nobis omnibus. Sancta Agatha, S. Agnes, S. Cæcilia, orate pro nobis omnibus. Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Anachoritæ, Viduæ. Omnes Sancti & Sanctæ Dei, orate pro nobis omnibus fidelibus Christi viuis & defunctis. Pater noster.

VII. Item, Orationes de Sancta Trinitate.

Deus, cuius munere & Trinitatem in personis, & vnitatem in diuina substantia confitemur, concede propitius, vt hac fidei lorica muniti, à cunctis meream ur aduersitatibus liberati. Per Dominum.

VIII. Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui Sanctæ Trinitatis vnam confitemur essentiã; sicut nunc ambulamus, te docente, per fidem: sic aliquãdo, te suspiciente, perducamur ad speciem. Per.

IX. Alia.

Deus, qui nos & sine confusione Trinitatem, & sine diuisione substantiam tuæ maiestatis credere docuisti, largire supplicibus: vt super hoc Catholicæ fidei fundamentum surgat in nobis sanctarum structura virtutum. Per Dominum.

X. Alia.

Deus qui nobis Sanctæ Trinitatis mysterium reuelasti, tribue quæsumus: vt qui iam ex fide viuimus, per boni operis augmenta crescamus. Per Dominum nostrum.

XI. De Annunciatione Domini.

Ecce parat clausam Regis prænuncius aulam.

XII. De Natiuitate Domini.

Natus ab æterno prodit de Virginis aluo.

XIII. De Oblatione Domini.

Non capitur cælis, Simeon quem stringit in vlnis.

XIV. De Baptismo Domini.

En fluuius fontem mundum lauat, vnda lauantem
Ablue Iordanis, à quo magis ipse lauaris.

XV. De Transfiguratione Domini.

Hic Deus ostendit, quod carnis tegmine clausit.

XVI. Vbi pueri dicunt, Osanna.

Astra, polus, terra metuunt, quem portat Asella:
Voce Deo magna cœtus depromit Osanna.

XVII. De Cœna Domini.

Qui caput est iustis, vestigia tergit alumnis:
Quòd vetuit parti, Petrus vult soluere toti.

XVIII. De Patena.

Esum perpetuæ pariunt hæc fercula vitæ.

XIX. Vbi Iudas Dominum tradit.

Falsa ferox blando lupus oscula porrigit Agno.

XX. Vbi Christus rogat Patrem.

Patrem Christe rogas, cu quo simul omnia donas.

XXI. Dominus dicit Discipulis suis, Vigilate.

Quos sopor oppressit, vigilum Rex surgere iussit.

XXII. & XXIII. Orationes die Veneris Sancto in Crucis Adoratione dicendæ.

... inflictus ad eum respiceret, & venenum exitiale euaderet, optatæ salutis vitam adipisceretur, significans te ipsum futura longe post curricula pro tua salute plasmatis Crucis patibulo extollendum: vt quos diabolus armis inuidiæ captiuauerat, tua desiderabilis passio ad patriam reuocaret. Concede tam mihi misero & peccatori, quàm omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem tuam supplices venerantur, lignumque vitæ adorant: vt diabolicas insidias te adiuuante vincamus, & æternæ vitæ participes effici mereamur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. (Oratio prima Genuflexionis, sicut & secunda, deficit in MS.)

XXIV. In tertia Genuflexione.

Domine Iesu Christe, qui nos per passionem sanctæ Crucis hodierna die de diabolica seruitute liberasti; vt quo die hominem condideras, eundem & reformares; exaudi me miserum & peccatorem coram hoc signaculo sanctæ Crucis tuæ confitentem, & deprecantem; vt huius venerabilis & vitalis signi tuitione munitus, & hostis nequissimi ignita tela repellere, & ab insidiis euacuari vulneribus, & ad vitam æternam valeam peruenire. Per te Domine Iesu Christe, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

XXV. De S. Cruce Orationes aliæ.

Dum Crucem dilectissimi Filij tui, omnipotens Pater, adoro, pateat mihi cælum, obsecro, vt & oratio mea peruenire possit ad te, & tua descendat misericordia super me. Hæc enim hostia singularis, piissime Domine, in odorem tibi suauitatis oblata, & tuam circa nos iustitiam mitigat, & tanquã pij thuris incendium de thuribulo sacratissimæ passionis euaporans, humanarum mentium nares obdulcat. O inenarrabilis victima, quę & cautionem maledicti veteris aboleuit, & signaculũ nobis æternæ benedictionis impressit. O sacrificium veræ placationis & laudis, quod & antiquæ trãsgressionis inimicitias abstulit, & inter cælum & terram fœdus æternæ cõcordiæ reformauit. Per hoc, Domine, tuæ virtutis insigne vexillum misetam me tui gregis ouiculã de truenti leonis faucibus eripe, vt victus, atque contritus à te, super me non queat triumphare. Reduc me ad pascuæ tuæ semper amœna virentia, nec abiicias seruum, pro quo tradere dignatus es Filium: qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

XXVI. Oratio.

Mediator Dei & hominum, Domine Iesu Christe, qui verã carnem ex intemerata B. Mariæ visceribus suscepisti, quique pro salute nostra ipsum Agnũ immaculati tui corporis obtulisti Deo Patri super aram Crucis in odorem suauitatis: atque, vt antiquæ præuaricationis virus euomeret, tenuetip-

ſum feciſti humano generi medicinam; abſolue A me nimis infelicem & miſerum, innumeris peccatorum vinculis obligatum. Ecce ante ipſum, Domine, viuificæ Crucis tuæ me proſterno vexillum, nouumque & inauditum victoriæ tuæ ſupplex adoro triumphum. Tu enim ſacerdos & hoſtia; tu redemptor & pretium. Libet, piiſſime Domine, tanquam ſub recenti tuæ paſſionis articulo te in Crucis ſupplicio videre pendentem. Libet pretioſiſſimum ſanguinem in ore meo ſuſcipere diſtillãtem. O beata ſcilicet hoſtia, quæ & tartarea ſepta dirumpit, & cæleſtis Regni ianuam fidelibus aperit. O pretij noſtri pondus in Crucis ſtatera libratum, quo debiti noſtri chirographum antiquus exactor deplorat exciſum. Video te interioribus oculis, Redemptor meus, Cruci clauis affixum. Video te nouis vulneribus ſauciatum. Audio te Latroni cla- B

Luc. 23. ra voce dicentem: Hodie mecum eris in paradiſo. Per iſtud itaque ſalutiferæ tuæ paſſionis ac mortis imploro myſterium: per hoc, inquam, redemptionis noſtræ lacrymabiliter obſecro ſacramentum, noli me, ſicut mereor, ab electorum tuorum ſocietate diuidere, ſed in paradiſi gloria cum ipſomet beato Latrone conſtitue. Tu Domine, animam meam huius ſanctæ Crucis impreſſione conſigna, tu me huius virtute purifica. Per hanc me totum vndique iuri tuo ſic vendica, vt nulla prorſus aduerſarij valeat in me portio reperiri; quatenus te ad iudicium venientem, cùm hoc in cælo diuinæ virtutis inſigne claruerit, ego hoc ſtigmate ſignatus inueniar, vt crucifixo conuguratus in pœna, con- C ſors fieri merear reſurgentis in gloria. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

XXVII. Oratio.

Si pietatem tuam, mitiſſime Deus, humanam mẽſuram habere cognoſcerem, ego tam immaniſſima ſcelerum mole depreſſus, funditus deſperarem. Sed dum immolari pro me tam potentem hoſtiam video, quomodo me deſperare debeam, non

Exod. 12. attendo. Nam ſi Agnus ille paſchalis, brutum ſcilicet animal, populum Iſraël à plaga mortis potuit liberare, quantò magis illius ſacratiſſimus ſanguis, qui conditor eſt Angelorum, quantaſlibet animæ meæ ſordes valet abluere? Tu piiſſime Domine D

Num. 13. Ieſu Chriſte, velut ſpecies aromatica redoles in mortario paſſionis attrita, vt nobis miſeris, & peccatorum morbo languentibus fieres medicina. Tu tanquam botrus ille terræ lactis & mellis irrigue calcatus es in prælo Crucis, vt nobis æternæ ſalutis poculum propinares, & arentia corda noſtra ſancti Spiritus mundatione perfunderes. Tu Domine, per quinque plagas ſacratiſſimi corporis tui ſanaſti omnia vulnera, quæ nobis inflicta ſunt per quinque ſenſus corporis noſtri. Tu Patri victima ſuauitatis, & nobis factus es pretium redemptionis. Adoro Domine Crucem tuam: Adoro viuificam mortem tuam. Abluat, obſecro, ſanguis E tuus ſordes animæ meæ, nec vlterius teneat exactor obnoxium, pro quo tam ſublime pretium eſt ſolutum. Sit iſte victoriæ tuæ titulus, Domine, in anima mea, ſemper erectus, vt nullum in poſſeſſione tua ius ſibi vendicet inuaſor antiquus, ſed hoc proſpecto, preſtò diffugiat, & velut fumus ad acceſſum tui ſpiritus euaneſcat; vt hæreditatem tuam, quam proprio mercatus es ſanguine, per continuam digneris gratiam poſſidere: cui ſis per miſericordiam tuam & protector inuictus, & inhabitator aſſiduus. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

XXVIII. Oratio.

A Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, gratias agimus immenſæ tuæ pietati, qui cùm in forma Dei eſſes, prò nobis temetipſum humiliaſti, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Deprecamur te Domine, vt quibus tantam contuliſti gratiam, veram peccatorum tribuas indulgentiam. Cuſtodi in nobis opera miſericordiæ tuæ, ne pereant, quos redemit dextera tua. Sana languores populi tui, & da gloriam nomini tuo. Rogo etiam te, Domine piiſſime, vt me miſerum ac fragilem à tua non repellas gratia: & qui hucuſque longè à tua voluntate vitioſus diſceſſi, deinceps per ineffabilem miſericordiam tuam emendatus, tuæ placeã feliciter maieſtati. Depelle à me, Domine, quidquid noxium, quidquid ineptum, quidquid vitioſũ,

B quidquid tuæ voluntati eſt contrarium. Concede mihi Domine, vt mala mea hic dum viuo, dignè defleam, & acceptabilis ſit pœnitentia mea in conſpectu tuo. Tribue mihi veram fidem, ſpem firmã, charitatem non fictam. Sit in me fixa humilitas, ſobria vita, vera ſcientia, fortitudo, prudentia, iuſtitia, temperantia, curſus rectus, finis perfectus, Te præſtante Deus noſter: Qui cum Patre, &c.

XXIX. Oratio.

Domine Ieſu Chriſte Nazarene, Rex Angelorum, & Sanctorum omnium, qui eras ante ſæcula in diuinitatis eſſentia cum Deo Patre vnigenitus Filius, in plenitudine autem temporis exinanitus, formam ſeruilis corporis ex Maria Virgine acci-

C piens, in ſimilitudine hominis factus, & habitu inuentus vt homo. Verum vtique hominem in Deo vero aſſumens, humiliatus, & obediens factus vſq; ad mortem, mortem autem Crucis, redemiſti nos tuo ſancto ſanguine pretioſo. Agnus immaculatus ſurgens a mortuis, aſcendens in cælum, ſedes ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Quem adorant Angeli, & ego infelix peccator te ſuppliciter adoro, confitens peccata mea, & deprecans: vt ſicut me participem Sacramentorum mortis & redemptionis tuæ per Crucem feciſti, ita per virtutem huius ſacroſanctæ Crucis, omnia in me vitia & peccata extinguas & perimas: & contra omnes ſpirituales nequitias, & antiqui hoſtis inſidias eiuſdem ſacro-

D ſanctæ Crucis virtute inuocata, victricia tela efficias: & conſurgentem me tecum in nouitate ſpiritus & gloriæ, ad ea, quæ ſurſum ſunt, cum Sanctis & Electis tuis ad dexteram tuam poſitis, pertingere concedas ipſe, idemque Ieſu Chriſte, Deus immortalis. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas per infinita ſæcula ſæculorũ. Amen.

XXX. Oratio.

Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, glorioſiſſime conditor mundi, qui cùm ſis ſplendor gloriæ, coæternus & æqualis Patri, ſanctoque Spiritui, ideo dignatus es carnem immaculatam ex Virgine ſumere, & innocentes ac glorioſas tuas palmas in Crucis patibulo permiſiſti configi: vt clauſtra diſ-

E ſipares inferni, & humanum genus liberares de morte. Miſerere mihi miſero, Domine, oppreſſo graui facinorum pondere, multarumque nequitiarum ſordibus inquinato. Noli me derelinquere, piiſſime Domine, ſed indulge miſericorditer, quod impiè geſſi, & quæ negligenter feci. Exaudi me, quæſo, clementiſſime ac miſericordiſſime Ieſu, Deus bone & benigne, proſtratum ante adorandam glorioſiſſimam tuam Crucem: vt in his ſanctis diebus & ſemper tibi merear aſſiſtere mundus, & tuis iugiter placere conſpectibus; quatenus liberatus à malis omnibus, tuo ſim ſemper adiutorio conſolatus, Chriſte Domine, Saluator mundi: Qui

viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

XXXI. Oratio.

Christe, qui pro nobis patibulum Crucis, & mortem subiisti, vt à nobis expelleres mortis potestatem, & sanguinis tui nos pretio liberares; miserere mihi humillimo seruo tuo, & omnium meorum mihi veniam tribue peccatorum, & me coram adoranda tua Cruce prostratum in his sanctis diebus, & iugiter ab omnibus malis eripe, bonisque tuis misericorditer refice: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per immensa sæcula seculorum. Amen.

XXXII. Oratio.

Deus, qui ligno pereuntem hominem per lignum reparasti in melius: quæsumus, vt virtus huius triumphalis ligni, morte & sanguine tuo ditati, cui tota deuotione colla submittimus, & vitia in nobis vniuersa mortificet, & contra omnia aduersa nos muniat: Qui viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum. Amen.

XXXIII. Oratio.

Domine Iesu Christe, qui es, & qui eras Deus cum Patre ante secula genitus, Deus ex Deo vero, conceptus de Spiritu sancto, & natus homo in fine seculorum de virgine semper Maria. Qui obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis, redemisti nos tuo sancto & pretioso sanguine: & destructo mortis imperio, omnibus in te credentibus cælestis gloriæ aditum reserasti. Te Deum verum, & Dominum meum suppliciter adoro, sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis, deprecando infinitam & ineffabilem misericordiam tuam, vt per virtutem huius salutaris Signi redemptionis nostræ, redimas me miserum & dignum morte peccatorem, ab omnibus criminibus & facinoribus meis: & libera me ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris: & mortifica in me omnia vitia spiritualium, & carnalium nequitiarũ: & fac me resurgere in virtute gratiæ & gloriæ tuæ: & quæ sursum sunt, cælestia desiderare & quærere, & ad æternæ beatitudinis gloriam feliciter peruenire. Præstante tua immensa clementia, Domine Iesu Christe, Deus & Dominus noster: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto in vnitate Deitatis, omnia creando regis, viuificas & gubernas per immortalia secula seculorum. Amen.

XXXIV. Litaniæ.

Christe audi nos. III. Pater de cælis Deus, miserere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis. Sancta Dei Genitrix, semper intemerata, Virgo Maria: & omnia sancta Seraphim, & Cherubim, intercedite pro nobis, & pro omnibus viuis & defunctis fidelibus.....

Reliqua desunt in M S. C.

XXXV. Hymnus de S. Cruce.
Ad Nocturnum.

CRux orbis salus perditi,
Perempti vita seculi,
Quam victa tremunt tartara,
Cæli verentur agmina.
In te dum vita moritur,
Mortis catena soluitur,
Ægypti iugo liberi
Veræ sunt lucis filij.
Te ponit Iudex omnium,
Cùm iudicatur, solium;
Iam cum hædos ab ouibus
Segregat in latronibus.
Tu mundi Iudis principem,
A Dum punis impassibilem;
Reos offerre solita
Quem nunc das, aufert spolia.
In te mactatur victima,
Quæ mundi purgat crimina,
Tibi talentum creditur,
Adæ quod soluit debitum.
Nos vitæ signum protege,
Quo Rex triumphat gloriæ:
Per te ad Regnum prouehat,
Quos seruitute liberat.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini.

B *XXXVI. Ad Laudes.*

CRux mundi benedictio,
Spes, & certa redemptio,
Olim gehennæ baiula,
Nunc clara cæli ianua.
In te leuatur hostia,
Ad se qui traxit omnia:
Quam mundi princeps impetit,
Suumque nihil inuenit.
Tuæ legis articulus
Vetus cassat chirographum,
Antiqua perit seruitus,
Vera libertas redditur.
Odoris tui copia
Cuncta vincit aromata,
C Tui dulcedo nectaris
Replet arcana pectoris.
Per Crucem, Christe, quæsumus,
Ad vitæ transfer præmium,
Quos ligni fixus stipite,
Dignatus es redimere.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini.

XXXVII. Paracletricum Carmen de Sancta Cruce.

VNica spes hominũ, Crux ô venerabile signũ,
Omnibus esto salus, vnica spes hominum.
D Baiula tu pretij, quod mundi debita soluit,
Quo meruit redimi, baiula tu pretij.
Vnica spes hominum, Crux ô venerabile signum,
Omnibus esto salus, vnica spes hominum.
Tartara victa tuis spolium cessere triumphis;
Lugent vexillis tartara victa tuis.
Pandis & astra piis, proprio quos stigmate signas;
Das requiem fessis, pandis & astra piis.
Vnica spes hominum, Crux ô venerabile signum,
Omnibus esto salus, vnica spes hominum.
Chirographum vetiti pepigit quod cautio ligni,
Diluis & pomi chirographum vetiti.
Lux, honor, imperium, laus, gloria, doxa per æuum
Sit tibi trine Deus, lux honor, imperium.
E Vnica spes hominum, Crux ô venerabile signum,
Omnibus esto salus, vnica spes hominum.

XXXVIII. De S. Cruce.

OMnibus est vna spes hæc metuenda figura,
Cernite librata pretium pendere statera,
Quod mundum redimit Protoplasti debita soluit.
Crux est vita mihi, mors inimice tibi.

XXXIX. Item, de S. Cruce, Duobus inuicem inimicis.

ECce rubet Christi Crux sãguine tincta recẽti,
Hæc cælum terris confœderat, infima sũmis:
Hæc iubet in vobis, vt lux oriatur amoris,
Litibus * sedatis succedant oscula pacis.

XL. Rithmus Paschalis.

PAschalis festi gaudium
Mundi teplet ambitum,
Cælum, tellus, ac maria
Læta promant carmina,
Et Alleluia consonis
Modulentor orgaois.
Solus vlulet tartarus
Rapta præda vacuos,
Fractos vectes, & ferrea
Strata plorent mœnia,
Quæ subruit Rex gloriæ
Cum laude victoriæ.
Stupenda lex mysterij,
Nouum genus prælij,
Ligatus nexos liberat,
Mortuus viuificat;
Damque vita perimitur,
Mortis mors efficitur.
Statera Crucis pendulum
Mundi liberat pretium,
Quod dum exactor petij.
Ius antiquum perdidit,
Escam glutire nititur,
Sed hamo transfigitur.
Composuit chirographum
Protoplastus hominum,
Quod Christus post in alia
Soluit ligni tabula
Quæ primus Adam scripserat,
Secundus oblitterat.
Cùm Auctor vitæ moritur,
Orbis & commoritur;
Sol radios operuit;
Lugens terra tremuit;
Templi velum diuiditur;
Vis saxorum scinditur.
Breui sepulchro clauditur,
Qui cœlo non capitur,
Præda vallatus diuite,
Victo mortis principe;
Triumphalis potentia
Surgit die tertia.
Reddite Christum vigiles
Quem seruastis milites,
Vel mortuum ostendite,
Vel in viuum credite,
Cur gratis vera dicitis,
Empti falsa fingitis?
Mox intonat Angelicus
Sermo mulieribus,
Apostolis vt dulcia
Hæc deferrent nuncia:
In Galilæam pergite,
Ibi Christum cernite.
Iam Regis Ægyptiaci,
Seruitute liberi,
Post maris rubri transitum;
Nouum demus canticum,
Mortis soluti legibus,
Christo consurreximus.
Colite noui populi,
Rite Pascha Domini,
Paschalis Agni sanguine
Postes domus tingite;
Fermentum vetus pellite,
Azyma comedite.
Totis Christe visceribus
Tibi laudes reddimus:
Qui resorgens à mortuis;
Vltra iam non moreris.
A Sit Patri laus & parili
Decus omne Flamini. Amen.

XLI. De Ascensione Domini.

Ima Deus petiit, sed non excelsa reliquit;
Est ibi quò tendit, permanet vnde venit.

XLII. Hymnus in Ascensione Domini Ad Laudes.

CLara polorum culmina
Læta mirentur lumina,
Quæ penetrat Rex gloriæ
Cum triumpho victoriæ.
Qui morituros venerat,
Perempta morte remeat;
Victor ad astra nobilis,
Raptis gehennæ spoliis.
B Acclinis vt erigeret,
Venditus vt redimeret;
Spretis errantem pascuis,
Ouem reportat scapulis.
Iam caro lutum despice,
Cœlum tellus ingredere:
Nam membris via sternitur;
Quò caput ire cernitur.
Iesu decus angelicum,
Dulcedo, desiderium;
Et nos totis visceribus
Te fac ambire, quæsumus.
Da nobis in te viuere,
Ad te cor nostrum dirige,
Accendat nostra pectora
C Tuus amor in sæcula.

XLIII. Vbi Spiritus sanctus descendit super Apostolos.

Ignit Apostolicum linguarum flamma Senatum;
Germinat & varias quasi vox fœcunda loquelas.

In Annunciatione Beatiss. Virg. Mariæ, Hymnus.

XLIV. Ad Nocturnum.

TErrena cuncta iubilent,
Astra laudibus intonent,
Virginis ante thalamum
Laudes alternent dragmatum.
Hæc Virgo Verbo grauida,
Fit paradisi ianua,
Quæ Deum mundo reddidit;
D Cælum nobis aperuit.
Felix ista puerpera,
Euæ lege liberrima;
Concepit sine masculo;
Peperit absque gemito.
Diues Mariæ gremium,
Mondi gestauit pretium:
Quo gloriamur redimi,
Soluti iugo debiti.
Quam Patris implet Filius;
Sanctus obombrat Spiritus;
Cœlum fiunt castissima
Sacræ puellæ viscera.
Sit tibi laus Altissime,
E Qui natus es ex Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

XLV. Ad Laudes.

AVrora velut fulgida,
Ad cæli meat culmina;
Vt Sol Maria splendida,
Tanquam luna pulcherrima.
Regina mundi hodie
Thronum conscendit gloriæ,
Illum enixa filium,
Qui est ante Luciferum.
Assumpta super Angelos

Excedit & Archangelos;
Cuncta Sanctorum merita
Transcendit una fœmina.
Quem souerat in gremio,
Locarat in præsepio,
Nunc Regem super omnia
Patris videt in gloria.
Pro nobis Virgo Virginum
Tuum deposce Filium;
Per quam nostra susceperat,
Vt sua nobis præbeat.
Sit tibi laus Altissime.
Qui natus es de Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

XLVI. *In eadem Annunciatione Beatiss. Virginis Mariæ. Ad Missam, Præfatio.*

Per Christum Dominum nostrum: Qui intemeratæ Genitrici gratia plenæ, per Archangeli Gabrielis oraculum, hodierna die salutatis aduentus sui patefecit arcanum: quique verecundis vuluæ flore conceptus, fermentū vetus in azymam vertit: quia hominem induens, humanæ naturæ originaliter vitiatæ contagia non contraxit. Loricam nempe sibi de nostra fragilitate composuit, in qua exultans vt gigas, & potens ac fortis in prælio, potestates aëreas debellauit. Infimæ se carnis obtexit velamine, qui erat omnipotens in perennis essentiæ maiestate: dumque se humanæ naturæ Verbum Patris vniuit, in virginalis alui thalamo cælestis Sponsus sanctam sibimet Ecclesiam fœderauit, pro cuius amore angustias materni non dedignatus est vteri, qui infinita latitudine non capitur cæli. Quem laudant Angeli.

XLVII. *In Assumptione ipsius Sanctissimæ Virginis, Hymnus ad Vesperas.*

Gaudium mundi, noua stella cæli
Procreans Solem, patiens Parentem;
Da manus lapsis, fer opem caducis,
Virgo Maria.
Te Deo factam liquet esse scalam,
Qua tenens summum, petit altus imum;
Nos ad excelsi remeare cæli
Culmina dona.
Te beatorum choros Angelorum,
Te sacri vates & Apostolorum
Ordo prælatam sibi cernit vnam
Post Deitatem.
Aula cælestis speciosa Regis,
Fulta septenis Sophiæ columnis:
Quem nequit totus cohibere mundus;
Claudis in aluo.
Quem tremunt cæli, metuunt abyssi,
Fluminum guttæ, maria & procellæ,
Laudat occasus, veneratur ortus,
Stringis in vlnis.
Lacte nutritur cibus Angelorum,
Fertur innuptæ gremio puellæ:
Qui sua latæ ditione terræ
Pondera librat.
Sit decus summo sine fine Christo;
Sancta quem Virgo genuit Maria:
Qui Patri compar, Flaminique sancto,
Regnat in æuum. Amen.

XLVIII. *Ad honorem Sanctæ Mariæ Virginis. Officium quotidianis diebus. Ad Vesperas. Hymnus.*

Sydus Maria splendidum,
Te laudat omne sæculum,
Ex qua sub mundi vespere:
Sol ortus est iustitiæ.

A Da cor tenebris eripi,
Da vera luce perfrui;
Quæ noctem vitæ veteris
Nouis illustret meritis.
Per te purgemur vitiis,
Soluamur culpæ vinculis;
Mens vulsis spinis eruta
Virtutum ferat germina.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini. Amen.

XLIX. *Lectiones ad Matutinum, Lectio prima.*

Beata Dei Genitrix, Virgo Maria, templum Dei
B viui, aula Regis æterni, sacratium Spiritus sancti. Tu virga de radice Iesse. Tu cedrus in Libano. Tu rosa purpurea in Iericho. Tu Cypressus in monte Sion: quæ singulari priuilegio meritorum, sicut excelsis in hominibus comparem, ita nihilominus & Angelicam superas dignitatem. Cui nouo & inaudito miraculo datum est, vt Verbum, quod ante sæcula Deus genuit, fieret Filius tuus; & homo, quem tu in fine sæculi genuisti, verus atque perfectus esset Filius Dei.

L. *Lectio secunda.*

O gloriosa puerpera, in qua sola reperitur fœcunda virginitas: quæ sic es intemeratis visceribus Filiū protulisti, vt illibatæ pudicitiæ integritas cresceret, non libido virginalis clausulæ signaculum
C violaret. Tibi Spiritus sanctus dum cooperaret obumbrauit: non vt ipse, quod absit, in sacratissimo vtero tuo fieret pro semine sobolis; sed vsus est potius virtute, ac potentia Creatoria. De te Summus Pontifex noster sui corporis hostiam sumpsit, quam in ara Crucis pro totius mundi salute sacrificium obtulit. Tu lux oriens Nasareth, tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu decus mundi, tu nobilitas populi Christiani.

LI. *Lectio tertia.*

O Regina mundi, scala cæli, thronus Dei, ianua paradisi, audi preces pauperum, ne despiciat gemitus miserorum. Inferantur à te vota nostra atque suspiria conspectui Redemptoris, vt quæ
D nostris excluduntur meritis, per te locum apud aures diuinæ obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solue compeditos. Per te succidantur vepres & germina vitiorum; præbeantur flores & ornamenta virtutum. Placa precibus Iudicem, quem genuisti singulari puerperio Saluatorem: vt qui per te factus est particeps humanitatis nostræ, per te quoque nos consortes efficiat diuinitatis suæ. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

LII. *Hymnus ad Primam.*

Beata Dei Genitrix,
Nitor humani generis;
Per quam de seruis liberi,
E Lucisque sumus filii.
Fac tuum nobis Filium
Pia prece propitium:
Quem grauiter offendimus,
Tu mitem redde quæsumus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine;
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini. Amen.

LIII. *Hymnus ad Tertiam.*

Maria decus hominum,
Regis æterni solium,

Septem columnis edita
Domus à Sapientia.
Tu nos venturo Iudici
Commenda prece supplici:
Tuis intentos laudibus
Mitis cernat ac placidus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini. Amen.

LIV. Hymnus ad Sextam.

MAria Templum Domini,
Dei mater & hominis,
Tunc verè Virgo Virginum,
Cùm peperisti Filium.
Da nobis hunc in feruido
Mentis gestare gremio;
Ex tua carne genitus,
Nostris regnet in sensibus.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine:
Sit honor ineffabili
Patri, sanctoque Flamini. Amen.

LV. Hymnus ad Nonam.

O Singularis fœmina,
Sola Virgo puerpera,
Præclara vitæ ianua,
Qua cœli patent atria.
Tu nos culparum nexibus,
Sacris absolue precibus:
Tua promentes merita
Ad cæli transfer præmia.
Sit tibi laus Altissime.
Qui natus es de Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

LVI. Hymnus ad Completorium.

MAria Virgo regia
Dauid stirpe progenita,
Non tam paterna nobilis,
Quàm dignitate sobolis.
Tu nos auulsos veteri,
Complanta nouo germini:
Per te fit genus hominum
Regale sacerdotium.
Sit tibi laus Altissime,
Qui natus es ex Virgine,
Sit honor ineffabili
Patri, Sanctoque Flamini. Amen.

LVII. Istæ Orationes dicantur per Horas diti.

Deus, qui Filium tuum ad nos per Virginem dignatus es mittere, da nobis ad te, suffragantibus eiusdem B. Mariæ precibus, ingrtet festinare. Per eumdem Dominum.

LVIII. Alia.

Deus, qui humanæ substantiæ veritatem de virginalis vteri materia suscepisti, da nobis Beatæ Genitricis tuæ precibus ita degenerem exuere vetustatem, vt ea nouæ regenerationis induamus Auctorem: Qui cum Patre.

LIX. Alia.

Concede nos quæsumus, omnipotens Deus, B. Mariæ semper Virginis precibus subleuari, per cuius ineffabilem partum procurasti salutis humanæ remedium. Per Dominum.

LX. Alia.

Deus, qui vitiatæ stirpis originam per virginalis vteri reparas dignitatem: concede propitius, vt quos proprij reatus moles grauat, intercessio Beatæ Dei Genitricis attollat. Per Dominum.

A *LXI. Rithmus de S. Maria Virgine.*

O Genitrix æterni,
Virgo MARIA Verbi,
Quæ vox, quæ lingua carnis,
Par erit tuæ laudis?
Tu noua maris stella,
Celsa poli fenestra,
Scala quæ cælum terris,
Iungis ima supernis.
Immensum concepisti,
Parentem peperisti,
Fit factor, & factura,
Creans & creatura.
Quem mundus ferre nequit,
Totum vulua concepit:
B Quo circuitur æther,
Puellæ clausit venter.
Serui forma indutus,
Diuina non exutus;
Suscepit quidem tua;
Sed non amisit sua.
Oritur ortus rerum,
Fit antiquus dierum:
Orbis origo cœpit,
Factus ex his quæ fecit.
Conceptus fœcundauit,
Natus non violauit;
Intrauit & exiuit;
Sed clausam dereliquit.
Tu Aaron es virga,
C Fœcunda, licet sicca:
Quæ germen protulisti,
Sed Virgo permansisti.
Te rubus præfulgebat,
Qui ardens non ardebat:
Quæ sine æstu mentis
Fructum dedisti ventris.
Et ante partum Virgo
Sed post Virginum Virgo;
Creuit in ortu prolis
Integritas pudoris.
Est Angelorum cibus,
Tuo lacte nutritus:
Qui mari præbet vndas;
Papillæ sugit guttas.
D Geris in sinu prolam,
Qui terræ librat molem;
Foues, à quo foueris;
Seruas, à quo tueris.
Blandire Mater charo,
Qui te creauit Nato:
Oscula grata fige,
Fasciis membra cinge.
Amplectare cælestem,
Quem genuisti Regem;
Cui seruit Sol & Luna,
Et omnis Creatura:
Chori Virtutum tremunt,
E Quem viles panni tegunt:
Pauet cælum & terra,
Quem baiulat puella.
Vagit in sinu Matris,
Regnat in throno Patris:
Legem Matris obseruat,
Mundi iura gubernat.
Tu fontis fons viuentis,
Oriens Orientis,
Liber ille signatus
Victori viro datus.
Tu porta templi clausa,
Superni Regis aula;

Ærarium talenti,
Per quod sumus redempti.
Hortus deliciarum,
Odor suauitatum;
Tu ager ille planus,
Cui benedixit Deus.
Ex te botrus egressus,
Qui Crucis prælo pressus,
Vino rigat arentes
Sancti Spiritus mentes.
Es & terra cælestis,
Ferax lactis & mellis:
Ex qua Veritas orta
Tollit errorum dogma.
Arcem nobilitatis
De prolis stirpe trahis:
Filia quidem Regum,
Sed Mater Regis regum.
Salua iam Virgo fœta,
Aua gratia plena:
Nostrum aue digneris,
Vt illud Gabrielis.
Illa dum te salutat,
Euæ nomen commutat:
Redne nos Virgo sancta,
Vnde est nequam lapsa.
Tu solua quod debemus,
Auerte quod timemus,
Impetra quod optamus,
Perfice quod speramus.
Sit laus Trinitati,
Sit decus Vnitati:
Cui lex & ordo rerum
Per omne patet æuum. Amen.

LXII. Rithmus de eadem Sanctissimâ Virgine.

QVis est hic, qui pulsat ad ostium,
Noctis rumpens somnum?
Me vocat, ô Virginum pulcherrima,
Soror, coniunx, gemma splendidissima;
Citò surgens aperi dolcissima;
Ego sum summi Regis Filius,
Primus, & nouissimus;
Qui de cælis in has veni tenebras,
Liberare captiuorum animas:
Passus mortem, & multas iniurias.
Mox ego dereliqui lectulum,
Cucurri ad pessulum:
Vt dalicto tota domus pateat,
Et mens mea plenissimè videat,
Quem videra maxime desidarat.
At ille iam inde transierat,
Ostium reliquerat.
Quid ergo miserrima, quid facerem?
Lacrymando sum secuta iuuenem,
Manus cuius plasmauerunt hominem.
Vigilas vrbis inuenerunt me,
Espoliauerunt me,
Abstulerunt & dederunt pallium,
Cantauerunt mihi nooom canticum;
Quo in Regis inducar palatium. Amen.

LXIII. Rithmus super Salutatione Angelica.

AVe Dauid filia, sancta mondo nata,
Virgo prudens, sobria, Ioseph desponsata;
Ad salutem omnium in exemplum data,
Supernotum ciuium consors iam probata.
Maria miseria per te terminatur,
Et misericordia per te reuocatur,
Par te nauigantibos stella maris datur,
Lumeo viæ panditur, portus demonstratur.

A Gratia te reddidit cunctis gratiosam;
Te vestiuit lilio, sparsit in ta rosam;
Ta virtutum floribus fecit speciosam,
Intus & exterius totam luminosam.
Plena medicamine, abundans vnguantis;
Terge sordes crimioum, plagam sana mentis;
Huius tui supplicis in te confidentis,
Et hos sacros rithmos coram te psallentis.
Domious Rex omoium ex te sibi fecit
Cellam pigmeotariam, quam cunctis præfecit:
In qua miras species Saluaior confecit,
Quibus omnes dulcitar Electos rafecit.
Tecum tota Trinitas facit mansionem,
Pater, Verbum, Spiritus, fixit sessionem;
Propter quod nunc largiùs ad deuotionem
B Ta ipsam fidelibus præbes lectiooem.
Benedicta benedic te benedicentes,
Fac io tuis laudibus sint proficientes,
Infige dulcedinem iu tuorum mentes,
Vt io bonis actibus semper sint ferueotes.
To in mulieribus optima figura,
Quæ Regis es gloriæ Mater, Virgo pura;
Quo probatis dignior omni creatura,
Hoc agente Domino singulari cura.
Et benedictus Deus, qui cuncta creauit,
Qui matris in vtero ta sanctificauit,
Benedictus filius, quem tuus portauit
Virginalis vterus, quem ipse formauit.
Fructus tuus Domina, fructus est cælorum;
Quo pascuntur Angeli, cœtusque Sanctorum:
C Christi meditatio cibus est eorum,
Qui per viam ambulant iam mandatorum.
Veotris babitaculum Rex regum intrauit,
Cuius tabernaculum sibi dedicauit:
Condens ibi gladium per quem hostem strauit;
Et manna dulcissimum quo fideles pauit.
Tui sapor germinis nostrum est solamen,
Per te vitæ sumpsimus æternæ libamen:
Quam det nobis Dominus per tuum iuuamen,
Qui viuit in sæcula sæculorum. Amen.

LXIV. Ad eamdem sanctiss. Virginem, Versus contra tempus nubilosum.

OMisatatrix, ô dominatrix præcipe dictu,
Ne deuastemur, ne lapidemur grandiois ictu;
D Est tibi latus Pontificatus mater ab æuo:
Ergo precamur, oe moriamur turbine sæuo;
Turbida leni, daque sereni temporis vsum:
Redde serenum sydos amœnum, nube reclusum,
Virgo rogamus, ne pereamus peste, vel ira,
Terra dicscant, atque quiescant fulgura dira.

LXV. Paracltericum Carmen de eadem Sanctissima Virgine.

SCala, thronusque Dei, ostor orbis, ianua cæli;
Mater aue Christi, scala throousque Dei.
To noua stella maris, qua lux est reddita terris;
Ortus & es Solis, tu noua stella maris.
Concipis absque viro, tu sola puerpera Virgo;
Quæ Verbum varbo concipis absque viro.
Tartara quod metuût, tellus pauet, astra verentur;
E Pectoris antra ferunt, tartati quod metuunt,
Virgina vita redit homini, quem virgo peremit;
Mors neca victa perit, Virgine vita redit.
Tu super astra leua, petimus, quod subruit Eua;
Illa grauat culpa, tu super astra leua,
Gloria summa Patri, genitæ sit gloria Proli,
Flamine cum parili, gloria summa Patri. Amen.

LXVI. Missa de S. Daniele Propheta.

Oratio.

Deus, qui antiquis Patribus ooaæ gratiæ mysterium teuelasti, præsta quæsumus: vt Ecclesia tua Danjelis foueatur auxiliis, cuius propheticis

est ædificata doctrinis. Per Dominum.

LXVII. Alia Oratio.

Deus, qui per vtriusque testamenti Patres vnius Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis, da nobis B. Danielis patrocinio protegi, cuius famus mysticis reuelationibus salubriter instituti. Per Dominum.

LXVIII. Secreta.

Deus, qui Susannam per B. Danielis iudicium liberasti, hæc munera propitius respice, atque eius precibus venerandis ab omni nos aduersitate defende: Per Dominum. *LXIX. Postcommun.*

Deus, qui per Abacuc prophetam B. Danieli prandium destinasti, ipso interueniente concede: vt quæ de cęlesti mensa percepimus, sinceris mentibus illibata seruemus. Per Dominum.

LXX. De S Ioanne Baptista.

Præuia materno Verbum vox sentit in aluo.

LXXI. De S. Petro Apost.

Sperne maris nauem, cæli Petre suscipe clauem:
Fluctibus & spretis, portum mihi redde quietis.

LXXII. De S. Petro Apost. Hymnus.

SEnatus Apostolici
Princeps, & pręco Domini:
Pastor primæ fidelium,
Custodi gregem creditum.
Per pascua virentia,
Nos verbi fruge recreas:
Refectas oues pręuius,
Caulis infer cælestibus.
Supernæ claues ianuæ
Tibi Petre sunt traditæ:
Tuisque patent legibus
Terrena cum cęlestibus.
Tu petram veræ fidei,
Tu basim ædificij
Fundas, in qua catholica
Fixa surgit Ecclesia.
Vmbra tua dum graderis,
Fit medicina languidis;
Textrinis vsa vestium
Spreuit Tabitæ feretrum.
Catena vincta gemina
Virtus soluit Angelica,
Veste sumpta cum caligis
Patescunt fores carceris.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXIII. De S. Paulo Apost.

Mellifluis omnem Paulus rigat imbribus Orbem.

LXXIV. De S. Paulo Apostolo. Hymnus.

PAule Doctor egregie,
Tuba clangens Ecclesiæ,
Nubes volans ac tonitrum
Per amplum mundi circulum.
Nobis potenter intona,
Ruraque cordis irriga,
Cælestis imbre gratiæ
Mentes virescant aridæ.
O magnum Pauli meritum,
Cælum conscendit tertium,
Audit verba mysterij,
Quæ nullis audet eloqui.
Dum Verbi spargit semina,
Seges surgit vberrima;
Sic cæli replent horreum
Bonorum fruges operum.
Micantis more lampadis,
Perfundit Orbem radiis,
Fugat errorum tenebras,

A Vt sola regnet veritas.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXV. De S. Andrea Apost. Hymnus.

CAptator olim piscium,
Iam nunc piscator hominum,
Tuis Andrea retibus
Mundi nos rape fluctibus.
Germanus Petri corpore,
Nec mortis dispar ordine:
Quos vna caro genuit,
Crux cælo fratres edidit.
O germen verè nobile!
B O par corona gloriæ!
Ecclesiæ Patres pij,
Crucis sunt æque filij.
Ad Iesum fratri præuius,
Index que vitæ strenuus,
Et nobis esto miseris
Beati dux itineris.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXVI. Diuisio.

ANdreæ festum colitur,
Lux clara piis oritur;
Per quem tenebras deserunt,
C Ad verum lumen redeunt.
Ægeas in Apostolum
Minaci frendet spiritu:
Per quem Achaiæ populum
Cernit ire post Dominum.
Nescit minas pauescere,
Nequit tormentis cedere,
Flammantis ardor fidei
Non sentit vim supplicij.
Crucis vinctus patibulo,
Lętus pendebat biduo:
In ipsa morte positi
Vitæ manat eloquium.
Luce delapsa cælitus
D Repente circumfunditur;
Qui sic obire metuit
Lucis Auctorem petiit.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXVII. De S. Ioanne Apost. & Euang. Hymnus, Ad Vesperas.

VIrginis Virgo venerande custos,
Magnus æterni Logotheta Verbi;
Dele fetuntum facinus tuorum,
Sancte Ioannes.
Tu Patrem carnis subitò relinquis,
Sicque Cælestem sequeris Parentem;
E Piscibus spretis hominum iuberis
Claudere turbam.
Fonte prorumpens fluuius perenni
Curris arentis satiator Orbis,
Hausit ex pleno modo quod propinat
Pectore pectus.
Tu decus Mundi, iubar atque Cæli,
Impetra nostris veniam ruinis:
Da Sacramentum penetrare summum,
Quod docuisti.
Patris arcanum speculando Verbum,
Tollis errorem Fidei per Orbem,

Nos ad æternam speciem fruendam
Dux bone transfer.
Laus honnr Patri, parilique Pruli,
Vna Maiestas, eadem potestas,
Cum quibus Sanctus simul implet umnem
Spiritus Orbem. Amen.

LXXVIII. Ad Nocturnum.

FIdelis plebs cum Angelis
Festiuis plaudat gaudiis;
Natiuitatis Dnmini
Occurrit laus Apostoli.
Dilectus hic præ cæteris,
Apud Magistrum tenuit
Ob Virginale meritum
Amnris priuilegium.
Hausit ex Christi pectore
Fluenta sapientiæ:
Hinc arua cordis irrigat;
Et Verbum Patris insnnat.
Huic & in Cruce positus
Matrem cummendat Dominus;
Fit Mater Virgo Virgini,
Quem fouet vice filij.
Te pronis alme cordibus
Cæli Senatos pnscimus;
Da Verbi vultum cernere;
Quos Verbum doces credere.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXIX. Ad Laudes.

MAgna Ioannis merita
Sancta prumat Ecclesia,
Quam tenebris euacuat,
Vitæ verbis irradiat.
Huius cos in sublimibus
Sanctus suspendit Spiritus;
Vt prufunde latentia
Cernat alta mysteria.
Et illa felix Aquila
Ad escam vulat auida:
Quæ Cæli ciues vegetat,
Et nos in via recreat.
Hic in chnro tot millium
Primatum tenet Virginum;
Fit Agnn sic pedissequus,
Vt Matris iodiuiduus.
Sit Patri laus ingenitu,
Sit decus Vnigenitn,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

LXXX. Missa in Festo S. Bartholomæi Apostoli. Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam in Apostolicis voluisti consistere fundamentis, da nobis quæsumus, B. Bartholomæi precibus, & in recta Fide persistere, & piis sempes operibus abundare. Per Dominum.

LXXXI.

PRecibus B. Bartholnmæi Apostoli tui, Dnmine, quæsumus, hoc tibi munus oblatum, vitalis nobis perfice Sacramentum. Per.

LXXXII.

Quæsumus, Omnipotens Deus, vt dnnum Cæleste, quod sumpsimus, intercedente B. Bartholnmæo Apostoln tuo, non nnbis ad iudicium, sed ad salutis æternæ proueniat incrementum. Per.

LXXXIII.

Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt quæ B. Bartholomæi Apostoli tui est ædificata
A ductriuis, eius etiam continuis protegatur auxiliis. Per Duminum.

LXXXIV.

Concede quæsumus Omnipotens Deus, vt Ecclesia tua B. Barthnlnmæi Apostnli gaudeat suffulta præsidiis, cuius etiam magnificis infurmatur exemplis. Per.

LXXXV.

Quæsumus Omnipotens Deus, vt B. Bartholomæi Apostoli tui numquam nnbis desit auxilium, cuius quotidie non cessamus venerabilem honorare triumphum. Per.

LXXXVI. Missa in Translatione S. Matthæi Apostoli. Oratio.

Deus, cuius nutu per diuersa terrarum loca,
B ipsa quoque Sanctorum corpora disponuntur, tribue quæsumus: vt qui B. Matthæi Apostoli tui translationem colimus, ipsi etiam à prauitate nostra ad piè viuendi rectitudinem transferamur. Per.

LXXXVII.

Hæc Hostia, quæsumus Domine, vincula nostri reatus absnluat, & intercedente B. Matthæo Apostolu tuo, dnnum nobis gratiæ cælestis acquirat. Per.

LXXXVIII.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt qui Cælestia dnna percepimus, intercedente B. Matthæo Apnstnlu tuo, per hæc ad æternæ refectionis esuriem pruoueamur. Per.

C *LXXXIX. Missa de S. Barnaba Apostolo. Oratio.*

Deus, qui B. Barnabam Apostulis tuis in prædicatione sociasti, ad eius nos quæsumus tribue peruenire consortium, cuius gloriosum gaudemus celebrare triumphum. Per.

XC.

Oblata munera, quæsumus Dnmine, tua benedictione sanctifica, quæ te donante, illa nos flamma tuæ dilectionis accendat, per quam B. Barnabas omnia sui corporis turmenta deuicit. Per.

XCI. Postcommun.

Cælestis mensæ dapibus recreati, quæsumus Omnipotens Deus, vt intercedente B. Barnaba
D Apostnln tuo, quod ore percepimus, sincera mente seruemus. Per.

XCII. Oratio ad Vesperas.

Deus, qui B. Barnabæ Apostolu tuo post adustæ carnis incendia cælestis gloriæ refrigerium tribuisti, æstus in nobis quæsumus passionum carnalium reprime, & corda nostra gratiæ tuæ rore perfunde. Per.

XCIII. Versus de gestis Apostolorum.

COntinet hoc corpus Christus, quos lumina pandit,
Sal Mundi pariter esse sacrata Dei.
Omnia falsnrum, per quos figmenta deorum,
Ecclesia fulget, diruta valde iacent.
E Elegit Mundn Dnminus, quos ante Creator
Sæcula prænoscens esse Dei soboles.
Pectura replenit quorum pia Spiritus almus
Dans variis linguis alta tonare Dei.
Transferri muntes, soluendi iure ligandi
Terris, ac tribuit his pietate polis.
Isturum imperiu fugiunt Dæmonia sæua;
Corpura functorum vel rediuiua vigent.
Membris his sacris dans intima cernere cordis
Cælitus & fieri mira patrante Deo.
Hos vocitant Cælos, vates, nubesque volantes,
Arida qui Sanctu dugmate corda rigant.
Languores varios depellunt famine solo
Corporis, ast animæ per pietatis opem.

Lector

Lector Apostolicas benè prudens perlege palmas,
Credere ne dubites quas reuet alma Fides.
Istorum fines nescit, qui negligit istos.
Qualiter ætherea Regna beata tenent,
Cœtus Apostolicus Domini præcep a sequendo,
Per Fidei dogma clarus in orbe niter,
Hic codex retinet Petrum, Paulumque beatos,
Et geminos Iacobos, Bartholomæumq; Thomam
AndreamSanctu Simeonē, Thadæumq; Philippum,
Euangeli..as quatuor & Proceres,
Matthiam, pariter Barnabam regia vasa.

. . . .

Hi lapides nitidi fulgent in stemmare Christi,
Climata per mundi quos venerare licet.
Vna Fides tenuit, quos nunc tenet alma corona,
Vna quidem Christo gloria semper habet.
Martyriale decus, Confessorumque beatum
Ex his incipiunt, Virgineusque pudor.
Christicolæ cuncti hos semper celebrate patronos
Tempore solemni, voce canente Deo.
Cum quibus adueniens Iudex in limine sæcli
Reddere læta bonis, tristia ritè malis.
Omnipotens Dominus donet consortia nobis,
Omnibus in Sanctis luce perenne frui.

XCIV. Vnde supra.

SPiritus alme veni, perflato dindyma nostro,
Ad nostrum votum Spiritus alme veni.
Templa dicata tibi valeam quo extollere dignè,
Laudibus exaltem templa dicata tibi.
Quæ sine fine tenent cælorum gaudia celsa,
Gloria cum meritis quæ sine fine tent.
Ore Dei sobolem Prophetarum ritè Prophetæ,
Promit Apostolicus ore Dei sobolem.
Virginis hic Genitus purgauit crimina Mundi,
Tartara contriuit Virginis hic Genitus.
Damna poli Dominus restaurat mirè perempta
Sanguine restituit damna poli Dominus.
Rex pius ipse pios præcepit mergere lymphis,
Vexit ad alta poli Rex pius ipse pios.
Semina prana sator cumulauit fructibus amplis,
Centuplicare dedit semina praua sator.
Effera corda nitent istorum famine Sanctorum,
Per varios flores effera corda nitent.
Lilia mixta rosis violæ que per ...... flagrant
Sancta sen tent lilia mixta rosis.
Aurea Regna poli dispensat Christus vbique,
Discipulis tribuit aurea Regna poli.
Primitus alma Fides per Petrum clarior extat,
Eius odore nitet primitus alma Fides.
Roma beata nites Petri de corpore Sancti,
Dogmate quoque suo Roma beata nites.
Ampla trophæa crucis pro Christo pertulit ille,
Vertice versus abit ampla trophæa crucis.
Splendet vbique potens Paulus mirabilis actor,
Abscissus capite splendet vbique potens.
O veneranda nimis Petri, Paulique decore,
Romula, quos retines, ô veneranda nimis.
Facta salutis agens Iacobus per cuncta necatur,
Galliciæ recubans, facta salutis agens.
Idola cæca colens ..... Armenia nec non
Vertitur ad Christum Idola cæca colens.
Excoriate nites in Mundo Bartholomæe,
Vertice præcisus excoriate nites.
Optima gesta canens Macedonia ritè Matthæus,
In Persis passus optima gesta canens.
In cruce Petre tuus Germanus prædicat Orbem,
Achaiam saluans in cruce Petre tuus.
Eripit ille Simon crucifixus famine Salens.
Ægyptum simul eripit ille Simon.
Millia multa virûm Thadæus contulit ardens,
Pontus & Armenia millia multa virûm.

A Dogmata multa tulit Thomas transfossus in orbe,
Persis & Medis dogmata multa tulit.
Se super astra ferens purgauit schisma Ioannes,
Quem tenet Ephesius se super astra ferens.
Tactus amore Dei lap datur nempe Phillppus,
Cum vetit Gallos tactus amore Dei.
Iacobe ecce nites Domini sanctissime frater,
Præcipitatus abis, Iacobe ecce nites.
Inter Apostolicos numeraris sorte Matthia,
Iudæam saluans inter Apostolicos.
Vritur igne Dei Barnabas, qui dogmata damnat,
Dumque crematur obit, vritur igne Dei.
Quam speciosè micas Alexandria sanguine Marci,
Constantina simul quàm speciosè micas.
Te renitendo nitet fulgens Bithinia Luca,
Vrbs quoque regalis te renitendo nitet. (plex,
B Carmina parua dedit famulus pro munere sup-
Paruus, iners, tenuis; carmina parua dedit.
Numen Apostolicum dignanter suscipe munus,
Vota precesque pias Numen Apostolicum.

XCV. Rithmus de S. Vincentio Martyre.

CÆlum, Terra pontus, æthra,
Pariter elementa
Cuncta promant triumphalem
Summi Regis gloriam.
Qui Leonis rugientis
Rabiem per robustum
Bellatorem, mox victorem
Conculcauit Vincentium.
Ille nempe Daciani
C Spreuit iram Iudicis,
Truces minas & furorem,
Ceu susurros culicis:
Vincla, flagra, carcerales
Tenebras, ipsæ plagæ vulnerantur:
Morte mortibus adduntur;
Sed domus supra firmam fixa petram:
Nequit sterni vi ventorum, vel flaminum.
Fame corpus maceratum
Cernitur velut epulis
Nutritum sumptuosis,
Ac cibis regalibus.
Angelorum quippe cibus
Reficit ventrem mentis:
Se quærentis quæ nil sitit,
D Præter Deum vel esurit.
Sæuit, fremit, efferatur
Mox cruenta bestia:
Feruet, frendet, mouet cuncta
Tormentorum genera,
Ferrum, ignes, testulas, equuleum,
Torquet, torret, & compages
Diuidit articulorum,
Imprimit ignitarum laminarum
Sectis membris cæcus furor cauterium.
Christi miles premit vires
Viribus cordis, & digne
Carnis ignes extinguebat.
Sancto plenus Spiritu.
E Cæsus flagris, fossus plagis
Iubilat, desides horret
Tortores, solam timet
Leuitatem Carnificum.
Bella fremunt, hostes cædunt,
Hæc est lex victoriæ,
Pugna surgit, palma crescit,
Et coronæ gloria.
Clarus Christi triumphator,
Curiam summi Cæli purpuratus
Introiuit, comitatus nineo
Splendidorum Angelorum

Dulce carmen modulante Collegio,
Mox in latos corpus agros
Iacitur in sepulrum,
Fauent canes, tremunt aues
Propius accedere.
Ciues aruum fert thesaurum nobilem:
Non prædones, non latrones vt occultent,
Valent illud effodere
Nam vesanus Dacianus
Suit hunc herunculo
Velut in parricidali
Reum claudat culleo
Et marinis iubet mergi fluctibus,
Nequit pontus sacrum pondus cohibere,
Sed ad littus cælitus gubernatum deportatur,
Et festinos præuenit velox remiges,
Nunc serenum victor cælum
O Beate coronate,
Post triumphum
Martyr inuictissime,
In æterni luce Regni
Radians lapis viuus,
Clarum sidus cum igniris
Angelorum agminibus.
Post sudorem & laborem,
Post peractum stadium,
Tribuente iusto Rege,
Fert promissum brauium.
Trabeatus stola candidissima,
Solis ardor, Lunæ candor
Tuæ cedunt claritati,
Omnia superantur,
Quæ mirandum sui præbent
In hoc Orbe spectaculum.
Rector Cæli, Nate Dei petimus,
Leua mersos, solue nexos,
Magni sancti meritis Vincentij.
Tu quos multæ premunt culpæ, suscita,
Fige nostra sursum corda,
Quo nil ament præter Cælestia,
Da terrenis in extremis
Cæli celsa scandere,
Quos misertus redemisti
Pretioso sanguine,
Qui per æuum iura rerum ordinas.
Rex immensus & æternus,
Cuius nutum cuncta tremunt condita,
Qui cum Patre, Spirituque Sancto
Regnas infinita per sæcula. Amen.

XCVI. De S. Vitale Martyre. Hymnus ad Laudes.

INsigne decus Martyrum,
Astrum Vitalis aureum
Per gloriam certaminis
Vrbem perfundit radiis.
Ense præcinctus Fidei,
Christi succurrit militi:
Dum lapso manum porrigit,
Hostem calcare docuit
Equuleo suspenditur,
Sed pœna paruipenditur,
Amoris ardor intimi
Non sentit vim supplicij.
Terræ mersus infoditur,
Sed super astra tollitur:
Obruitur ruderibus,
Radiat in Cælestibus,
Nos Martyr inuictissime
Da post ruinam vincere:
Dignaeque post victoriam
Ad Cæli transfer gloriam.

A Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili,
Maiestas summa Flamini. Amen.

XCVII. In Festiuitate S. Anthimi. Hymnus.

INsigne decus Martyrum
Laus nostra promat Anthimum,
Cuius testantur omnia
Elementa victoriam.
Furores calcat Principum,
Manus ridet Carnificum,
Fundatæ robur Fidei
Non quassat vis supplicij.
B Post carcerum custodias,
Post verberum victorias,
Saxo vinctus suspenditur,
Et sic in fluctus mergitur.
Sed ô felicem naufragum!
Mox charum cernit Angelum,
Deponit præstò vinculum,
Liber redit hospitium.
Caput cæsus interiit,
Sed victor astra petiit,
Dum mortis fert atrociam,
Vitæ mercatur gloriam.
Magnis votorum laudibus
Dignus est Martyr Anthimus,
C Qui signis, & mirificis
Tot claruit prodigiis.
Hic Piniani languidam
Carnem, simul & animam
Cunctis morborum nexibus
Sacris absoluit precibus.
Vesana Dæmon furia
Quendam vexat in vulnera;
Pacis hostis expellitur,
Sic mens pacata redditur.
Te Martyr alme poscimus
Cordis, orisque vocibus,
Vt nos tremendo Iudici
Commendes prece supplici.
Sit Patri laus ingenito,
D Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

XCVIII. In solemnitate S. Vrsicini. Hymnus.

DVlce Martyr eximius
Festum præbet Vrsicinus
Quo victus victor extitit,
Et clarus astra petit.
Nam pœnas post horrificas
Carnis panet infirmitas,
Sed mox ad cor reuertitur,
Et lætus in se cæditur.
Dignæ raptor erubuit
Rapinæ cum succubuit,
Et Hoste lapso perdidit,
E Qui stant vulnus intulit,
Et nos inter certamina
Martyr insignis adiuua,
Da dissidentes fidere,
Victosque rursum vincere,
Sic animarum Medicus
Affer opem languentibus:
Haustu cælestis gratiæ
Ægræ curantur animæ,
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini,
Amen.

XCIX. *Missa Sanctorum Septem Dormientium.*

Oratio.

Deus, qui in Beatis Martyribus tuis Maximiano, Malcho, Martiniano, Dionysio, Ioanne, Serapione, & Constantino, futuræ resurrectionis primitias suscitasti: da nobis sic à Mundi perturbatione quiescere, vt ad cælestem vitam mereamur de terræ puluere vigilare. Per.

C.

Munera populi tui, quæsumus Domine, Beatorum Martyrum tuorum intercessione sanctifica: ac nos etiam per hæc à peccatorum maculis clementer emunda. Per.

C I.

Cælestis mensæ dapibus recreati, quæsumus Omnipotens Deus, vt nullis nos permittas erroribus decipi, quos per gloriosos septem Martyres, de beata Resurrectionis gloria confirmasti. Per.

C II. De S. Apollinare Episcopo & Martyre, ad Vesp. Responsorium.

Ait B. Petrus Apostolus Apollinari discipulo suo: Eia. Vers. Surge. Vers. Ecce enim eruditus es de omnibus, quæ fecit Iesus. Et perge. Vers. Multitudo enim populi illic moratur. Prædica. Vers. Constat enim apud te, quod verè sit Dei filius. Et ne for. Vers. Hodie splendidus Martyr Apollinaris victor penetrauit Cælum, gaudentes socij canite. Eia.

CIII. Hymnus ad Vesperas.

COnsul æterni trabeate Regni
Mente deuota petimus, labora
Curiam Cæli reserare plebi
Apollinaris.
Ianitor summi pius hoc Olympi
Annuat tanti famulis alumni,
Qui tuas gaudent resonare laudes
Dulcibus Hymnis.
Intimis pressam tenebris Rauennam
Dæmonumque vanis inhiando sacris,
Clarus Eois veniens ab oris
Lucifer intrans.
Cæcus orbati puer Irenæi
Te probat dextrum rutilare sidus,
Qui patri cordis, sobolique frontis
Lumina pandis.
Nil potest ægræ medicina Theclæ,
Nil prophanorum numerus Deorum,
Tu cor ad Cælum facis, atque lætum
Tollere vultum.
Læta Classensis mouet Ora ciuis
Viribus sacræ reserata linguæ,
Patris æternum reserata verbum
Verba fatentur.
Morte defunctam duplici puellam
Reddis vtrique miserando vitæ.
Flatus hinc carnem, Deus inde mentem
F Protinus implet.
Gloria Patri referamus illi,
Tanta qui dignis tribuit ministris,
Sit decus Nato, Flaminique sancto
Omne per æuum. Amen.

CIV. Ad Nocturnum.

CHorus exultet cælitum,
Turba plaudat fidelium,
Apollinaris passio
Mundi sit exultatio.
Cum morte carnis interit.
Sancto exutus corpore,
Stola vestitur gloriæ,
Carnis exuit ergastulum,
Cæli scandit Palatium.
A Exulta iam Metropolis
Rauenna verè nobilis,
Quod Roma in Clauigero,
Tu habes in Discipulo.
Te summe Præsul poscimus
Cordis orisque vocibus,
Vt nos venturo iudici
Commendes prece supplici.
Gloria sit ingenito
Patri, & Vnigenito,
Sancto simul Spiritui,
Deo indiuisibili. Amen.

CV. In Natali S. Apollinaris. Missa.

Introitus.

B Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque Pontificatum, & perge ad Vrbem, quæ vocatur Rauenna; prædica eiusdem nomen Iesu, & ne formidaueris. Psal. Mittat Dominus Iesus Christus Angelum suum qui præparet iter tuum, & quæ postulaueris, annuat tibi.

CVII. Oratio.

Deus, qui nos per B. Apollinarem Martyrem tuũ atque Pontificem Apostolicis voluisti documentis imbuere: da nobis quæsumus, & illa seruare quæ docuit, & ad hoc pertingere quod promisit. Per.

C V I I I.

Deus qui B. Apollinarem pro confessione tui nominis prunis impositum, suauitatis hostiam suscepisti: da nobis quæsumus, & piæ deuotionis in-
C censum tibi semper offerre, & contriti cordis hostias immolare. Per.

C I X.

Mittat Dominus noster Angelum suum, qui præparet iter tuum, & quæ postulaueris annuat.
Vers. Ponens Petrus manum super caput B. Apollinaris, dixit illi: Alleluia.

C X

Obsecramus suppliciter Christe Patris gloria, lux mundi vera, porrige lapsis famulis dexteram, stare qua valeant contra callidi hostis certamina fauente nobis tua clementia. Vers. Deus qui operaris cum Petro Magistro meo, operare & mecum,
D vt clarificetur nomen tuum.

C X I.

Clara nobilis præconia Apollinaris cælica Martyris lætis promant vocibus agmina.

Omnis & Orbis quardua dramatum dulce melos resonent climata.

Exultet meritò nimis alumna tam egregij ciuis Antiochia.

Plaudat præcipuè fœlix Rauenna sacro eius cruore purpurata.

O virtus noua vinci nescia, ô turris Dauid inuictissima, cuncta pro nihilo reputans tormentorum genera.

Alta viscerum ridens vulnera, dura verberum
E spernens stigmata, aqua refrigerat feruida membra flammis torrida.

Carcerales hinc tenebras, longa ferens exilia, famis quoque pertulit inopiam, sustinuit Equulei suspendia.

Catenarum mox vincula sacra vinciunt brachia, contundere non timet os rabida cum lapide carnificis insania.

Euiscerans claustra tartarea, exanimem Patritij suscitauit filiam.

Quis referat quot cæcorum lumina, quot languida Diuinitus reparauit corpora?

Petimus Ecclesiæ radians sidus, & lucerna Pontificum nitida, Martyrumque gemma.

Pectora nostra prece sedula vitiis emunda, vlt-

Cum Tuscia Italia,
Nobilis Monarchia,
Sanctorum Domicilium
Quam sacrat Aritium
In qua lucerna Præsulum,
Via, forma, speculum,
Donatus Martyr inclitam
Obtinet Basilicam,
Seruat & Ianuarium
Cœli Sidus aureum.
Quem non humana studia
Non linguæ facundia,
Dignè valet extollere
Pro merito gloriæ,
Nam quæ perferre potuit,
Quis referre poterit?
Caminum per continuum
Vaporatur triduum,
Vt quo crematur longius,
Cremet post velocius,
Hunc Martyr dum ingreditur
Nec capillus læditur.
Solante mox Angelico
Gaudet contubernio,
Dum globi strident ignei
Crescit ardor Fidei,
Sic flamma desiderij
Perit vis incendij
Victor ab igne trahitur,
Ad tribunal rapitur,
Consulitur, imperitur,
Eadem vox redditur,
Nam fixa super stabilem
Domus viget lapidem.
Cum caro pœnis cingitur,
Mens in astra figitur,
Tormenta reddunt leuia
Visa illic præmia.
Sic pœnas mille mortium
Dulce credit otium.
Sæuæ manus Carnificum
Neruos vellunt viscerum,
Compages laxa soluitur,
Postquam nexus tollitur,
Fit diuersus exitus,
Multiplex interitus.
Hinc traditur ferocibus
Belluarum morsibus
Feræ sed indomabilem
Reponentes rabiem,
Dimissa colla cælitus
Sacris flectunt precibus,
O Lucifer Hesperiæ,
O decus Ecclesiæ,
Quis tua possit omnia
Promere præconia?
Non hoc implere nitimur,
Sed gaudendo vincimur.
Te pronis ergo mentibus
Supplicantes petimus,
Nos culpæ nostræ debitis
Tuis solue meritis,
Et Electorum cœtibus
Sacris iunge precibus.
Sit laus Patri ingenito,
Sit eius vnigenito,
Sit vtriusque pari i
Decus omne Flaminis.
Cuius vna potentia
Cuncta regit sæcula.
Amen.

A CXXII. *De S. Fidele Martyre, Hymnus.*

MAgna Fidelis merita
Sancta promit Ecclesia,
Qui morte mortem perdidit,
Et victor astra petiit.
Abiecto carnis onere
Stola vestitur gloriæ,
Tersis ab ore lacrymis,
Veris potitur gaudiis.
Vt ense cæsus moritur,
Sæua tempestas oritur,
Sic inrentatur impiis
Vindicta iusti Iudicis.
Quendam ex Carnificibus
Malus inuadit Spiritus,
B Mox Sacræ glebæ iungitur,
Dira pestis excluditur.
Cordis, orisque precibus
Te Martyr alme petimus,
Nos tua per vestigia
Ad vitæ ducas præmia.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

CXXIII. *De S. Gregorio Papa. Hymnus.*

ANglorum iam Apostolus,
Nunc Angelorum socius,
Vt tunc Gregori Gentibus,
Succurre iam credentibus.
C Tu largas opum copias,
Omnemque mundi gloriam
Spernis vt inops inopem.
Iesum sequaris Principem.
Videtur egens naufragus,
Dum stipem petit Angelus,
Tu munus iam post geminum
Præbes & vas argenteum.
Ex hoc te Christus tempore
Suæ præfert Ecclesiæ,
Sic Petri gradum percipis,
Cuius & normam sequeris.
O Pontifex egregie,
Lux, & decus Ecclesiæ,
Non sinas in periculis,
D Quos tot mandatis instruis.
Mella cor obdulcantia
Tua distillant labia,
Flagrantum vim aromatum
Tuum vincit eloquium.
Scripturæ Sacræ mystica
Mirè soluis enigmata,
Theorica Mysteria
Te docet ipsa Veritas.
Tu nactus Apostolicam
Vicem, simul & gloriam,
Nos solue culpæ nexibus,
Redde polorum sedibus.
Sit Patri laus ingenito,
E Sit decus vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

CXXIV. *De S. Benedicto Abbat. Hymnus.*
Ad Vesperas.

GEmma cælestis pretiosa Regis
Norma Iustorum, via Monachorum,
Nos ab immundi Benedicte Mundi
Subtrahe cœno.
Tuum solum spernens, cor in astra figens
Cogis hæredes fieri parentes,
Vas Deo plenum reparare fractum.

Promeruisti,
Magnus in paruis Eremita membris,
Vincis ætatem, superas laborem
Arcta districtæ rudimenta vitæ
Feruidus imples.
Strage saxorum puerum sepultum,
Mox vt orasti, prece suscitasti,
Sensus hinc carni, caro sanitati
Redditur æque.
Iure subblandæ specie columbæ
Nesciam fellis animam Sororis
Summa stellati penetrare Cæli.
Culmina cernis,
Ipse post clarum referens triumphum,
Celsa deuicto petis astra Mundo
Luce flammantem radiante cellam
Pallia sternunt.
Laus honor Patri, parilique Proli
Vna Maiestas, eadem potestas,
Cum quibus Sanctus simul implet omnem
Spiritus Orbem. Amen.

CXXV. *Ad Nocturnum.*

Signifer inuictissime,
Sacræque Dux Militiæ,
Nos Benedicte valido
Precum defende brachio.
His armis execrabilem,
Leonis vince rabiem,
Quibus olim retertimant
Pellis abore Memlam.
Vrticæ iunctæ vepribus,
Vulnus curant vulneribus;
Flammata mens diuinitus
Ignes extinguit ignibus.
Crucem mittens vt lapidem;
Veneni frangis Calicem,
Non valet mortis vasculum
Vitæ ferre signaculum.
Frater, quem tunc nequissimus
Vagum raptabat Spiritus,
Dum tua virga cæditur,
Stabilitati redditur.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

CXXVI. *Ad Laudes.*

Aurora surgit aurea
Festa restaurans annua,
Cum Benedictus arduum
Cæli scandit Palatium.
Quanta in summis accipit,
Qui sic in imis claruit,
Cuius micant prodigia
Per ampla Mundi climata.
Eius carentum gratia
Tellus vomit cadauera,
Deuotis vnda liquida
Sicca lambit vestigia.
Totius Orbis ambitum
Per Solis videt radium,
Mens in Auctore posita,
Subiecta cernit omnia.
Te pater alme, petimus
Pronæ mentis visceribus,
Vt Cælum des ascendere,
Quos Terram doces spernere.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

A

CXXVII. *Epitaphium Lodoici Sancti Presbyteri.*

Vir Domini clauso iacet hoc Lodoicus in antro
Cui sine carnificum sit nece martyrium.
Vinum respuerat, panem non protsus edebat
Hebdomas binum, sic dabat vna cibum.
Ordine diuerso pictor fuit, atque sacerdos,
Obtulit ex æquo munus vtrumque Deo.
Lux oriens Vrbi, lux omni claruit Orbi,
Arsit, & incendit, iuit, & ire dedit.
Ecclesiæ speculum, viuus lapis, hostia, templum,
Nos precibus releua quos mala nostra grauant.

CXXVIII. *In Natali Confessorum Pontificum. Hymnus.*

B Sacri Pontificis annua emicat Natalis,
Celebrans plebs pia gaudeat, & læto
Resonet pectore carmina Christo,
Qui regit omnia.
Hic spernens proprij gaudia corporis,
Longum sustinuit Martyrium Crucis
Tormentum grauius vulnere pertulit,
Qui tortor suus extitit.
Sacræ militiæ signifer inclytus
Virtutum fuerat forma sequentibus,
Accendens validis pectora vocibus.
Præclaris quoque moribus.
Bis senos lapides pectore detulit,
Bis tinctæ tunicæ tegmine splenduit
Cui tintinnabula dulciter obstrepunt:
Mala punica destuunt.
C Ipsius precibus Conditor omnium
Demersos releua pondere criminum:
Cui laus, imperium, summaque gloria
Sit per omnia sæcula. Amen.

CXXIX. *Ad Laudes.*

Christe Sanctorum gloria,
Certantium victoria,
Nos Confessoris precibus
Culparum solue nexibus.
Fac nos imitabilia
Eius sequi vestigia,
Tu sis commune præmium,
D Qui factus es & pretium.
Nam hic in info positus
Celsis præstabat moribus,
Humilis erat ordine,
Claro sublimis opere.
Intenta mens cælestibus
Mundanos horret strepitus,
Nil iam delectat anxiam,
Quod non ducit ad patriam.
Accensus illuc spiritus
Totis anhelat nisibus,
Iam cernit in ænigmate
Lumen inaccessibile,
E Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Vnigenito,
Sit vtriusque parili
Maiestas summa Flamini. Amen.

CXXX. *De Omnibus Sanctis. Versus.*

Edidit nomina eorum in mendo fortitos,
Quorum imbuit per singala bimos, trimosque
Hos pariter sæcli doctrina medelam,
Nec non Diuina præstauerat gratia gradis,
Vtque possint febris putres explodere pestes,
Atque salutiferam morbis impendere curam,
Artubus horrendas pellentes corpora des.
Et mutos, clandos, surdosque repertos,
Luscos, ac strambos, qui sæuis verba loquelis
Fantes corrumpunt, & quicquid debile fertur,
Cælitus instaurant Christo donante salutem.

Sicque luce carnis trudunt medicamine spurcæ, A
Nec tamen eximio viturum munere dites
Auri fallentis gestant marsupia farsas,
Et loculos nummi calcant, vt terra venena,
Omnia donante gratis pro stirpe superna.
Princeps interea mundi, qui sceptra regebat,
Martyres ed'ictis mulctabat trucibus atrox.
Tum sanctos pelagi gurgite merserat fratres
In pontum fretos virtute tonantis
Algidas & vitreis mirescunt æquora frustis,
Dum dicto citius sanctos ad littora vectant.
Sic comptessa salis sacra virtute potestas,
Turgida fluctiuagis sopiuit Cærula campis,
Dextera dum Patris portum patefecit immundus,
Impius id quod cernens vexilla trophæi,
Altera Gorgoneis molitur damna venenis. B
Nam truculenta ferox flammarum pabula teret,
Et sacramentorum fornacem fomite farcit,
In quam fragrantem sacros detrudere iussit,
Vt rogus insontes prunarum torte cremarent
Artus, quos dudum turgescens gurgite pontus
Mergere nequibat, lympharum fluctibus atris.
Sic facula flammæ fornacis fomite friget,
Vt miles Christi neglecto turbine flammæ
Redderet ingentes pro vita sospite grates,
Ceu Salamandra rogis solet insultare focorum,
Quamuis congerie glomerentur forte rogorum,
Tunc cruc s in patulum coguntur scandere robur
Atque Pharetrarum densas sufferre sagittas.
Mox Sator æternus, qui sancto iure triumphat,
Spicula tortorum confregit dira reorum.
Exin Martyrij sumpserunt serta cruenta C
Ad conuexa poli migrantes culmina celsi.

CXXXI. De Annuntiatione Virg.

Ecce parat clausam Regi prænuncius aulam.

CXXXII. De Natiuitate Domini.

Natus ab æterno, prodit de Virginis aluo.

CXXXIII. De Cœna Domini.

Qui caput est iussis, vestigia tergit alumnis.
† voluit, f. Quod † veruit parti, Petrus vult soluere toti.

CXXXIV. De Baptismo Domini.

En fluuius fontem: mundum lauat vnda lauantem
Ablue Iordanis, à quo magis ipse lauaris.

CXXXV. De S. Ioanne Baptista.

Præuia materna Verbum vox sentit in aluo.

CXXXVI. De Oblatione Domini.

Non capitur Cælis, Simeon quem stringit in vlnis. D

CXXXVII. Vbi pueri dicunt, Osanna.

Astra, polus, terra metuunt, quem portat asella:
Voce Deo magna cœtus depromit Osanna.

CXXXVIII. Transfiguratio Domini.

Hic Deus ostendit, quod carnis tegmine clausit.

CXXXIX. Dominus dicit discipulis suis: Vigilate.

Quos sopor oppressit, vigilum Rex surgere iussit.

CXL. Vbi Iudas Dominum tradit.

Falsa ferox blando Lupus oscula porrigit Agno.

CXLI. De Patena.

Esum perpetuæ pariunt hæc fercula vitæ.

CXLII. Vbi Christus rogat Patrem.

Pattem Christe rogas, cum quo simul omnia donas.

CXLIII. De Ascensione Domini.

Ima Deus petiit, sed non excelsa reliquit: E
Est ibi quò tendit, permanet vnde venit.

CXLIV. Vbi Spiritus sanctus descendit super Apostolos.

Ignit Apostolicum linguarum flamma Senatum,
Germinat & varias quasi vox fœcunda loquelas.

CXLV. De S. Petro.

Sperne maris nauem, Cæli Petre suscipe clauem:
Fluctibus & spretis, portum mihi redde quietis.

CXLVI. De S. Paulo.

Mellifluis omnem Paulus rigat imbribus Orbem

CXLVII. De illo qui moratur in odio.

Qui manet in tenebris, nescit vestigia pacis:
Collirium reuelet, cum te glaucoma perurget.
Acre suaue creat regmen malè recta reuelat:
Nox reparat lucem, dolor aufert sæpe dolorem.

CXLVIII. De illo qui placet duobus inimicis

Dum placet vtrique, perdit Metecus vtrumque.

CXLIX. De Hildebrando.

Viuere vis Romæ, clara depromito voce:
Plus Domino Papæ, quam Domno pareo Papæ.

CL. De eodem Hildebrando.

Qui rabiem tygridum donat ora cruenta leonum,
Te nunc vsq; lupum mihi mitem vertat in agnum.

CLI. De illo, qui omnia timet, vel nihil timet.

Nil metuens, & cuncta timens, ridendus vterque
Hic tumet, ille iacet, medius discrimine pollet

CLII. De Virga Moysi.

Virga vorat Magicos in se reparanda chelidros.

CLIII. De Arca Noë.

Arca dat Ecclesiam, Baptismatis vnda figuram.

Quod melius est, vt scribaris Rex in ferro, quàm seruus in auro.

Elige Rex ferro, quàm scribi seruus in auro:
Clarior in casula Rex est, quàm seruus in aula

CLIV. De illo, qui prius donat, & postea reposcit.

Fœdus amicitiæ violat sua dona reposcens,
Vnca manus retrahit, quod prius ampla dedit.
Qui repetit donum, meritò mox perdit amicum,
Munere de vestro gaudia digna fero.

Quàm vana huius mundi sunt bona.

Cum cineres Regum videamus & ossa parentũ.
Acida puluifluis congesta iacere sepulchris,
Quo libeat carni vigor aut possessio menti?

CLV. Dominus Papa sine me rem incipiebat, & mecum complere volebat: Sicque mecum dicebat: Sicut erat in principio; cum mecum non dixisset: Gloria Patri.

Sicut erat damno, quia nunquam Gloria canto;
Qui caput abrasit, caudam quoque iure vorabat:
Ossibus ora terat, qui sorbuit ante medullas.

CLVI. Illis hoc dicitur, qui falsam pacem faciunt.

Vt valeant oris iungantur & oscula cordis:
Pax dirimit litem, capiunt cum iurgia finem.

CLVII. Quod sæpe amicus videtur irasci, & inimicus fraudulenter blandiri.

Sæuit amor iusti, liuor blanditur iniqui,
Est amor immitis, dulcis furor, ira fidelis:
Sunt etiam blandi sub ouina pelle tyranni.
Sic & amica Patres reddit censura feroces.

CLVIII Ad Papam Alexandrum, admonitio.

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Æqua libret rigidæ pondera iustitiæ:
Iuris enim pariles nescit suspendere lances
Quem fauor inflectit, spes vel auara trahit.
Muneribus plenæ cui laxant ora crumenæ,
Iustitia vacuam perdit inops animam.
Cæli Roma seras tenet, & regit orbis habenas:
His qui plura petit, ditior esse nequit.

CLIX. Hoc seruus Dei facere debet.

Multa quidem tollo, sed fratribus omnia trado;
Aufero diuitibus, præbeo pauperibus.

CLX. Pransum dicimus: Edent pauperes. Silentium soluentes dicimus: Pretiosa in conspectu Domini.

Sicut Edent, mensas: reddit Pretiosa, loquelas.
Insipiens in corde suo, non est Deus, inquit.

CLXI. De Odio.

Vt lita pestifero perimit Catapulta veneno,
Sic animas hominum pertit edax odium.

CLXII. Qui castratus est, non debet Episcopari.

Qui nequit abscidi non debet honore potiri.

CLXIII. De Romanis febribus.

Roma vorax hominũ, domat ardua colla virorum, A
Roma ferax febrium necis est vberrima frugum,
Romanæ febres stabili sunt iure fideles.

CLXIV. *Quod qui ignorat legem, vitiorum nequit euitare perniciem.*

Qui ius ignorat, vitiorum peste laborat,
Virtutem vitium, fas putat illicitum.
Non sit securus quis Iudicis ore solutus:
Sunt à lege poli, dissona iura fori.
Arbiter internus ligat hunc, quem soluit apertus
Nec fugit esse, nec videt acta Deus.

CLXV. *De Triduano Ieiunio.*

Quam Triduana grauem soleat illidere calcem
Hic rudis ignorat, stomachum qui sedulus inflat, B
Crebris efflantem reprimit qui fistula ventrem,
Vtque fabri follem vacuat spiramen vtrumque.

CLXVI. *Radalco non Pastori, sed antiquo Draconi.*

DEsinit esse reus, qui punit flendo reatum,
Sacrilegat cœptam geminata superbia culpam
Cæde necans Vrbem, nunc auro destruis Orbem.
Heu gladio ferri gladius truculentior auri,
Is animam penetrat, carnem fons ille cruentat,
Vimque tenet iaculi radiantis vena metalli.
Nil differt ferro, perimatur quisque vel auro.
Quid iuuat an fuluis, ferruisue quis occidat armis?
Hos homicida vibras miseros, & vtrosque trucidas.
E Cælo rueras, sed adhuc draco lubrice sufflas,
Ore vomens rabiem, tetrum diffundis odorem: C
Fractus adhuc tepras, & flammas naribus efflas
Squâmea colla tumes, strages & prælia frendes.
Desinat horrenda squamis attollere colla
Vt populus viuat, vitam mala bestia perdat;
Torua draconteas reprimat iam vipera cristas,
Te superaggestus lapidum tumuletur aceruus,
Rudet erit lapidum concors sententia Patrum,
Hæc scrobis atra lues tumido ne gutture suffles,
Mille vorax hominum crepet insatiabile mõstrum.
Te super inferni sua claudant ora cauernæ,
Ne reditus pateat, sed mundi bella quiescant.
Fumea vita volat, mors improuisa propinquat.
Imminet expleti præpes tibi terminus æui.
Non ego te fallo, cæpto morieris in anno.

CLXVII. *Cuidam fratri, cui ieiunium & vigilia in nauseam venerant.*

Agrigentinum Siculis sal gignitur oris,
Quod fluit in flammis, crepitat si mergitur vndis.
Qui naturales trahit in contraria leges,
Congruit auctori quantum sibi diffidet vni.

CLXVIII. *Quod quidam benefactis offenduntur, offensione placantur.*

Officium stimulat quosdam, percussio placat,
Os in corde suo cor ponit in ore nabaldus.

CLXIX. *De dente & lente.*

Littera mutetur quod edebat rursus edetur.

CLXX. *Quod caro sine prædicatione, prorumpit in syluam vitiorum.*

Syluescit vitiis caro verbi libera, cultris
Virescunt steriles sarientre ligone nouales.
Nouimus Annibalem, luscumque fuisse Neronem;
Quem ramex etiam pressit cum sceptra leuarent.

CLXXI. *De Baculo Rectoris.*

Suscipe diuersum moderaminis arte Bacillum:
Quos feretrum pupugit cornu pietate reducit.

CLXXII. *De Ecclesia Romana ab Antipapã inuasa, luctus.*

HEV Sedes Apostolica
Orbis olim gloria:
Nunc proh, dolor, efficeris
Officina Simonis.
Terunt incudem mallei,
Nummi sunt tartarei:
Iusto Dei iudicio,
Fit ista conditio.
Vt quisquis Apostolicam
Sedem semel comparat,
Redimere non desinat,
Donec male pereat.
Cathedram pestilentiæ
Pressus anathemate,
Tenes cum Sacerdotibus
Christi peremptoribus.
Fit tibi terra ferrea,
Cæli Sedes ænea.
Diligenter igitur intende, quod dico.

CXXLIII. *De miseria humanæ conditionis.*

PRoh dolor, infelix humanæ stirpis origo,
Per traducem carnis fit adhuc obnoxia mortis,
Et in feros gignit, quos vitæ limite claudit.
Qui non vxorem nisi prolis tangit amore,
Etsi mirandus, non omnibus est imitandus;
Non sine membellis valet esse refectio membris.
Sæpe nouercalis fit mens materna pupillis,
Legeque peruersa grauis est de matre nouerca.

CLXXIV. *De eo, qui prædicat iustum, & dimittit impium.*

Fundit aquam fluuiis vecors sitientibus hortis.

CLXXV. *Laus Eleemosynæ.*

FOEnerat ille Deo, qui sumpum præbet egeno,
Reddere promisit qui non mendacia nouit,
Soluitur expletum grauiori fœnore lucrum;
Pro modico magnum, pro cæno redditur aurum,
Sic hemina cadum, lucratur dragma talentum,
Sic obuius regnum, Cyathus mercatur Olympum.
Cælica terrenis redhibentur, fixa caducis.
Ignes vnda necat, lapsus eleemosyna purgat.
Est aqua mors flammæ, mors est eleemosyna culpæ,
Nec replet irriguis lacrymarum corda fluentis.
Hæc vitiis vacuat, virtutum floribus ornat.
Hæc redimunt ipsum pietatis viscera Christum.

CLXXVI. *Auaro Diuiti.*

QVi cedros solidis scit consignare cypressis,
Fundamenta struit nullis obnoxia flabris:
Ditior es cæno, quàm sis Pactole fluento:
Vnda leuat cumulum, flauescit arena metallum,
D Lama tulit fruges, rupes prærupta cacumen.
His vitam regimus, procul hoc adstare videmus,
In vidua diues Deus est, in diuite pauper.

CLXXVII. *Viro Superbo.*

Mens scatet in veras causa perhibente loquelas,
Vere licet rubeat, nunquam rosa pulchra perannat,
Qui stat prælio cadit, ceu flos caro lapsa putrescit.
Vita volans hominis decurrit more fluenti
Te parulum vento folium pendere memento,
Turgida colla suis subigit mors improba plantis.
Viuere qui patitur felici morte fruetur,
Qui fruitur vita, mortem patietur amaram.
Vita breuis prohibet, ne longum viuere speres.
Viue memor mortis, quo semper viuere possis.
E Totus viue Deo, totus tibi mortuus esto,
Vita parit mortem, mors vitam parua perennem.
Qui sibi nunc viuit semper moriendo peribit.
In se qui moritur, hunc vita beata sequetur.
Sic requies fesso redhibetur vita perempto.

CLXXIII. *Liuido Obtrectatori.*

ESse foret panem melius quam rodere fratrem,
Corporis vna cibus animæ res altera virus.
Rosus non moritur, rodens homicida tenetur.
Non alios capreæ, te cernas lumine calpæ
Non mihi des vultum, promptus tibi vertere tergũ,
Me faciens speculum, cum sis tibi mantica factus,
Polypus hærenti de se non fœtet olenti.
Lyncea lux radios in viscera figit acutos,

Cū se nō videat, penetrat procul omne quod astat;
Obtusæ cotes acuunt, non cedere possunt,
Nec sibi, sed vario parent sua iura metallo,
Scabra polire lima nouit, non ipsa poliri,
Praua manet tentum scorium, dum læuigat aurū;
Nam scabiosa canis titulo fit digna fidelis
Si rictu rabido vernam cum inte lacessit.
Qui quod vult dicit, quod non vult sæpius audit.
Non habet os lingua, frangi facit ossa sed ipsa,
Vnaque diuersis parit informia membris
Pone malum linguæ, quam vibras more sagittæ,
Ne gladij conto referantur saxa lapillo.

CLXXIX. *Duobus inimicis, vt ad pacem redeant.*

Hamat amor varios, scindit discordia iunctos,
Non ibi lux pacis vbi fit diuisio cordis;
Pax docet ignaros, discordia cæcat acutos.
Non status est rebus, fortunæ vertitur ordo,
Ceruici rigidæ mors improuisa minatur.
Turgida colla suis subigit febris ignea plantis,
Ac domat indomitos Diuino iure solutos,
Qui tumuere Deo, coguntur cedere morbo,
Quod dant languori, veræ venere saluti.
Vultu sæpe trucem flammas velut ore vomentem,
Oraque terribilem frendentia verba tonantem
Funda perexiguo strauit contorta lapillo.

CLXXX. *Cum idem scriptum bis mittitur.*

Iure notatur idem, qui sæpe rescribit eidem,
Non tamen absurdū, cum res habet ipsa recursum,
Indiga verborum dum sit geminatio rerum.
Insimulat vicem carminibus non reddentem.
Disticha tot misit quot flumina sunt paradisi,
Fonte sed ex vestro nec mihi stilla fluit.
Nunc igitur scriptis totidem nisi scripta remittis,
Implebit vacuam penna retusa thecam.

CLXXXI. *De quibusdam antidotis.*

Mors Alocu æquat, copulat sapor vnus vtramque,
His quoque tu parilem pigra fortitis acrorem
Serapi non cunctis fatear præstare venenis.

CLXXXII. *Quod qui sumit munus debet vicem reddere.*

Alterutrum charos componit munus amicos,
Si gerulus referat, si dator accipiat.

CLXXXIII. *Quibus Benedictio de coclearibus mittitur.*

Dent alij fuluum trutina librante metallum,
Sed Mundus viuit, quia Ligno Vita pependit,
Sic modicum magno Lignum pretiosius auro.

CLXXXIV. *Pontificali dextera coclearia mittuntur.*

Magna perexiguum munus aurea suscipe lignum,
Nolo datum trutines, sed dantis viscera libres:
Audeo quod parti non est, præsumere toti:
Carmina quot scripsi, totidem tibi ligna poliui,
Chartula venalis, donantur cætera gratis.

CLXXXV. *Quibus Benedictio de coclearibus mittitur.*

Marmoribus latomi fabri dant signa metallis,
Sandapilas inopes compingunt vespiliones,
Nec nos signa Ducum ferimus, sed signa colonum.

CLXXXVI. *Amicum terret.*

Quod digitis scribo, totidem tibi carmina mitto,
Aspera vox, Ite; nimium iucunda, Venite:
Congregat hæc agnos, vox altera dissipat hædos;
Perpensæ voces poterunt componere mores.

CLXXXVII. *Ad Inimicum.*

Si Regni requiem cupimus, metuamus & ignem,
Inter bella silent leges, in pace loquuntur.
Tempus adest belli, venient sua tempora legi;
Sic lis obtineat, ne pax post bellica perdat;
Ne vincare foro, qui tentas vincere campo,

A CLXXXVIII. *Discretio inter leuem, & grauem.*

Horrens præcipitem noli te ferre limacem,
Cum grauitate leuis, sis leuitate grauis.
Sit grauis incessus, nec iam quasi compede nexus,
Nil vitio vitium cedere proficuum.

CLXXXIX. *Quod melius sit agricolæ laboranti, quàm Domino præliante.*

Bella ciet Dominus, proscindit rura colonus;
Ille pater iaculis, hic frugum gaudet aceruis.

CXC. *De his, qui non se, sed alios carpunt.*

Polypus hærenti de se non fætet olenti;
Sunt sua qui palpant, aliena piacula damnant.

CXCI. *Quod esuriens & sitiens vile quodlibet libenter sumit.*

B Faucibus atra fames herbas commendat agrestes,
Haustibilem densam reddit sitis ignea vappam,
Esuriens comedit, vacuo satur ore ligurit.

CXCII. *De illo, qui gloriatur in altitudine vocis.*

Voce satis ce sa vocalis rudit Asella,
Dulce melos placidis format vox Cignea bombis.

CXCIII. *De Monachis, qui loricas induunt ad carnem.*

Hamatæ Vestes præbent inamabile regmen:
Vestes hamatæ gemina sunt peste perosæ;
Ossa premit pondus, constringit viscera frigus.

CXCIV. *De Hildeprando, qui paruæ quidem staturę, sed magnæ videtur esse prudentiæ.*

Parua Tigris missas æquat properando sagittas,
C Vile quidem ferrū, tamen edomat omne metallū;
Sed trahit hoc validus sua post vestigia Magnes;
Hunc qui cuncta domat Sisiphi mensura coarctat,
Quemque tremunt multi, noles mihi subditur vni,

CXCV. *De Papa, & Hildeprando.*

Papam rite colo, sed te prostratus adoro:
Tu facis hunc Dominum, te facit iste Deum.

CXCVI. *De Romano Archidiacono, qui mihi medium piscem misit.*

Non mirum Petrus si sit mihi semper egenus,
Cum generent medios flumina pisciculos.

CXCVII. *Vrbanū gratulatur, qui Romæ factus est pauper Episcopus.*

Quod sibi Bethsaide, nunc est mihi Petrus in Vrbe:
Hoc cum sceptra tenet, quod erat cum retia neret,
D Semper lina lauat pelagi mihi cærula sulcat,
Me premit in terris, qui prorsus egebat in vndis,
Me siliquis recreat, modicus quem piscis alebat.

CXCVIII. *De illo, qui filium habet.*

Cum superest soboles, viuunt de morte parentes,
Et velut vna caro viret in radice propago.

CXCIX. *Vt hi, qui prædicant, inuicem non discordent.*

Non sapiens stulto, non bos societur asello,
Qui Diuina docent, à se non prorsus aberrent.

CC. *De stercore Turdi fit viscus, vnde Turdus ipse capitur.*

Podice digeritur, pede quo Turdela tenetur,

CCI. *Illi, cui ego prolixam misi epistolam, & ipse mihi paruam.*

E Non obolus solidum, non æquat libra talentum,
Planè minor modio cedit & iste choro.
Non licet exiguum compenset epistola librum,
Contrutinet lances pendula libra pares.

CCII. *De Florentia, in qua Papa Stephanus obijt, & Nicolaus Papa ex eadem processit.*

Parua virum magnæ debet Florentia Romæ.
Quæ tenet extinctum, cogatur reddere viuum:
Sic noua Bethleis Lux mundo fulsit ab oris.

CCIII. *De illo, qui semetipsum subiugat, vt reum recipiat.*

Nil sibi prorsus emit, qui se sub fœnore vendit.

CCIV. *Quod Roma Mundo præfuit, donec legibus obedinit.*

Præfuit Vrbs Orbi, fuerat dum subdita Legi,
Iustitiæ spretis Regnum contraxit habenis.

CCV. *Quod plerique casti sint tenaces.*

Vix opibus largum videas, & corpore castum.

CCVI. *De illo, qui nutritus Aretij, Pomposiæ Abbas fuit.*

Qui solet insipidis ventrem satiare lupinis,
Gutture nunc epulas ructat turgente marinas.

CCVII. *De Domno Vmberto Archiepiscopo, qui sedebat ad dexteram Papæ, & ego ad sinistram.*

Fortior hædinam, tu Sedem tollis ouinam,
Læuus habet dextram, dexter quandoque sinistram.

CCVIII. *Super sæcularibus, Eligidia.*

Lugeo vos miseri, quibus est mens dedita carni,
Cælum despicitis quæstus bona summa putatis.
Quid vos hortet ego, quid vos optare monebo?
Nunc malè iucundas Mundi sorbere medullas,
Extra replere cibis, artus onerare sag'nis,
Ne pereant vermes macie vos semper edentes,
Fontibus irriguas gel'dis extendire villas.
Non numerus nummis, non sit mensura metallis.
Post erit angustum possessio vestra sepulcrum.
At quos spes fuluo ditat pretiosior auro,
Quorum diuitiæ veræ sunt præmia vitæ,
Quas fur nó temerat, nec edax malè tremula fulcat
Vana repentinis ob noxia lucra ruinis
Spernite, lapsuro cedant sua munera Mundo:
Sufficiant Christi famulis patrimonia Cæli,
Pectoris eximium Fidei regat arca talentum;
Sit studium rutilas virtutum condere gemmas,
Et malè nascentes vitiorum vellere sentes
Turbida fluctiuagi vitate negotia Mundi,
Incubet eloquiis iugiter mens libera sacris,
Iam modicè gustet mel, quo post plena redundet;
Ad sua sic nostra redeat primordia forma.
Hæc tumulentur opes, isti quærantur honores,
His homo iure potens, his sit per sæcula diues.

CCIX. *Contra Cluniacensem Abbatem, qui eum in Galliam duxit.*

Mors mea grandæuam perimis Cluniace senectam,
Efficis vt non sim, dum peris vt bene sim.
Vt tibi mella fluant, epulæ pigmenta rubescant,
Amplaque conditos præbeat olla cibos.
Scabra fit vt nostris desint vel Cantabra mensis,
Dum tibi seruo dapes, me manet atra fames.

CCX. *Versus Pauperis.*

Vlceribus vacuus, sed paupertate repletus;
Lazarus ecce venit, qui micis viuere quærit.
Absunt ora canum, non desunt nostra pedonum;
Illa cutem lambunt, hæc membra scarentia rodunt.

CCXI. *De Triduano ieiunio.*

Quam Triduana grauem soleas illidere calcem,
Sæpius expertis scit mens exercita bellis.

CCXII. *Qui dicit quod vult, audit quod non vult,*

Qui quod vult dicit, quod non vult sæpius audit:
qui quod amat loquitur, quod odit perferre mere- (tur.

CCXIII. *Epitaphium Petri Damiani.*

Qvod nũc es, fuimus, es, quod sumus, ipse futurus
His sit nulla Fides, quæ peritura vides.
Friuola sinceris præcurrunt somnia veris,
Succedunt breuibus sæcula temporibus.
Viue memor mortis, quo semper viuere possis,
Quicquid adest, transit: quod manet ecce venit.
Quam benè prouidit, qui te, male munde, reliquit,
Mente prius carni, quàm tibi carne mori.
Cælica terrenis, præfer mansura caducis.
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte recurrat,
Sub se despiciat, quicquid in ima grauat,
Sis memor, oro mei, cineres pius aspice Petri,
Cum prece, cum gemitu dic: Tibi parce Deus,

A CCXIV. *Bennonis Epitaphium.*

ARiminum luge, lacrymarum flumina funde,
Laus tua Benno fuit, proh dolor, ecce ruit;
Benno decus Regni, Romanæ gloria genti:
Ipse pater patriæ, lux erat Italiæ.
Hunc socium miseri durum sensere superbi,
Lapsos restituit, turgida corda premit;
Fit leo pugnanti frendens tener agnus inermi,
Hinc semper iustus perstitit, inde pius.
Hic Fidei dum iura colit, dum cedere nescit,
Firma tenens rigidæ pondera iustitiæ.
Recticolæ iugulus prauorum pertulit ictus:
Per quem pax viguit, bellica sors perijt.
Obsecro tam diram sapientes flere ruinam,
B Et pia pro socio fundite vota Deo.

CCXV. *Quod vermis eris, & à verme voraberis.*

Esus homo, quod eris, datus es, vt ore voreris:
Cur cinis & vermis, tumida ceruice superbis?

CCXVI. *Ad Pœnitentiam prouocat.*

Cum cruor excrescit nemitorem vena requirit,
Vulnus & incolumem facit, affert plaga salutem,
Mens fluidum generat, pia quod Confessio purgat;
Sic animæ sanguis per venam profluit oris.
Egere lethifero violat, quod viscera tabo,
 Esto vomax proprij salubri conamine morbi,
Vt mentis stomachus releuetur mole reatus.

CCXVII. *Versus de Simoniacis.*

IN cude Simonis fabrilis, & antra monetæ
Damnat pestiferas Deus euertendo cathedras:
C Nam postica latro per diuerticula repit,
Peruia gratuito Pastor petit ostia gressu.
Ast vbi mangonum scelerata negotia desunt,
Nec graue corbonam turget venale talentum,
Non distractor obest, quia non commercia fordẽts
Nam quid nummati, nequeunt vbi lædere nũmi,
Immo quid arboreis manus obsit squalida plantis,
Sæpe salutiferam medicus dedit æger oryzam,
Mancipires pugilem cæci genuere videntem,
Clinica procerum peperit malè fœda venustum,
Nec soboles noxis est addicenda paternis.
Quisque sua premitur, socij nec labe tenetur.

CCXVIII. *Aduersus Simoniacos, Rithmus.*

D MVndi turba turbulenta,
Error, & diuisio,
Hæresis Simoniana,
Zelum, & ambitio,
In lamentum nos compellunt
Styli sub Officio.
Exarentur ergo cuncta
Strictim à principio,
Ex quo Summæ Sedis Præsul,
Sancto doctus Spiritu,
Scelestorum probra cœpit
Emendare liquidò.
Cuius vox erat, vt patris
Corrigentis filios:
E Vt Apostoli vox erat
Mitis ad Corinthios:
Sic se mitem exhibebat
Erga Coepiscopos.
Scitis fratres vos Pastorum
Suscepisse regimen,
Hinc vos decet vt Doctores
Primùm rectè viuere,
Obsecrare, increpare,
Postmodum arguere.
Non elatos, non inflatos,
Non ex vino turgidos,
Non in veste pretiosa,
Sed virtute fulgidos,
Sine causa non lædentes

Castos, atque sobrios,
Sint in promptu gesta Patrum,
Sintque Sancti Canones,
Cibis vestris recreentur:
Debiles, ac pauperes;
Orphanorum mater plorans
Ante vos non clamitet,
Cedant equi phalerati,
Cedant cæci tabulæ
Cedant canes venatores,
Ac minorum fabulæ,
Et acc pitres rapaces,
Nec non aues garrulæ.
Ad hæc Simonis leprosam
Execrate hæresim,
Sacerdotum simul atque
Scelus adulterij,
Laicorum dominatus
Cedat ab Ecclesiis.
Ecce Papæ gloriosi
Monita Gregorij,
Ecce verba summæ Sedis
Præsulis Catholici,
Quibus irruunt in eum
Ciues Babylonici.
Hincque Cæsaris exarsit
Ira in Ecclesia,
Inde tumuit in eum
Præsulum superbia,
Sacerdotem populorum
Furit ab Ecclesia.
Ex quo Simon contra Petrum
Turrim struxit Magiæ,
Inde cecidit percussus
Angulari lapide,
Contra cuius ictum planè
Nihil est durabile.
Quorum Rex est alter Christus,
Alter est Leuiathan;
Ille vitæ, iste mortis,
Regnat super agmina:
Ergo quorum quis sit victor,
Nemo sanus ambigit.
Resipiscant inde cuncti,
Et ad corda redeant,
Qui non purè, non sincerè,
Sed mente maleuola
Sacerdotem populorum
Rodunt, atque lacerant.
Illi verò, quos cibauit
Fides Apostolica,
Solidentur, & fundentur
Petri petra solida,
Vt post pugnam consequantur
Pleniter victoriam. Amen.

CCXIX. *Damiani exhortatio, vt Monachus fiat.*

Omnipotens, agamus, docet vt quod fecit, agamus.
Desunt iura thori, teritur si semita Christi.
Iam pater es, soboli spatium largire sequenti,
Vt tua contiguis pareant vestigia plantis.
Et seges erumpat, dum non quod protulit obstat
Subdita maternis torpent virulamina ramis.
Præstò fluunt veteres ad florum germina frondes,
Herbaque sectricem vocat orto semine falcem.
Incipiens igitur terreno cespite velli
Transplantare polo, spes hinc animæ vita esse,
Sic radix cordis Cæli se transferat aruis
Et non lapsurus prorumpat in arbore fructus.

A CCXX. *Ritbmus pœnitentis Monachi.*

Quis infelici fletus aquam capiti,
Quis lacrymarum fontem dabit oculis,
Flendo pupillæ tenebras obducere,
Væ mihi lapso.
Non guttæ maris, non arenæ littoris,
Æquantur meis scelerum flagitiis,
Excedunt stellas, pluuiasque numero,
Pondere montes.
Nam quibus non sim vitiis obnoxius,
Qui prauis semper deseruiui moribus?
Deo solutus, carnis vixi legibus,
Fluxus in ima.
Spreui præcepta, ausus sum prohibita,
Plures euerti praua per iudicia:
B Noxius mihi, aliis inutilis,
Arctor vtrimque.
Non Cælum dignus oculis aspicere,
Non Dei nomen labiis exprimere,
Prohibet ædis sacræ limen terere
Culpa remordens.
Nunc quoque sacris deditus obsequiis,
Veteris vitæ stimulorum illecebris:
Vt fugitiuum repetunt in famulum
Iura Tyranni.
Conor in fletu, riget cor lapideum,
Precibus insto, vagus abit spiritus,
Lumen inquiro, tenebræ phantasmatum
C Protinus adsunt.
Efferum ira, tumidum superbia,
Edacem gula, vanum cænodoxia,
Omnium frendens criminum barbaries
Subdere tentat.
Sæpe resisto, armaque corripio,
Mihi congressus, mecum ipse dimico,
Sed legi carnis lex dum cedit Spiritus,
Præda fit hosti.
Sæpe Diuino igne cor accenditur,
Seque transcendens mens in alta rapitur,
Sed genuinæ corruptelæ labitur
Pondere pressa.
D Lux inaccessa micat, vt per rimulas
Cui mens intenta sitienter inhians,
Cuius obrutus ecce carnis obulans
Vmbra retundit.
Hostis antiqui telis mille sauciam
Ploro peremptam in peccatis animam:
Qui vacuasti mortis iura mortuus,
Per te resurgat.
Palma iustorum, spesque pœnitentium,
Da Christe manum, & profundis erutum
Solue peccatis, hinc ab imminentibus
Eripe noxis.
Tu Peccatricis lacrymas non respuis:
Tu Publicanum pœnitentem recipis:
E Vitam Latroni iam in morte posito
Te dare spondes.
Per hæc te quæso pietatis viscera,
Et me de vinclis tot culparum libera:
Mereor iram, effunde clementiam
Fons pietatis.
Da tuis semper obsequar imperiis,
Sicque supernis dignum redde præmiis,
Qui Patri compar, sanctoque Spiritui
Cuncta gubernas. Amen.

CCXXI. *De Abbatum miseria, Ritbmus.*

Luget, plorat, lamentatur
Sancta nunc Ecclesia
Cum suorum tantam videt
Abbatum miseriam:

Nullus pene Abbas modò
Valet esse Monachus,
Et eorum contemplatur
Diuersa pericula,
Dum diuersum & nociuum
Sustinet negotium:
Et quod velit sustinere
Velut iniquus patitur.
Monachorum tanquam seruus
Intus fert superbiam,
Et multarum foris rerum
Sustinet molestiam:
Hanc Abbatis collum portat
Seruitutem geminam.
Spiritaliter Abbatem
Volunt fratres viuere,
Et per causas sæculares
Cogunt illum pergere:
Per tam itaque diuersa
Quis valet incedere?
Nam dum equitat, mox esse
Dicitur vagatio;
Eius namque bebetudo
Est claustralis statio:
Quicquid miset facit
Semper est detractio.
Del'nquentes dum emendat,
Omnes clamant impium;
Si quandoque illis parcit,
Dicunt esse tepidum,
Quis portare, rogo, valet
Vulgus tam ambiguum?
Phinees si imitatur,
Fugit, vel expellitur:
Si Eli, tunc irriditur,
Atque paruipenditur:
Odiosus est si feruens,
Et vilis si tepidus.
Valet forsan emendare
Facta si sint leuia;
Et quæ duas tantum poscant,
Vel vnam veniam;
Grauiora quæ sunt, Abbas
Supprimit, ne pereat.
Nam si velit de immundo
Quidquam loqui vitio,
Monachorum intestina
Oritur seditio,
Et occulte statim eius
Tractatur perditio.
Si quandoque vel ieiunat,
Vel tenet silentium:
Vanæ laudi me Abbatem
Dicunt esse deditum:
Et si loquitur, vel mandat,
Velut fur reprehenditur.
Si sermonem facit Abbas,
Denotatur garrulus:
Et si tacens nil exponit,
Denotatur fatuus:
Huc se vertat, illuc pergat
Semper erit anxius.
Intus, foris, si contingat
Quælibet aduersitas,
Hoc incuriæ Abbatis
Fratres omnes deputant:
Illum rodunt, & perrodunt,
Et appellant bestiam.
Domus sancta si non crescat,
In Abbatem inuehunt:
Si crescat, mox Abbatem

A Velut hostes experiunt;
Vt incudem, sic Abbatem
Simul omnes feriunt.
O beatum tale caput,
Intus Abbas tolerat,
Sæcularium & foris
Simul portat onera,
Anxiatur & tristatur
Quod sic premant omnia.
Noctem namque curis pressus
Verbosus dimidiat,
Et auroram vt loquatur,
Sæpius anticipat,
Totum diem in loquendo
B Postmodum continuat.
Hæc & alia Prælatus
Sustinet quamplurima;
Sæculares foris pungunt,
Intus Fratres vulnerant;
Illi corpus prosequuntur;
Hi corrodunt viscera.
Dic Prælate; rogo; chare;
Quæ est ista dignitas?
Intus dolor; foris labor;
Hinc inde calamitas:
Corpus; fateor; iis malis
Perditur & anima.
Quis Abbatum; rogo, valet
Ferreo nunc tempore;
Inter tot calamitates
Virgas ferre fertiles?
C Prælatorum certe modò
Sunt honores steriles;
His honoribus Abbates
Venerandi cedite;
Graue pondus & inane
Vltro iam abiicite;
Et de cætero quieti,
Ac securi viuite.

CCXXII. *De Omnibus Ordinibus omnium hominum in hoc sæculo viuentium, Rubricâ.*

EPiscopi attendite;
Dei verba discernite;
Vobis præcepit Dominus;
D Pro vestris mori ouibus.
Si bona; quæ loquimini
Operibus feceritis;
Exempla bona dabitis;
Vestris commissis filiis.
Presbyteri; Diaconi;
Qui fertis vasa Domini;
Estote semper nitidi
In conspectu Altissimi.
Qui vult esse Canonicus;
Sit bonus & idoneus,
Obediat Episcopo,
Vt seniori inclyto.
Ad Matutinum veniat,
Cum signum horæ resonat:
E Postposita pigritia
Festinet ad Officia.
Plebani recte audiant
Quod sancti Patres clamitant:
Vt acquisita prædia
Reliquant in Ecclesia.
Magister doctus litteris
Flagella det discipulis:
Vt docti ab infantia,
Doctrinam bene sapiant.
Scriptores recta linea
Veraces scribant litteras,

Distin-

Distinctiones proprias
Vsque in finem compleant.
Illiteratus Clericus
Elationi deditus,
Despic ens mysteria,
Vt stulta iacet bestia,
Discurrit per Basilicam
Pro vanitate nimia,
In loco si permanserit,
Ceruice torta respicit;
Verba Dei non nunciat,
Priuatim semper mussitat:
Et recitat parabolas
Inanes, atque vacuas.
Abbates semper vigilent,
Ab omni namque crimine,
Non pro mundi astutia
Sancta relinquant studia.
Non potest esse Monachus
Qui vagus est, improuidus,
Si viuit sine Regula,
Peribit morte pessima.
Deo deuoti Monachi
Seruate Legem optimè,
Viuentes casto corpore,
Terrena cuncta spernite.
Potestas est in populo
A Summo data Domino
Et cum fide .....
Qui Sacramenta fecerant,
Pro nullo malo merito,
Vel placitam pretio,
Aut aliqua amicitia,
Vertat vera iudicia.
Iudex sedens in placito.
Non speret delucratio,
Sed Deum rectè timeat,
Et legem citò finiat.
Testes pro nullo munere
Falsa loqui præsumite,
Sed vera verba dicite
Præsente vero Principe.
Veraces sint Notarij,
Tenendo fidem animi:
Nec vnquam pro denarijs
Falsa scribant in chartulis.
Castaldiones populi,
Et omnes Vice Domini,
Ne torqueant iustitiam,
Nec manducent seruitia.
Tenentes ministeria,
Cum malis non conueniant,
Rectè tamen deseruiant,
Ne bona perdant merita.
Aduocatores placita
Ne fraudent arte aliqua,
Relaxent cordis vitia,
Et exquirant indicia.
Nullus Consiliarius,
Aut auricularius.
Propter mundana prospera,
Se confida in gloria.
Missus prudenter sapiat
Enarrare Missatica,
Ne stupefactus publicè
Verbum dicat inutile,
Nutritus atque Sapiens,
Timens Deum veraciter,
Amandus est à Dominn,
Laudandus est à populo.
Receptor celans vitia,

A Vt falsa canit fistula,
Ridendo verba dudum,
In corde malè seminat.
Hypocrita se simulans
Multa abscondit vitia,
Vultum demonstrat placidum
In corde portat gladium,
Ebriosi miserrimi
Infremunt vt phrenetici,
Mentis perdunt memoriam,
Nihil boni excogitant.
Audite etiam Laici,
Qui Christo famulamini,
Pro vllo vnquam crimine,
B Pastores non despicite:
Operibus perficite:
In cordibus describite.
Ante quam mors adueniat,
Deo donare decimas:
Securi hinc exibitis,
Et cælum possidebitis;
Vxores verò diligite,
Natos vestros corripite;
Sed vos ancillas regite,
Opus eis impendite.
Qui timet Deum omnium,
Non iuret per negotium:
Nec pro concupiscentia
Vllius fraudet pretia.
Duces cum beneficis
Ad inuicem conueniant,
C Deo cum fide seruiant.
Miles ad pugnam peragrans,
Deum in mente teneat:
Fillones semper caueant,
Ne dicant plus quàm audiant,
Placentes per mendacium,
Peccatum agunt maximum:
Viles apparent sæculo,
Et sunt in vituperio.
Potestas mundet vitia
Furta & latrocinia,
Vt cæteri perterriti
Timeant pœnam consequi.
D Coniugatæ fœminæ,
Tenete fidem prouidè;
Domos vestras disponite,
Ad templum Dei currite.
Mutate vestem viduæ,
In castitate viuite:
Luxuriantes fugite,
Ne possint vos decipere.
Puellæ se custodiant
Ab omni vana gloria,
Ne iuuentute feruida,
Cadant in adulteria.
Meretrices conuertite,
Veniam vobis quærite:
Qui semper solet parcere,
Exspectat vos quotidie.
E Serui cum recto animo.
Vestro seruite Domino:
Ancillæ & vtiliter
Deseruiant similiter.
In prosperis lætitiam,
In aduersis tristitiam,
Supra modum non habeat
Vlla fidelis anima,
Qui viuitis in sæculo,
Omnes seruite Dnmino
Vt iusti sua dextera,

Regnetis super æthera.

CCXXIII. *De die mortis, Rithmus.*

GRaui me terrore pulsas
Vitæ dies vltima,
Mœret cor, soluuntur renes,
Læsa tremunt viscera,
Tu speciem dum sibi
Meos depingit anxia.
Quis enim pauendum illud
Explicet spectaculum,
Cum dimenso vitæ cursu
Carnis ægræ nexibus,
Anima luctatur solui,
Propinquans ad exitum.
Perit sensus lingua riget,
Resoluuntur oculi,
Pectus palpitat anhelat
Raucum guttur hominis,
Stupent membra, pallent ora,
Decor abit corporis.
Ecce diuersorum partes
Confluunt spirituum;
Hinc Angelicæ Virtutes,
Illinc turba Dæmonum;
Illi propius accedunt,
Quò inuitat meritum.
Prælsto sunt & cogitatus,
Verba, cursus, opera;
Et præ oculis nolentis
Glomerantur omnia:
Illoc tendat, huc se vertat,
Coram videt posita.
Torquet ipsa reum suum
Mordax conscientia,
Plorat acta corrigendi
Defluxisse tempora;
Plena luctu, caret fructu
Sera pœnitentia.
Falsa tunc dulcedo carnis
In amarum vertitur,
Quem breuem voluptatem
Perpes pœna sequitur:
Iam quod magnum credebatur
Nil fuisse cernitur.
Atque mens in summæ lucis
Gloriam sustollitur,
Aspernatur lutum carnis,
Quo mersa pro soluitur,
Et vt carcerali nexu
Lætabunda soluitur.
Sed egressa durum iter
Experitur anima,
Qua incursant furiosa
Dira pestis agmina,
Et diuersa suis locis
Instruunt certamina.
Nam hic incentores gulæ,
Illic auaritiæ,
Alibi fautores Iræ,
Alibi Superbiæ,
Vitij cuiusque globus
Suos parat acies.
Iam si cedat vna turma,
Mox insurgit altera:
Omnis ars tentatur belli,
Omnis pugnæ machina,
Ne ab Hostium pudore
Sic euadat anima.
O quàm torua bellatorum
Monstra sunt feralium,
Tetri, truces, truculenti

A Flammas efflant naribus,
Draconea tument colla
Virus stillant faucibus.
Serpentin's armant spicis
Manus doctas præliis,
His oppugnant aduenantes
Telis velut ferreis,
His, quos attrahunt, æternis
Mancipant incendiis.
Quæso Christe Rex inuicte,
Tu succurre misero,
Sub extremæ mortis hora,
Cum iossus abiero,
Nullum in me ius Tyranno
B Præbeatur impio.
Cadat Princeps tenebrarum,
Cadat pars tartarea:
Pastor ouem iā redemptam
Tunc reduc ad patriam,
Vbi te videndi causa,
Perfruar in sæcula. Amen.

CCXXIV. *In eos, qui de Regis vltione securi sunt, sed Christum euadere nequeunt, Rithmus.*

IOcundantur, & lætantur
Simul omnes reprobi,
Qui regis aduersum prius
Expectabant territi,
C Fremunt, cedunt, intumescunt,
Et insultant miseris.
Quique sunt lugendi totis
Lacrymarum fontibus,
In superbiæ sublimes
Extolluntur cornibus,
Phrenesin robur putantes,
Sanis rident fletibus.
Sed quid iuuat, ô peruersi!
O gehennæ filij!
Non vitare, sed mutare
Tribunal iudicij?
Sub mortali rege tuti
Christum non euaditis.
Ecce veniet vt fulgur,
D Minax ac terribilis,
Solis ardor, Lunæ candor
Inuoluentur tenebris,
Ima terræ petent stellæ,
Cæli vulsæ cardine.
Terra funditus ardetis ardebit,
Cæli trement climata,
Elementa turbabuntur,
Rugient tonitrua,
Ignei micant corusci,
Crebra cadunt fulmina.
In furore venientis
Fit tempestas valida,
Tota mundi tremefacta
Conquassatur machina,
E Æstuantis flammæ globus
Vastum perflat aera.
Tunc qui eum pupugerant
Cernunt omnes impij,
Throno igneo sobnixum
Specie terribili,
Rogant montes, orant colles,
Postulantes obrui.
Mox occulta, singulorum
Cunctis pateot cordium,
Verba, facta, mens videtur;
Velut corpus solidum,
Et amarum in auctores
Reddunt testimonium.

Ipsi spiritus iniqui
Probra, quæ ingesserant
Longis e catara tomis
Relegentes explicant,
Loca, tempora gestorum,
Et modos enumerant.
Irascuntur cuncta prauis
Angelorum agmina,
Aduersantur elementa,
Cælum, terra, inanima,
Omnis rerum creatura
Imminet contraria.
Ecce caput iniquorum
Ferox illa bestia
Sub cunctorum denudata
Trahitur præsentia:
Patent artes, furta, doli,
Fraudes & ingenia.

CCXXV. Hucusque de Aduentu; hinc de pœnis Inferni.

O Quàm dira, quàm horrenda
Voce Iudex intonat,
Cum paratis mergi flammis
Maledictos imperat;
Mox degluriens viuentes
Stygis olla deuorat.
Vaporantur infelices
Intus, & extrinsecus,
Crepitantes strident flammæ,
Velut ardens Clibanus:
Ore, naribus, & ipsis
Profluunt luminibus.
Immortalis mors occidit,
Nec omnino perimit:
Ignis vrit, non consumit,
Nec defectum recipit:
Vita moritur, mors viuit,
Finis semper incipit.
Rediuiua septem plagæ
Renouant supplicia,
Fumus, fœtor, algor, ardor,
Fames, sitis ignea,
Vermes nunquam satiantur,
Qui corrodunt viscera.
Illic dolor, cruciatus,
Fletus, stridor dentium,
Adsunt fremitus leonum,
Sibili serpentium:
Quibus mixti confunduntur
Vlulatus flentium.
Molis trabeæ dracones
Laxa pandunt guttura,
Quorum oculi sagittas
Iaculantur igneas,
Caudæ chelas scorpionum
Plantæ produnt viperas.
Tendunt quidem ad non esse,
Sed non esse desinunt:
Viuunt morti, volunt mori,
Sed omnino nequeunt;
Qui malè vixere vitam,
Pro tormento perferunt.
Hæc præ oculis vesani
Formidantes ponite,
Hæc subtili pertractantes
Studio reuoluite,
Et prauorum vinclis morum
Colla mentis soluite.
Nam paratus est conuersis
Indulgere veniam,
Qui peruersis adhuc premit

A Vindictæ sententiam.
Salus, honor pio Regi
Per æterna sæcula. Amen.

CCXXVI. De Gloria Paradisi Rhythmus.

AD perennis vitæ fontem
Mens sitiuit arida,
Claustra carnis prestò frangi
Clausa quærit anima:
Gliscit, ambit, eluctatur,
Exul frui patria.
Dum pressuris, ac ærumnis
Se gemit obnoxiam;
Quam amisit, cum deliquit,
B Contemplatur gloriam.
Præsens malum, auget boni
Perditi memoriam
Nam quis promat summæ pacis
Quanta sit lætitia,
Vbi viuis margaritis
Surgunt ædificia!
Auro celsa micant tecta,
Radiant triclinia.
Solis gemmis pretiosis
Hæc structura nectitur,
Auro mundo tanquam vitro
Vrbis via sternitur:
Abest limus, deest fimus,
Lues nulla cernitur.
C Hyems horrens, æstas torrens
Illic numquam sæuiunt.
Flos purpureus rosarum
Ver agit perpetuum
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata,
Riui mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor,
Liquor & aromatum,
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Non alternat Luna vices,
D Sol, vel cursus Syderum:
Agnus est felicis Vrbis
Lumen inocciduum;
Nox & tempus desunt ei,
Diem fert continuum.
Nam & Sancti quique, velut
Sol præclarus, rutilant,
Post triumphum coronati
Mutuò coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis
Iam securi numerant.
Omni labe defæcati
Carnis bella nesciunt,
Caro facta spiritalis
E Et mens, vnum sentiunt:
Pace multa perfruentes,
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Et præsentem veritatis
Contemplantur speciem;
Hinc vitalem viui fontis
Hauriunt dulcedinem.
Indè statum semper iidem
Existendi capiunt,
Clari, viuidi, iucundi,
Nullis patent casibus,
Absunt morbi, semper sanis
Senectus iuuenibus.
Hinc perenne tenent esse,

Nam transire transiit:
Inde virent, vigent, florent,
Corruptela corruit,
Immortalitatis vigor
Mortis ius absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt,
Qui nescire nequeunt:
Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum,
Vnum volunt, vnum nolunt,
Vnitas est mentium.
Licet cuique sit diuersum
Pro labore meritum,
Charitas hæc suum facit,
Quod amat in altero:
Proprium sic singulorum,
Commune fit omnium.
Vbi corpus, illuc iure
Congregantur aquilæ,
Quo cum Angelis, & Sanctis
Recreentur animæ:
Vno pane viuunt Ciues
Vtriusque patriæ.
Auidi, & semper pleni,
Quod habent, desiderant.
Non satietas fastidit,
Neque fames cruciat:
A Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Nouas semper harmonias
Vox meloda concrepat,
Et in Iubilum prolata,
Mulcent aure, organa;
Digna per quem sunt victores
Regi dant præconia.
Fœlix Cæli quæ præsentem
Regem cernit anima,
B Et sub Sede spectat alta
Orbis volui machinam,
Solem, Lunam, & globosa
Cum planetis sydera.
Christe palma Bellatorum
Hoc in municipium
Introduc me post solutum
Militare cingulum,
C Fac consortem donariui
Beatorum Ciuium.
Præbe vires inexhausto
Laboranti prælio:
Vt quietem post præcinctum
Debeas emerito:
Teque merear potiri
Sine fine præmio,
Amen.

Finis Tomi Quarti, & Vltimi Operum B. Petri Damiani, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis, ex Ordine S. P. Benedicti, Doctoris disertissimi. ac Sanctissimi.

Et exaltabit lingua mea Iustitiam tuam,
D E V S.



COLLECTANEA
IN
VETUS TESTAMENTUM,
EX OPUSCULIS
B. PETRI DAMIANI
S. R. E. CARDINALIS,
EPISCOPI OSTIENSIS,
ORDINIS SANCTI BENEDICTI,

AB ANONYMO ILLIUS DISCIPULO EXCERPTA,

Labore ac studio

DOMNI CONSTANTINI CAIETANI,
Syracusani, Abbatis-Præsidentis Romani Collegij Gregoriani,
Domus Sancti Benedicti.

EX M. S. CODICE SUÆ BIBLIOTHECÆ ANICIANÆ,
NUNC PRIMUM EVULGATA.



PARISIIS,

M. DC. LXIII.

DOMNI CONSTANTINI ABBATIS Caietani, In expositionem Veteris Testamenti librorum ex Beato Petro Damiani collectam.

PRÆFATIO.



ABENT hoc, Lector optime, Catholicorum Patrum scripta præcipuum, quòd in iis tanquam in amœnissimis hortis sacrarum flores passim redolent scripturarum: in quibus postea colligendis, & in ordinem redigendis, posterorum non sine laude exercentur ingenia. Sic ex Augustino Doctore grauissimo ac Sanctissimo, Beda noster, Vir etiam non minus religione, quàm doctrina insignis, ac sanctitate clarus, epistolas Pauli interpretatus, quæ ille sparsim multis in locis dixerat, miro ordine in vnum volumen congessit. Non aliter S. Paterius Episcopus Brixiensis, & Alulphus etiam Monachus, ambo Benedictini, ex Magni Gregorij scriptis, quæ ad sacrarum litterarum explicationem pertinebant, selegerant, in posterorum gratiam promulgarunt. Taceo reliquos, qui pari cura, & non dissimili industria idem ex aliorum operibus præstiterunt. Horum igitur exemplum secutus quidam S. Petri Damiani Discipulus, & in eius scriptis multum, vt apparet, versatus, ex iis quendam quasi centonem, locorum sacræ Scripturæ contexuit, & elaborauit. Hoc autem Opus, vt ex Inscriptione liquet, Damiano Abbati ipsius Sanctissimi Cardinalis Episcopi Damiani ex sorore nepoti, ad quem duæ extant eiusdem Beatissimi Auunculi epistolæ, direxit. Hic est ille Damianus Abbas, cuius (vt opinor) S. Brunus ex Abbate Cœnobij Casinensis, Episcopus Signinus, initio suorum in Apocalypsim Commentariorum, quæ ante aliquot annos in vetustissimo codice Langobardis litteris scripto, apud Horatium de Valle I. C. ac de me, deque Romana antiquitate optimè meritum, vidisse me scio, honorificè meminit, eiusque rogatu se Commentaria scripsisse in Isaiam Prophetam commemorat: alteri tamen Monasterio, quàm Fontis Auellani ipsum præfuisse, necesse est; quandoquidem qui illius Caput erat, & (vt ita dicam) Cœnobiarcha, non Abbatis sed Prioris nomine vocabatur: eumque morem non solùm viuente S. Petro Damiani seruatum fuisse, ex eius scriptis apparet; sed etiam apud posteros perdurasse, Auctor vitæ S. Vbaldi Episcopi Eugubini, Theobaldus eius successor, eiusdem Monasterij Prior patenter ostendit. Præterquam quod ex scriptis monumentis Cœnobij Nonantulani in agro Mutinensi extructi, Damianum hunc nostrum eiusdem Monasterij fuisse Abbatem animaduertimus, atque etiam S. R. E. Cardinalem: vt Rangerius scriptor vitæ S. Anselmi Episcopi Lucensis, eiusque in spiritualibus filius, dum eiusdem obitus parentalia describens, testatur. Aderat, inquiens, Magalonensis Episcopus, nomine Godefredus, & Benedictus Mutinensis Episcopus, atque Aribertus Regensis Episcopus, & eiusdem ciuitatis Episcopus, scilicet Mantuanus, Vbaldus vocatus: Sed & Damianus Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, qui & Abbas Nonantulanensis Cœnobij. Hi omnes ad audiendam eius sapientiam, ad capiendum ipsius consilium, sicut sæpe ipsi, ac cæteri Catholici consueuerant, aduenerunt. Hæc Rangerius: qui cùm id accidisse testetur anno Christi Millesimo octogesimo, ac mensibus nouem post felicissimum Gregorij Papæ VII. transitum, haud quidem dubium erit, Damianum Abbatem istum, S. R. E. Cardinalem creatum fuisse ab eodem Gregorio summo Pontifice: Atque & in primis ob eximiam, qua sanctissimum illius Auunculum prosequebatur, beneuolentiam, gratissimam memoriam, Apostolicas virtutes, atque ingentia in Romanam Ecclesiam merita. Hæc breuiter dixisse volui, vt quis iste Damianus Abbas fuerit, aliquo modo innotesceret.

Ranger. in vit. S. Ansel. ap. nos M. S.

Sed enim Scriptoris huius, qui Opus istud ex S. Petri Damiani libris deprompsit, nomen etsi codices non exprimant, nihilominus maximam habere hunc illius laboris vtilitatem, ex eo præsertim patet, quòd dum ex singulis quibusque sanctissimi Cardinalis Opusculis testimonia in medium affert, eiusdem vt pote Discipulus, tanquam testis oculatus, ea ipsa Opuscula de quibus forsan dubitari posset, tantum Doctorem conscripsisse, constanti fide nobis aperiret. Verùm & hoc, quod in præsentia damus in lucem, & alia, quæ Deo auspice, edenda paramus, tuis Lector studiis non inutilia, nec ingrata fore speramus. Vale, & me Christo Domino tuis precibus commenda.



IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

INCIPIT LIBER TESTIMONIORVM VETERIS, ac noui Testamentorum, quæ de Speculis Reuerendi Petri Damiani, quidam suus Discipulus excerpere studiosè curauit.

INCIPIT PROLOGVS.

DOMINO SVO, ET PATRI, DOMNO DAMIANO, Reuerendo Abbati, vltimus Monachorum seruus, sinceræ deuotionis obsequium.

Vtilitas Operum S. Damiani.

DVM vestra nuper industria beatæ recordationis Patris nostri, Petri Episcopi, Auunculi vestri, acta, velut quibusdam nectareis epulis oblectatus, crebra meditatione percurrerem, inueni in eis reperiri, quod vtilitate quàm maxima redundare persensi. Dum itaque Vir illustris arrogantem illorum eloquentiam tenendam duceret, qui singulis ingenij famam captantes, quidquid fingunt, multiplici gestiunt opacitate densare; modò videlicet sententiarum perplexione, modò dictionibus inusitatis, summoperè nitentes obstruere, ne quilibet quæ dicit intellectus capere, vel absque improbi laboris conatu illorum sufficientia intima penetrare queat. Ipse verò contrà cunctis viam legentibus pandere ac enucleare cupiens, altiora quæque complanare, seu obscuriora non modò rationibus, verùm etiam Scripturarum exemplis dilucidare instantissimè satagebat. Porrò autem si quid tulisset, quod minus fortè peritis nutabundum foret, earumdem testimoniis Scripturarum velut iactis anchoris fortiter ambiens, ne cuilibet vltra fluctuare valeret, immobili stabilitate figebat, atque aduersus omnes impugnantium impetus insuperabiliter muniens, omnem insidiandi aditum obturabat: vt nulli prorsus iaculo peruius patere posset accessus. Quam denique Scripturarum fulturam adeò in suis tenere consueuerat actis, verbis etiam, quæ prolatis iam rationibus, clausa vndique & inconcussa consisterent, eam nonnumquam adhibendam decerneret. Vt sicuti vrbs quælibet post vallorum ambitum, post impenetrabile fortium murorum munimentum sublimium, distinguitur adhuc constructionibus mœnium, non tam videlicet ob necessariæ munitionis fortitudinem, quàm ob inhiandæ pulchritudinis decorem: ita quoque in pleraque Scripturarum folius ornatus gratia suis sæpè gestis interuisse videatur: seu fortè, quod non absurdè æstimari potest, vt occasione super eis differendi taliter admissa, eius sermocinatione claresceret, quia existerent introrsus fœcunda, quæ forinsecus patebant inania. Nemo sanè qui Scripturarum limina terit, ambigere permittitur, quòd hæc tam frequenter illius actis adhibita, plurimum sæpè mystici, sacrique intellectus occultarent, quæ nisi reserata fuissent, ea magis obruere, quàm illustrare valerent. Quorum itaque interiora lucifluæ differtionis manu penetrando discutiens, atque abdita quæque suis è penetralibus funditus eruens, clariora luce patefacta reddebat. Quibus dum sola plerumque rationis verba non viderentur satisfacere, alia rursus testimonia deducebantur in medium, quæ cùm sui quoque intellectum, siue sub allegoriarum typo, siue sub cuiuslibet mysterij sæpè tegerent arcano, in suam iterum declarationem eundem laborare cogebant: sicque diuina prouisione gestum est, vt plura sacræ Paginæ abstrusa illius opera euidentissimè reserata, perspicuæ nobis intelligentiæ nitore resplendeant. Dum solers itaque Vir diligentia memorata Scripturæ sacræ testimonia tam eleganti considerasset enodatione disserta, dignum fore, valdeque perutile censui, quatenus ex co-

Stilus beati Dam. perspicuus & popularis, non tamen sine eruditione copiosa & abundanti ex sacræ Scripturæ supellectile.

Nedum ad necessitatem, sed etiam ad decorem & venustatem.

Quare S. Damianus ita frequenter sacra

A B C

paginæ testimonia adhibuit.

dicibus illis excerpta, in singulare proprij voluminis corpus redigerentur; ne inter tot scilicet volumina condensa laterent detrimenta incognita. Qua planè consideratione quamquam non parum vniuersis, in quorum manus olim hæc ventura erant, præuiderit; illis tamen præcipuè consuluisse cernitur, quibus plura legere non conceditur. Vt dum ad capessendam operis totius plenitudinem hi tales nequeunt consurgere, his saltem modicis intenti, nequaquam valeant illustri tanti Viri doctrina prorsus esurire ieiuni. Et qui minus sufficiunt de vasti gurgitis alueo fertilem capaci sagena prædam educere, non eos pigeat vel tenuis hami sera ex paruo isto sinu seorsum, tanquam in suo alueo reducto, facilem capturam suspendere; qua suæ refectionis mensuram sufficientibus possint dapibus infercire. Huius ergo rei negotium vestra mihi Sanctitas iniungere dignata est; non sanè quod mei sensus eam lateret inopia, sed ideò fortè magis quoniam idipsum, quod iuxta propriā me capacitatem valere putaui, fideliter prosecuturum fore sperauit. Quippe nec immeritò, quæ dudum me functum agnouerat quadam dilectionis eiusdem Patris prærogatiua sola ipsius pietate gratuita. Vnde & egomet licet ariditatis meæ non immemor, idoneum me fore nequaquam ad istud aduerterem, oneri tamen huic obedientiæ humerum nullo subducere excusatione tentaui: non equidem quia temerariè de propriæ facultatis præsumere viribus, sed quando & obedientiæ, qua gestiebam, vestræ parere iussioni, ac sæpedicti Patris meritis, cuius nimirum præconio deesse non poterat, quidquid in hoc mihi opere proueniret, obnixè me suffragandum sperabam. Huc accedit, quòd idem ipsum opus, cuius esset difficultatis, nondum clarabat, dum eo solùm videlicet ordine præfata suaderet excipere testimonia, quo ita sois reperirentur in schedulis. At verò postquam iam parte sic decursa consultò aduertissem, quod cœpto tenore magis operis ordo confunderetur, quàm claresceret: quique lectorem magis ad soporem quàm ad meditandum excipere posset, ratus sum longè satiùs, fructuosum me quantælibet difficultatis laborem arripere, quàm infructuosam illam amplectendo facilitatem sectari. Relicta igitur cœpti tenoris prosecutione, qua vetera nouis, agiographa, seu Regum acta commiscebantur Propheticis, ea sic denuò ordinare aggressus sum, vt vtraquæque testimonia per suos libros componendo distinguerem: quatenus quisquis ea studiosiùs requirere velit, eodem valeat ordine singula reperire, quo suis sunt sita codicibus: istiusque diligentiæ nec ipsis quoque prælibatis incidentibus abnegans, simplicem modò eorum textum cæteris interserui: ne si ea cum suis ibi expositionibus ponerem, mihimet laborem geminarem, & lectori fastidium incuterem, cùm eadem repeteret, quæ iam se superiùs legisse cognosceret. Præterea sic eadem prætitulare studui, vt quæ singula schedarum suarum loca teneant, nominatim expres-

A serim. Ast tamen caueat Lector, ne dum in cuiuspiam titulo legerit in epistolis ad personam illam, siue in sermone illius Sancti, & in vna epistola, vnoue sermone minimè forsan requisita repererit prope, me mendacij redarguendum censeat: cùm & ad vnam personam illius plures sint epistolæ, & in vnius Sancti præconio plures nihilominus elimati sermones. Quocirca quæ inueniuntur in his, reperienda non dubitetur in aliis: quemquam & super hoc plerumque valeat in ipsis prætitulationibus edocere. Hoc quoque attendendum: quia
B dum nonnulla diuersis locis sita repererim, atque alibi latiùs, alibi compendiosiùs exposita, vel etiā stili permutatione, seu ordinis, licet sub eodem intellectu, tamen aliquatenus disparata aliquotiens, quæ competere videantur, altrinsecus elegi, & in vnius sententiæ formam deducta composui. Aliquotiens verò vtramque expositionem, cùm res videlicet exposceret: sic vt ibi comperi, ita nihilominus hic integram sigillatim apposui. Porrò, nec istud prætereundum: quoniam quibusdam sententiis tam congruentia illic proposita reperi, quæ
C suis in præfationibus hic minimè deberent mutari: quibusdam verò non modò ex aliquantò longiùs præfatis, verùm etiam ex subsequentibus, quæ forent aptanda, sumere necesse habui: aliis denique [illegible] solùm edita coaptare cogebar: nec tamen quis super hoc mirandum ducat, dum istarum præcedentia sententiarum nequaquam passim ad ipsas tanquam necessariò subsecuturas spectauerint, licet rationem eas introducendi præstiterint, Vnde non necessarium fuisse perpenditur, vt quælibet his vbique sententiis hærerent, quæ suis hic aptari prælocutionibus pos-
D sent. Sed iam cùm extrema propinqua, mea ad te, Pater, verba conuerto, vt cui militant prima, iure quoque famulentur vltima. In primis itaque veniam super erratis, quibus in hoc forsitan videor deliquisse negotio, submissè coram vestræ Sanctitatis magnitudine imploro: quam simul quoque mihi cum hoc fœnore largiri deposco, quatenus quæ corrigenda sunt nullatenus incorrecta relinquat: ne quid extra de cætero manna inueniat, quod mel tum insultatione decerpat. Nequaquam enim reor sic me cu-
E currisse, vt per omnia irreprehensibilis vsquequaque reperiat. In quibus ergo quandoque redarguendus appareo, propriæ (ipsemet confitens) imperitiæ deputare, quàm procaciter defendere malo. Si quid verò, quod fortè placeat, gesserim, obedientiæ vestræ Sanctitati exhibitæ, eiusdemque sæpè recolendi Patris meritis post Deum, cui principaliter cuncta quæ ipse distribuit dona, reddenda sunt, deuotus attribuo. Apud cuius quæso Maiestatis clementiam, vestra me pietas suis dignis orationibus commendare dignetur. Quod sanè mercedis, à cunctis quoque, quibus hoc meum fortè studium olim profuerit, humili supplicatione deposco.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula Libri Genesis.

1. *DIxit Deus: Fiat lux, die prima.*
2. *Quod secunda die fecit firmamentum, & diuisiones aquarum.*
3. *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida.*
4. *Quod quarto die facta sunt luminaria in firmamento Cœli.*
5. *Quod quinto die pisces, & volucres sint creati.*
6. *Quod sexto die creatus est homo.*
7. *Quod Sabbato Dominus consummatis omnibus, requieuit & hominem requiescere præcepit.*
8. *Immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, &c.*
9. *Quod deambulante Domino in Paradiso, Adam quia nudus esset, se abscondit.*
10. *Quod de Cain septuplum vltio dabitur, de Lamech autem septuagies septies.*
11. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis è bitumine liniens intrinsecus, & extrinsecus.*
12. *De mensura arcæ diluuij.*
13. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes, quos operuerat.*
14. *Quod diluuium post centum quinquaginta dies cœpit imminui.*
15. *Requieuit arca mense septimo, xxvij. die mensis super montes Armeniæ.*
16. *De coruo, & columba ex arca dimissis.*
17. *Expectatis autem septem diebus aliis, rursum dimisit Noë columbam ex arca.*
18. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrem, cuius culmen pertingat ad cælum.*
19. *De quinque Regibus, Sodomæ scilicet & Gomorrhæ, & cæterarum subuersarum Vrbium quæ à quatuor sunt Regibus superati.*
20. *Quòd Abraham, cùm Domino sacrificium offerret, pecora per medium diuisit, aues verò non diuisit.*
21. *Quod Abraham volucres super sacrificium descendentes abigebat.*
22. *Cumque Sol occumberet, sopor irrupit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.*
23. *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.*
24. *Quod Sodomitæ dum conarentur ad Angelos violenter irrumpere, cæcitate percussi sunt.*
25. *Quod Abraham vnicum sibi filium sacrificandum Deo obtulit.*
26. *De Lia & Rachel vxoribus Iacob.*
27. *De Bala & Zelpha ancillis.*
28. *Quod Rachel nomen filij sui Benoni vocauit: Pater verò appellauit eum Benjamin.*
29. *Iste est Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinos Sebeon patris sui.*
30. *Descendit Iudas in Thamna ad tondendas oues cum Hira opilione gregis sui Odolamita.*
31. *Iussit Ioseph ministris, vt implerent saccos fratrum tritico, & reponerent pecuniam singulorum in saccis suis, in Benjamin verò sacco scyphum quoque cum pecunia includerent.*

Finiunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Genesis.

I. In Epistola ad Hildebrandum & Stephanum Cardinales; in qua docet, qualiter rationalis anima ad perfectionem veniat.

Petrus Damianus 10. 1. Epist. 5. lib. 1.

QValiter homo valeat consummari, quomodo debeat perfici, libet succinctè perstringere: prout in ipso mundanæ creationis datur ordine reperiri. Nam quia homo microcosmus, hoc est, minor mundus asseritur, necesse est vt ad suæ plenitudinis incrementa contendens, ipsam mundanæ conditionis speciem imitetur: vt sicut visibilis atque corporeus hic mundus per suarum molem ac multitudinem consummatus est partium: sic &

A homo noster interior paulatim ad sui plenitudinem veniat per augmenta virtutum. De qua nimirum plenitudine speciali dicit Apostolus: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Age igitur, dixit Deus: Fiat Lux. Tunc autem in homine dicitur, vt Lux fiat, cùm datur, vt illuminatio sibi credulitatis infulgeat. Prima quippe mentis lux, fides est. Vnde iam fidelibus dicit Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et hoc est primum in Lege præceptum: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Tunc itaque in homine prima dies fit, cùm nouus ad fidem venit.

Ephes. 4. Gen. 1. Ephes. 5.

A

II. In eadem Epistola.

Vbi sup. Secundo die fecit Deus firmamentum, quod est cælum, fecitque diuisiones aquarum, vt aliæ per inferiora defluerent: aliæ in superioribus remanerent. Quid autem firmamentum, nisi robur est Scripturarum? Vnde legitur: Quia cælum in die *Esai. 34.* iudicij plicabitur sicut liber. Quid autem aquæ inferiores, nisi multitudinem hominum? qui superiores, nisi chori sunt Angelorum? Angeli enim Scripturarum cælum non habent super se, sed sub se; quia non egent, vt Verbum Dei legentes audiant, quia ipsum Dominum præsentem manifestè conspiciunt, & in eius semper amore flammescunt. Cùm igitur homo per firmamentum, hoc est, per cælestis eloquij documentum, iam incipit inferiores aquas, superioresque videre, id est, carnalia à spiritualibus, terrena à cælestibus separare; nam in eo secundus fit dies, quia non modò fidei lucem, sed & rerum incipit habere discretionem.

III. In eadem Epistola.

Vbi sup. Gen. 10. Deinde dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in vnum locum, & appareat arida. Facta igitur diuisione inter terrena, sicut dictum est, atque cælestia, necesse est vt humana mens hæc eadem terrena adhuc inter se minutiùs diuidat, & sic reprobos homines huius terrenæ sapientiæ salsugine prurientes, à iniustis fontem fidei sitientibus tanquam ab arida, mare discernat. Iohdeles enim, siue carnales quilibet amaris tentationum fluctibus quatiuntur, & tanquam procellosis cupiditatum, vel arrogantiæ tempestatibus intumescunt. Sancti verò quippe, & Iusti, velut arida, Dominum sitiunt, & tanquam ferax terra virentes bonorum operum fructus germinare contendunt. Ideoque præcepit Deus, vt eodem die germinaret terra herbam virentem, facientem semen, & *Gen. 10.* lignum pomiferum faciens fructum. Quisquis ergo hoc solerter exequitur, quisquis hoc subtiliter meditatur, huic proculdubiò tertius iam dies exoritur. Vnusquisque ergo se ab amara carnaliter sapientium salsugine diuidat, fontem vitæ Dominum, factus arida, medullitus sitiat, bonorum fructuum germina proferat, vt sibi dies tertius illucescat.

IV. In eadem Epistola.

Vbi sup. His enim ita compositis, & salubriter ordinatis, anima hominis quasi dimotis, atque sopitis tenebris vitiorum, incipit radiare nitore virtutum. Atque ideò dicitur: quia quarto die facta *Gen. 10.* sunt luminaria in firmamento cæli. Quid est enim, quia priùs germinat terra, & protinus luminaria sunt creata? nisi quòd prodeunte germine boni operis, lux in anima copiosior oritur, vt imitari valeat sui vestigia Redemptoris. Accelerat ergo terra mentis humanæ spiritualium segetum germinare prouentum, vt rutilantibus intimæ lucis radiis illustretur; quatenus dum quarti diei luce perfruitur, etiam ad contemplanda cælestia more spiritualium volucrum rapiatur.

V. In eadem Epistola.

Vnde est, quòd in quinta die creati sunt pisces; per quos designantur hi, qui Baptismatis Sacramenta suscipiunt; volucres etiam, quæ *Vbi sup.* significant eos, qui virtutum pennis ad cælestia se contemplanda suspendunt. Quintum ergo diem cum volucribus habet, quisquis sæculi huius amore contempto, quasi designatur cænum calcare terrenum, ac per contemplationis gratiam ad cælestia gloriæ se prouehit appetitum. Hic itaque iam non in terra gradiatur, sed per aërem volat; quia terrena quæque despiciens, ad cælestia sitibundus anhelat: Sitiuit, inquiens, anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & B apparebo ante faciem Dei? Hic ergo quasi vir *Psal. 41.* perfectus, ad Conditoris meritò formatur imaginem; nimirum qui tantam spiritualium charismatum possidet dignitatem vt non iam solummodò quorumlibet optimam præcipiatur tenere sanctorum, sed & ipsum, in quantum fas est, imitari conetur exemplum; sicut dicit Apostolus: *Ephes. 5.* Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Differentia quippe erat inter Paulum, qui imitabatur Christum: & eos, quos vocabat ad imitandum seipsum: Imitatores, inquit, mei estote sicut & ego Christi. *1. Cor. 11.*

C

VI. In eadem Epistola.

Vnde sexta die creatus est homo ad sui similitudinem Creatoris. Quod vtique *Vbi sup.* sicut tunc factum est per humanæ conditionis exordium, ita nunc agitur per restaurationis intimæ Sacramentum. Hic præterea inter omnia terræ, aquæ, similiter & aëris animantia, quasi monarchiam accipit, & quemdam sublimioris excellentiæ principatum; quia vir quisque perfectus, ac virtutibus consummatus, nouit de singulis rectam proferre iudicium, sicut Apostolus ait: Spiritualis autem iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Hunc itaque Deus *Cor. 2.* D omnipotens perfectum virum, mundo scilicet mortuum, sibique viuentem suum constituit thronum, ac per eum sæpè iustitiæ suæ promulgat edictum. Hinc est, & quòd ordo ille Angelicus, per quem frequentiùs iudicia sua decernit omnipotens Deus, Throni vocatur; quia in eis summus Arbiter præsidet, cùm iudicia per eos æquitatis exercet. Perfectum itaque virum Deus suum constituit solium, vt in eo suauiter requiescat. Vnde per Prophetam: Super quem, *Isai. 66.* inquit, requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & mansuetum, & trementem sermones meos? Et notandum, quòd per vnumquemque diem dicitur: Factum est vespere, & mane. E Vespere scilicet, ipsa boni operis est perfectio, mane verò lux mentis. Nam cùm bonum opus peruenit ad perfectionem, tunc in operantis mente lux gratiæ spiritualis exoritur; vt dum lucidum opus foris exequitur, intrinsecus ipsa gratia spiritus illustretur.

VII. In eadem Epistola.

Sic itaque peruenitur ad Sabbatum, in quo *Vbi sup.* Deus & ipse consummatis omnibus requiescit, & hominem requiescere præcipit. Hoc itaque modo & homo fit Sabbatum Dei, & Deus Sab-

Ioan. 15. batum hominis; cùm & ipse in Deo, & Deus A requiescit in eo. Manete, inquit, in me, & ego in vobis. Ipse quippe nobis & intemporale tempus, & illocalis est locus. Illocalis scilicet, quia non circumscribitur: intemporalis, quia nunquam finitur. Tempus itaque nobis est, dum *Ioan. 11.* dicit: Nonne duodecim horæ sunt diei? Se scilicet diem: duodecim autem horas, totidem dicit Apostolos. Locus verò illic indubitanter ex- *Psal. 101.* primitur, vbi Propheta cùm præmisisset: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; protinus addidit: Filij seruorum tuorum habitabunt; ibi haud dubium, quando in te. Fecit itaque Deus cælum & terram, requieuisse non B dicitur: Fecit omnia, quæ pascuntur in terris & quæ mouentur in aquis. Et in omnibus his nunquam legitur requieuisse: Sed plasmato ad imaginem suam homine, Sabbatum protinus quietis illuxit, & sic vniuersitatis Conditor requie- *Isa. 49.* uit. Et cùm ipse per Prophetam dicat: Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; quod in illorum conditione non dicitur, in sola hominis conditione quieuisse perhibetur. Et vt magis ac magis insignem huius *Gen. 2.* diei stupeas dignitatem, dicit Scriptura: Quia benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia ipse cessauerat ab vniuerso opere suo; quod in cæteris diebus fecisse nullo modo reperitur. Quid est enim Deo Sabbatum sanctificate, nisi templum sibimet in sancti, atque per- C fecti viri mente construere? Sicut & Apostolus: Templum, ait, Dei sanctum est, quod estis vos, *1. Cor. 3.* & Spiritus sanctus habitat in vobis. Porrò autem, sicut de Sabbato diximus; ita quoque ratio exigit, vt de Templo dicamus. Quia & Deus Templum hominis, & homo est Templum Dei; *Apoc. 21.* sicut in Apocalypsi Ioannes ait: Templum non vidi in ea: Deus enim omnipotens Templum illius est, & Agnus. Templum atque hominis Deus: Templum Dei fit homo. Hoc hominis Templum, spiritualis est Paradisus: mens scilicet sancta, mens perfecta, mens munda, atque ad sui Conditoris imaginem signanter expressa. Hæc, inquam, mens, siue rationalis anima, iu- D re dicitur Paradisus, quæ & cælestium charismatum est fluentis irrigua, & tamquam fertilium arborum, vel herbarum, sic virentibus sanctarum virtutum vernat germinibus adornata. Fons enim ille siue fluuius, qui illic dicitur egredi de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, quique diuiditur in quatuor capita, ratio mentis est, ex qua velut originali fonte quatuor virtutes, Iustitia videlicet, Fortitudo, Prudentia, similiter & Temperantia, quasi totidem salutiferi gurgites profluunt, qui terram nostri cordis fertilem reddunt: Lignum verò vitæ ipsa bonorum mater est Sapientia; de qua & Salomon ait: Lignum vitæ est his, qui apprehenderint *Prou. 3.* eam, & qui tenuerit eam, beatus. Lignum verò scientiæ boni, & mali, trasgressio est legis indi- E ctæ, experimentumque miseriæ. Sed quia nobis propositum non est exponere cuncta per ordinem, sufficiat hîc succinctè, quæ huic negotio competunt, prælibasse.

VIII. In Sermone de S. Columbâ.

Petrus Damianus to. 2. Serm. 67. AD hoc Dei virtus exinanita est, vt infirma nostra firmaret: ad hoc sublimitas inalinata est, vt deiectos erigeret: ad hoc vita mori dignata est, vt mortis imperium destruens ad vitam A mortuos reuocaret. Quod nimirum etiam in *Gen. 2.* ipso generis humani declaratur exordio. Scriptum *Ephes. 5.* est enim: Quia misit Dominus soporem in Adam; cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Super quo cùm loqueretur Apostolus, dicens: Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; præstò subiunxit: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Et verè magnæ virtutis iudicium, mirandæ profunditatis est Sacramentum. Per Adam siquidem B Christus, per Euam designatur Ecclesia. Quid est autem, quòd prius Adam Dominus soporauit, deinde costam ex eius latere, vnde mulier formaretur, eduxit, nisi quia priùs Redemptor noster in morte dormiuit, sicque de latere eius in Ecclesiæ Sacramentum sanguis, & aqua profluxit. Translata est Eua de viri latere dormientis, exiuit Ecclesia de latere Christi in Cruce pendentis. Sed quid est, quòd omnipotens Conditor cùm mulierem de viro, id est, fragilem sexum de fortiore propagare disponeret, non viri carnem, sed os potius ad faciendam fœminam sibi voluit materiam exhibere? Potuit enim Deus homini carnem detrahere, vnde fœmina formaretur, & hoc certè congruentius videretur: fiebat enim sexus debilior: qui nimirum consequen- C tiùs de carnis infirmitate, quàm ex ossis procederet fortitudine: & vt magis stupeas diuini operis Sacramentum; non pro osse os redditur, sed carne potius, quod in viri corpore vacabat, impleuit. Vnde Scriptura cùm dicit: Tulit vnam *Gen. 2.* de costis eius; mox addit: Et repleuit carnem pro ea. Poterat nempe ad mulierem plasmandam carnem viro detrahere, poterat osse ossis dispendium immutilato corpore restaurare; sed os tulit, & carnem reddidit, sicque fragilem de virtute formauit. Debilis itaque factus est Adam, vt fortis fieret Eua: infirmatus est Christus, vt roboraretur Ecclesia: illius enim infirmitas, nostra est fortitudo; & ad hoc ille nostram pertulit infirmita- D tem, vt ad suam nos statueret fortitudinem. Quod infirmum est Dei, ait Apostolus, fortius est hominibus. Et alibi: Nam si crucifixus est Christus ex *1. Cor. 1.* infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Nam & si nos *2. Cor. 13.* infirmi sumus in illo, sed viuimus in eo ex virtute Dei. Enimuerò sæculi huius homines, qui bellorum ambiunt virtute clarescere, qui per ora vulgi suas optant victoriis celebrari, cùm ingressuri sunt prælium in corpore suo quod infirmum est & molle subiiciunt: quod durum est atque ad penetrandum difficile, superponunt; loricis quippe se ferreis induunt, & carnem quæ facile cedit ictui, custodire contendunt; vt illud durum ac forte, quod foris est, defendat molle, quod intus est. Redemptor autem noster, cùm huiusmodi campum pugnaturus ingreditur, cùm ad debellan- E das aëris huius nequitias fortis præliator armatur, quia nouum debebat instituere prælium, nouum induit genus armorum; videlicet, vt quod infirmum est superponeret, & quod robustum est, occultaret. Loricam siquidem imbecillæ carnis induit, & insuperabilem diuinitatis fortitudinem occultauit. Sic sic per carnem Diabolus à secundo homine perdidit, qui per carnem dudum primum hominem superauit; eademque sibi nunc ruinæ facta est causa, quæ victoriæ fuerat de primo parente materia.

IX. In Epistola ad Ariprandum, in qua hortatur vt Dei seruus secularibus non studeat litteris.

Petr Dam. tom. 1. Epist. 17. lib. 6.

FRigus conceptum pectori vocem intercipere consueuit. Hoc denique frigus iam tunc ille conceperat, qui deambulanti Domino ad auram Paradisi post meridiem raucis quodammodo vocibus respondebat: Audiui, inquit, vocem tuam, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me. Porrò, quia meridianus ab illo iam feruor abierat, aura, quæ frigoris est alumna, huc accedebat: quia & illum iam innocentis sublata nudauarat. Hæc omnia quid aliud innuunt, quàm quòd illius viscera extincti amoris algor obstrinxerat, atque idcircò vox illius in auribus Domini raucum sonabat? Ab hoc planè frigore Abraham alienus extiterat, de quo Scriptura pronuntiat: Quoniam apparuit ei Dominus in ipso feruore diei. Et Sponsus ille cælestis, sicut in Canticis legitur, Pascit & cubat in meridie.

Gen. 18. *Cant. 1.* B

X. In Sermone S. Lucæ.

Petr Dam. to. 2. Serm. 14.

ET beatus Lucas, vt expiari nos à nostris sceleribus per aduentum nostri Saluatoris ostendat, non ab Euangelicæ narrationis exordio, sed à Baptismo dumtaxat Christi cognationis ordinem inchoat; quem per LXXVII. cognationum gradus ascendendo describit. Quod etiam in libro Geneseos euidenter ostenditur, vbi Lamech vxoribus suis dixisse narratur: Septuplum vltio dabitur de Caïn, de Lamech verò septuagies septies danda dicitur; quià LXXVII. homines de fœmoribus eius perhibentur egressi, ac postmodum diluuio vorante referuntur absorpti; Sed quia Lamech percutiens siue percussus exprimitur, quid per hoc, nisi primus parens humani generis figuratur? qui nimirum peccati telum, quo primus ipse percussus interiit, vniuerso quoque generis successiuæ posteritatis inflixit. De hoc ergo Lamech septuagies septies vltio data est; quia peccatum, quod primus homo contraxit, per 77. generationes in humano genere viguit vsque ad Christum; siquidem peccatum originale permansit, quod ipse per Baptismi sui (vnde Lucas incipit) sacramenta deleuit: vbi videlicet de illo dicitur: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

C D *Ioan. 1.*

XI. In libro de perfectione Monachorum.

Petr. Dam. to. 3. opusc. 13. c. 24. Gen. 6.

ARcam, quæ octo animas inter cataclysmi fluenta continuit, intrinsecus & extrinsecus liniri bitumine vox diuina præcipit. Sancta scilicet Ecclesia, quæ ad resurrectionis gloriam tendit, sic intra & extra bitumine linitur, vt & foris blandiatur in fraterna dolcedine, & intus cohæreat in dilectionis mutuæ veritate. E Quisquis enim intus amat, sed foris à fratribus morum in consona asperitate discordat, intrinsecus quidem bitumen habet, sed extrinsecus non habet. Quisquis verò se specie tenus affabilem præbet, amicitiam simulat, sed in cordis occulto veritatem amicitiæ non conseruat, damnabiliter intus hiat, cùm forinsecus superducti bituminis simulatione cohæreat. Quorum videlicet à diluuiali naufragio neuter eripitur; qoia duplici charitatis bitumine, vt diuinitus præceptum est, non munitur. Qui autem & se foris præbet amabilem, & intus conseruat amorem, A foris cum ramis verbi fructus exhibet beneficij, intus altam radicem figit, quia medullitus diligit; hic profectò & intus & extra bitumine linitur, quia duplici charitatis glutino, cum proximis fœderatur. Porrò autem quia de lignis læuigatis prius fieri arca præcipitur, & sic deinceps, vt bitumine liniatur; per hoc apertè nobis innuitur, vt ligna nostra, duri videlicet mores & inculti, prius debeant poliri per spiritualis exercitij disciplinam, vt compactæ dehinc fabricæ bitumen accedat. Enimuerò quamdiu mores hominum asperi sunt & inculti, inaniter eis charitatis gluten apponitur; quoniam ab inuicem citò desiliunt; dum eis politæ mortalitatis æquata confœderatio non tenetur.

B *XII. In sermone de Exaltatione sanctæ Crucis.*

Petr. Dam. to. 2. Serm. 49. Gen. 6.

CRucis mysterium illa in se diluuij Arca continuit, cuius longitudinem trecentorum fuisse cubitorum Scripiuta definit. Qui videlicet numerus in Thau littera, quæ Crucis exprimit speciem, continetur. Porrò sicut Noë cum suis per aquam, lignumque saluatur; sic & Christi familia aqua saluatur & ligno; dum & baptismo salutis abluitur, & viuificæ Crucis impressione signatur. Quæ videlicet arca (vt in Sacramento Christi humani corporis videatur æquiparare mensuram) trecentos habuisse cubitos in longitudine, quinquaginta in latitudine, triginta verò in altitudine perhibetur. C Trecenti namque quinquagenarium numerum sexies, & tricenarium in se decies includunt; & humani corporis longitudo, à vertice videlicet vsque ad pedes, sexies tantùm habet, quàm latitudo, quæ est ad dexteram vsque ad sinistram: & decies tantùm quàm altitudo, quæ est ante & retrò. Sic nimirum arca & in trecentenario longitudinis suæ numero speciem Crucis, & in totius suæ dimensionis habitudine figuram tenet Dominici corporis; & sicut septem animæ donantur Noë, vt per lignum saluentur in vndis, sic septem Ecclesiæ septiformi Spiritu repletæ saluantur in Christo per lignum Crucis, & aquam baptismatis. D Per lignum nempe nos seruituti Princeps superbiæ subdidit; per lignum hoc humilitatis Auctor in libertatis titulos reuocauit.

XIII. In Sermone de sancto P.

Gen. 7.

QVindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes, quos operuerat. Quindenarius plane numerus, quia ex septem constat & octo, mysterium in se continet beatæ quietis, & futuræ resurrectionis; quoniam omnipotens Deus & octauo die cùm mundum conderet, requieuit: & octauo cùm redimeret, resurrexit, virtusque huius numeri sacramentum continet specialiter E in baptismo, vbi scilicet & noui de vetustate resurgimus, & deinceps quiescere à mundani strepitus perturbatione iubemur. Hoc denique septimæ quietis & octauæ resurrectionis mysterium non intelligunt, qui vel gloriæ mundanæ iactantia, vel terrenæ sapientiæ vanitatibus intumescunt. Vnde apertè hîc dicitur: Quia quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes, quos operuerat. Montes scilicet superbos significant & elatos. Altum ergo, atque profundum resurrectionis & quietis intimæ sacramentum, omnem transcendit intellectum sapientium superborum.

XIV. In

CAPVT XIV.

In eodem Sermone.

R*Euersę sunt aquæ super terram euntes & redeun-*
Gen. 8. *tes; & cœperunt minui post centum quinquaginta*
dies. Quoniam in regenerationis nostræ mysterio,
septima requies cum octaua resurrectionis con-
iungitur, benè in Genesis libro dicitur: Quia re-
uersæ fuerunt aquæ de terra, & cœperunt minui
post centum quinquaginta dies. Septuaginta nam-
que, quià septem, & octoginta, qui ab octo di-
numerantur, simul juncti, centum quinquaginta
faciunt.

CAPVT XV.

In eodem Sermone.

Gen. 8. R*Equieuit Arca mense septimo, 27. die mensis super*
montes Armeniæ; quia nimirum septenarij re-
quies benè in Baptismo commendatur: Quod vi-
delicet per diluuium illud signatum esse dignos-
citur; in quo noui de vetustate resurgentes, dein-
ceps quiescere à mundani strepitus perturbatione
iubemur.

CAPVT XVI.

In Libro de perfectione Monachorum.

IN huius quippe mundi salo iusti laborant, vbi
suam reprobi possident requiem. Quam videli-
cet diuersitatem benè coruus ex Arca dimissus, &
Gen. 8. columba significant. *Coruus* quippe *cadaueribus in-*
fidens ad arcæ claustra non rediit, columba autem reuersa
est: quia vbi pes eius requiesceret, non inuenit. Hic
enim vbi praui quoque carnalibus se voluptatibus
satiant; sancti viri reperire nequeunt, vbi ad
quiescendum desiderij sui pedem ponant.

CAPVT XVII.

In Sermone in Cœna Domini.

P.D.tom. I. DVm mundi crimina diluuio quondam expia-
Serm. 10. rentur effuso, futuri muneris columba simi-
Gen. 8. litudinem prætulit, cum per Oliuæ ramum, pa-
cem terris redditam nuntiauit. Ait enim Scri-
ptura: *Exspectatis autem 7. diebus aliis, rursum dimi-*
sit Noe columbam ex Arca: at illa venit ad eum ad
vesperam, portans ramum Oliuæ virentibus foliis in ore
suo. In emissione, ac reuersione columbæ se-
ptenarius numerus ponitur; quia septem esse
proculdubiò Spiritus sancti dona noscuntur. Ves-
pertina verò hora ad Arcam columba reuertitur;
quia Spiritus sanctus, qui in mundi principio fe-
rebatur super aquas, iam vesperascente sæculo,
sanctam repleuit Ecclesiam.

CAPVT XVIII.

In Epistola ad Hirmisindin Sanctimonialem; in qua di-
citur, quod ædificium humana superbia citò destruitur.

P.D.tom. I. C*Vm proficiscerentur de Oriente, inuenerunt*
Epist. 12. *campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo,*
lib. 8. *dixitque alter ad proximum suum. Venite faciamus la-*
Gen. 11. *teres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro*
saxis, & bitumen pro cemento. Porrò autem cùm

A Christus verè sit Oriens, Propheta testante, qui
ait: *Ecce vir, Oriens nomen eius*; De Oriente veniunt,
qui à Christi consortio malè viuendo, vel proxi-
mos lacerando, recedunt. Sennaar interpretatur,
excussio dentium, siue fœtor eorum. In campo
igitur Sennaar habitant, qui non constituti in arce
virtutum, sed potius in conualle vitiorum, & den-
tes excutiunt, vt proximos suos detractionibus
quasi mordicus rodant: & fœtores emittunt, dum
in cœnosæ conuersationis squaloribus computres-
cunt. Sed eorum dentes Deus omnipotens excu-
tit, dum peruersorum quorumlibet & facta simi-
liter & verba confundit. Vnde & illic dicitur: *Id-*
B *circò vocatum est nomen eius Babel*; quia ibi confusum
est labium vniuersæ terræ; & ideò dispersit eos
Dominus super facie cæterarum regionum. Rectè
ergo dicitur, quia superbi illi homines ac vanæ
gloriæ captatores, nimirum dicentes ad alterutrū:
Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrem, cuius
culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomē
nostrum, antequam diuidamur in vniuersas ter-
ras; & habitauerunt in campo Sennaar; quod
apud nos, sicut dictum est, sonat excussio dentium,
vel fœtor eorum. Quoniam peruersi quique dum
contra diuinæ legis mandata superbiunt; dum ad-
uersus Dominum, ceruicem cordis arroganter at-
tollunt, & proximus nonnunquam damnabiliter
detrahunt, & ipsi procliuiùs in obscœnæ vitæ ster-
quilinio volutantur. Et de excussione quidem den-
C tium per Dauid dicitur: *Tu percussisti omnes ad-* Psal. 3.
uersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contri- Psal. 57.
uisti. Et alibi: *Deus conteret dentes eorum in ore*
ipsorum, molas Leonum confringet Dominus. De fœ- Ioël. 1.
tore quoque eorum alius Propheta dicit: *Compu-* Isa. 3.
truere iumenta in stercore suo. Et Isaias: *Erit*, in-
quit, *pro suaui odore fœtor.* Enimuerò quisquis vult
ædificium condere, quod facilè ruinæ non sit ob-
noxium, necesse est, cum non lateres & bitumen
habere, quæ repente dissiliant; sed lapides potius,
ac saxa, quæ parietes erigant: & calcis, ac sabuli
cementum, quod ipsos parietes inuiolata lapidum
compage constringat. Quod ergo iam dicti Baby-
lonij lateres pro saxis, & bitumen habuerant pro
D cemento, carnalis vitæ significat ædificium, ad
vim ventorum, vel impetum fluminum quanto-
cyus obruendum.

CAPVT XIX.

In Epistola ad Bonifacium Causidicum; vbi dicitur, vt
exteriori prudentiæ spiritualis sapientia præferatur.

P*Rudentia huius mundi inimica est Deo: Legi enim*
Dei non subijcitur, nec enim potest. Hinc est, P.D.tom. I.
quod sicut in libro Genesis dicitur; quòd Epist. 4.
quinque Reges, qui subesse noluerunt Chodor- lib. 6.
lahomor, à quatuor Regibus superati sunt; & Rom. 8.
vbi? in valle Siluestri, quæ nunc est mare sa- Gen. 14.
lis. Qui sunt enim quatuor Reges, nisi qua-
E tuor virtutes, quas Scriptura sacra nominat
principales? Quid verò per quinque Reges, ni-
si totidem sensus corporis, ac per eos exterior
scientia designatur? Sicut autem illæ quatuor
virtutes velut ex originali matris suæ, ratio-
nis scilicet fonte procedunt; sic istæ in terre-
næ sapientiæ vanitate, velut in conualle salsu-
ginis immorantur, ibique à suis hostibus sunt
prostrati; quia dignum est, vt in anima ho-
minis spiritualis sapientia vincat, & carnalis
prudentiæ calliditas pereat. Hinc & de Da- 2. Reg. 8.
uid legitur: quia fecit sibi nomen cùm reuerte-

retur capta Syria in valle Salmarum, cæsis duodecim milibus.

CAPVT XX.

In Epistola ad Alexandrum Papam.

Petr. Dam. tom. 1. epist. 15. lib. 1. Gen. 15.

QVi tollens, inquit Scriptura, *vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrinsque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.* Terrena quidem animalia contra se, & altrinsecus opponuntur; quia terreni quique contra proximos iurgiis, & contentionibus sæuiunt, vel certè occultis aduersus eos odiorum fomitibus inardescunt. At contrà, qui sese in altum cælestis desiderij pluma sustollunt, dum sacrificium Deo semetipsos offerunt, à mutuæ dilectionis glutino non recedunt.

CAPVT XXI.

In Epistola ad Desiderium Abbatem Casinensem.

Petr. Dam. tom. 1. epist. 15. lib. 1. Gen. 15.

MAligni spiritus, vel orationes nostras prauis cogitationibus polluere, vel opera bona peccati cuiuslibet attaminatione corrumpere nituntur. Vnde scriptum est: Quia, *cùm Abraham Deo sacrificium de pecoribus & volucribus deuotus offerret, descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham.* Quid enim exprimunt volucres, nisi reprobos spiritus per aëra volitantes? Volucres ergo à sacrificio nostro repellimus, cùm orationum, seu operum nostrorum victimas à malignis spiritibus eas fœdare tentantibus, prouidè custodimus.

CAPVT XXII.

Ad Alexandrum Papam; Vbi conqueritur de insolentia prauorum hominum.

Petr. Dam. tom. 1. epist. 15. lib. 2. Gen. 15.

CVm sol occumberet, *sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* Solis occubitus mundi designat casum: horror verò magnus & tenebrosus vitiorum figurat criminumque caliginem: quæ quotidie pestilenter inhorrescunt, per æstuantem reproborum hominum prauitatem. Vnde & illic paulò post additur: *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans.* Sicut enim fumus ex igne clibani vaporantis egreditur, ita vitiorum omnium flagitiorumque caligo de camino æstuantis auaritiæ generatur. Sicut dixit Apostolus: *Quia radix omnium malorum auaritia est.* Et hoc circa finem diei, hoc est, circa terminum mundi. Fumans ergo clibanus tenebrosam caliginem generat, quia caminus auaritiæ, qui in prauorum hominum pectoribus æstuat, multis peruersitatum tenebris mundum pestilenter obseruat. Annon mentes infœlicium cæcat, quæ scilicet & fidem tollit, & omnium virtutum in eorum cordibus lumen extinguit? Vnde cùm illud præmisisset Apostolus, præstò subintulit: *Quam videlicet auaritiam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Multò quippe se doloribus inserunt, dum propter temporalia lucra infœderabili à se inuicem simultate dissiliunt: & plerumque dum pro corporalibus in arma concurrunt, corporibus animas exuunt. Qui verò solis cœlestibus inardescunt, pro doloribus oblectationibus potiuntur; quia in fraternæ charitatis dulcedine vnanimiter viuunt. Hinc est, quòd in illo sacrificio vespertino, quod tunc Abraham obtulit, pecora quidem terrena ab inuicem sequestrata posuit, sed volatilia non adiunxit. Vnde Scriptura: *Qui tollens*, inquit, *vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrinsque partes altrinsecus contra se posuit, aues autem non diuisit.*

1. Tim. 6. — Gen. 15.

CAPVT XXIII.

In Epistola ad Leonem Papam; vbi accusatum se esse conqueritur.

Petrus Damianus to. 1. Epist. 4. lib. 1. Hebr. 4. Gen. 18.

SI Creatoris nostri facta vigilanter attendamus, ad credenda cuiuslibet mala fidem adhibere facile non debemus: Ipse enim, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, non dedignatus est, cùm loqueretur ad Abraham super Sodomorum clamore, qui ad eum venerat, dicere: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. An non est ita, vt sciam?* Quod profectò ad nil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia, sine experimentis audita, non credere, incognita non leuiter iudicare, nec ante sententiam promere quàm tem dubiam testimoniis approbare.

CAPVT XXIV.

In Libro Gomorrhiano.

Petr. Dam. to. 1. opusc. 7. cap. 5. 4. Gen. 19.

ET ecce, inquit Scriptura, *miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium; & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Sodomitæ namque ad Angelos conantur violenter irrumpere, cùm immundi homines ad Dominum tentant per sacri Ordinis officia propinquare. Sed ij profectò cæcitate percutiuntur; quia iusto Dei iudicio in tenebras interiores cadunt: ita vt nec ostium inuenire præualeant, quia à Deo peccando diuisi, vnde ad eum reuertantur, ignorant. Qui enim non per humilitatis iter, sed per arrogantiæ & tumoris anfractus ad Dominum accedere gestiunt, patet profectò, quia vnde ingressionis aditus pateat, non agnoscunt. Vel quia ostium Christus est, sicut ipse dicit: *Ego sum ostium.* Qui Christum exigentibus peccatis amittunt, quasi intrare cœlestium ciuium habitaculum possint, ostium non inueniunt. In reprobum ergo sensum traditi sunt; quia dum reatus sui pondus in propriæ mentis statera, subtili consideratione non trutinant, grauissimam plumbi massam pennarum inanium leuitatem putant. Quòd ergo illic dicitur: *Percusserunt eos, qui foris erant, cæcitate*, hoc Apostolus manifestè declarat, cùm dicit: *Tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Et quod illic subiungitur: *Vt ostium inuenire non possent*: hoc iste patenter exponit, cùm ait: *Vt faciant quæ non conueniunt*, ac si diceret, vt intrare tentent vnde non debent.

Ioan. 10. — Rom. 1.

CAPVT XXV.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

Petr. Dam. tom. 2. Serm. 18.

ABraham dum immolare Deo filium voluit, cuncta penè per ordinem passionis Christi sacramenta signauit. Sicut enim Abraham, qui pater excelsus dicitur, vnicum & dilectum fi-

lium offerre Deo non dubitauit: ita & summus A Pater vnigenitum Filium pro nobis omnibus tradidit. Et sicut Isaac ipse sibi ligna portauit, quibus Gen. 22. erat imponendus, ita quoque Christus crucis suæ gestauit in humeris lignum, in quo erat pro nostra salute passurus. Duo autem serui illi procul dimissi, Iudæos significant; qui cùm seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, non intellexerunt altissimam humilitatem Christi; atque ideò ascenderunt in montem, locum videlicet sacrificij. Cur autem duo serui, nisi quia peccante 3. Reg. 11. Salomone, ex vna Israëlitica plebe duo facti sunt populi? Quibus vtique sæpe per Prophetam dicitur, *Aduersatrix Israël & præuaricatrix Iuda.* Hier. 3. Asinus autem ille, quo tunc vtebatur Abraham, insensata erat stultitia Iudæorum: illa plane bruta stultitia omnia sacramenta portabat; quæ tamen quid ferret, velut irrationale animal ignorabat. Iam verò quid est quod dictum ei est: *Expectate* Gen. 22. *hic cum asino; postquam autem adorauerimus, reuertemur ad vos?* Audi Apostolum: *Cæcitas*, inquit, Rom. 11. *ex parte in Israel facta est, vt plenitudo Gentium intraret; & sic omnis Israël saluus fieret.* Quid est enim quod dicitur: *Cæcitas ex parte in Israel facta est*; hoc est videlicet, *expectate hic cum asino, vt plenitudo Gentium intraret*; hoc est, postquam adorauerimus, vbi videlicet sacrificium Dominicæ crucis impletum, per omnes Gentes fuerit prædicatum. Quod autem sequitur: *Et sic omnis Israel saluus fieret*; hoc est, reuertemur ad vos. Quid est autem, quòd aries inter vepres hærens cornibus inuenitur, qui pro Isaac immolatus offertur? Crux nempe cornua habet: duo siquidem ligna inuicem compinguntur, & sic crucis speciem reddunt: hinc est enim quod de Christo scriptum est: *Cornua sunt in manibus eius.* Hærens ergo corni- H abac. 3. bus aries, Christus est crucifixus inter aculeatas & vulnificas Iudæorum iniquitates. Sicut ipse per Hieremiam conqueritur, dicens: *Spinis pec-* Hierem. *catorum suorum circumdedit me populus meus hic.* Gen. 22. Peracto sacrificio dicitur Abrahæ: *In semine tuo* Psal. 21. *benedicentur omnes Gentes.* Et postquam Dominus dixit: *Foderunt manus meas, & pedes meos*; paulò post in eodem Psalmo subiecit: *Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium.* Oblato itaque Abraham filio, & pro eo ariete immolato, appellauit nomen loci illius: *Dominus videt.* Quia Redemptor noster, postquam in ara crucis oblatus, mortis nostræ debitum soluit, videndum se deinceps fidelium suorum obtutibus præbuit; vt nimirum redempti omnes illum iam per fidem videant, qui eatenus fidei oculos non habebant.

CAPVT XXVI.

De Lia, & Rachel, in libro de perfectione Monachorum.

P. D. To. 5. opusc. 13. c. 8. PORRÒ non est obscurum quòd Laban duas filias habuit, quarum iuniorem Iacob in coniugium concupiuit: ad cuius tamen amplexus Gen. 29. peruenire non potuit, donec maiorem ignarus atque adeò inuitus accepit. Sed quia rem scientibus loquor, non mihi multis elaborandum est verbis. Laban quippe dealbatio interpretatur; quis autem ad Dominum conuertitur, nisi vt deposita peccatorum nigredine per remissionis gratiam dealbetur? Sicut ipse pollicetur, dicens: *Si fuerint peccata vestra quasi vermiculus,* Isai. 1. *tanquam nix dealbabuntur.* Quod fieri ille peccator postulabat, cùm diceret: *Mundabor, lauabis me,* Psal. 50. *& super niuem dealbabor.* Lia interpretatur, laborans: Rachel, verbum, siue visum principium. Sed si Scripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die seruisse Iacob, propter Liæ desiderium reperimus, sed per totas illas annorum hebdomadas pro sola Rachel seruituti subiacuit: insuper & ipsam Liam ad illius intuitum tolerauit. Quis enim ad Dominum idcircò conuertitur, nisi vt labores, & ærumnas, ac tentationum certamina patiatur? Omnis enim Dominum quærentis intentio hoc spirat, ad hoc spectat, vt ad requiem quandoque perueniat: & in B summæ contemplationis gaudio, velut in pulchræ Rachel amplexibus requiescat, videlicet vt per verbum quod audit ascendat ad videndum principium quod quæsiuit. Sed necesse est vt hunc diuersorum certaminum labor exerceat, antequam ad quietis intimæ suauitatem, quam concupiscit, attingat. Priùs seruitute deprimitur, vt iure postmodum ad perfectæ libertatis titulos prouehatur. Septem verò annis sub dealbationis gratia seruit; cùm septem ea, quæ ad proximi dilectionem pertinent Decalogi mandata custodit, videlicet vt primò timore constrictus, atque ideò seruitutis iugo depressus, saltem à vetustæ legis incipiat institutis; vt omnium parentes honoret; vt non mœchetur, non occi- C Exod. 20. dat, non furetur, non falsum testimonium proferat, non vxorem alterius, non rem proximi concupiscat. Quibus ritè seruatis, non mox, vt spetabat, ad contemplationis oblectamenta perducitur, vt velut expectata diu Rachel pulchritudine perfruatur, sed Lia sibi per noctem inopinatè supponitur; quia inter humanæ huius ignorantiæ tenebras tolerantia sibi laboris iniungitur, ex qua tamen iam numerosam sobolem suscipit; quia vberes spiritualis lucri per hunc laborem fructus acquirit. Hanc itaque tolerando, ad illam quandoque perueniet, quam persequi anter amat. Suadetur ergo vt alios septem annos seruire desudet; quia profectò necesse est, vt ad- D huc alis septem præcepta conseruet; sed iam aliquando liberior, non Legalia tamquam seruus, sed Euangelica sicut gener, videlicet vt sit pauper Matth. 5. spiritu, sit mitis, lugeat, esuriat, sitiatque iustitiam, sit misericors, mundum cor habeat; sit postremò pacificus. Enimuerò vellet homo, si fieri posset, nullas laboris molestias agendo, vel patiendo perferre, sed protinus in ipsis sui tyrocinij rudimentis ad pulchræ contemplationis delicias peruenire; verumtamen hoc non in terra morientium fit, sed in terra viuentium. Quod significare videtur illud, quod ad Iacob dicitur: *Non est,* inquit Laban, *in loco nostro consuetudinis, vt minores* Gen. 29. *ante tradamus ad nuptias*; nec absurdè maior appellatur, quæ prior est tempore. Prior est enim in E hominis eruditione labor boni operis, quàm requies contemplationis. Expletis itaque duabus hebdomadibus, altera videlicet legis antiquæ, altera Euangelicæ gratiæ, mox ad diu desideratæ Rachelis peruenitur amplexus. Quia quisquis pertingere ad diuinæ contemplationis oblectamenta desiderat, priùs necesse est, vtriusque Testamenti peragere mandata contendat.

CAPVT XXVII.

De Bala & Zelphâ in, eodem .ibro.

Vltsap.c.3. SEd quia electus quisque perfectionis suæ limite non contentus. filios etiam Deo gignere spirituali fœcunditate desiderat; postquam coniugale fœdus Iacob cuio duabus sororibus inuit, ad propagandum vberioris germen sobolis, ancillas quoque ad geoerandi vsum suscipere non refugit; atque vt omnia spiritualibus intelligantur reduodare mysteriis, ipsatum qooque ancillarum nomina sub mysticis sunt pronuntiata figuris. Nam
Gen. 30. Bala interptetatur, inueterata. Sanè quia intel- B lectum spiritualis substaotiæ nudis verbis humana lingua nequit exprimere, quandoque doctrina sapientiæ per quasdam corporeas simoilitudioes audientem nititur informare. De veteri autem vita, & catnalibus sensibus dedita, corporeæ cogitantur imagines: quarum videlicet ad doceodum vsus assumitur, cùm aliquid ex incomprehensibili & incommutabili essentia Diuinitatis auditur. Rachel itaque maluit vtcumque filios ex ancilla suscipere, quàm omnino sterilis permanere. Quia doctrina sapientiæ, side gratia contemplationis per exteriorum scientiam, vel visibilium rerum formas auditoribus intimat quicquid de visibilibus intra arcana mentis occultat; & sic quodammodo per ancillam filios accipit, dum per eam, quæ sub se est, scientiam C spirituales Deo filios parit. Zelpha verò interpretatur, os hians. Hæc igitur ancilla illos figurat, quorum in prædicatione Euangelicæ fidei os quidein hiat, sed cor non hiat; de quibus videlicet scriptum est:
Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*; & de quibus Apostolos: *Qui prædicas*, inquit, *non furandum, furaris.*
Rom. 2. Verumtamen ex hac ancilla hæreues futuros alios Lia, filios accepit; quia sæpè etiam per tales prædicatores actiua vita multos regni filios adoptauit; de quibus Veritas:
Matth. 23. *Quæ dicunt*, inquit, *facit*; *quæ autem faciunt, facere nolite.* Et Apostolus: *Sine*, inquit, *occasione, siue Christus veritate annuncietur, & in* D
Philip. 1. *hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Hoc autem in his considerandum esse perpendimus: Quia siaut Iacob solius Rachelis intuitu omoes illas mulieres accepit, ex quibus filios genuit; sic quisquis sub dealbationis gratia constitutus, fructificare Deo spirituali fœcunditate desiderat, necesse est vt per omuia, quæ agit, ad contemplationis semper gratiam tendat.

CAPVT XXVIII.

In Episte ad Desideriam Abbatam, vbi dicitur: Cur Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram in pictura ponatur. E

P D tom.1. epist.16.l.2 Gen. 35. EGrediente anima Rachel præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei: Pater verò appellauit eum Beniamin: id est, filius dexteræ. Per Rachel namque, quæ ouis, vel visum principium dicitur, Ecclesia non immeritò designatur. Quæ nimirum & ad instar ouis innocenter vicit, & per studium contemplationis ad videndam Redemptoris sui speciem medullitus inardescit. Qui de se requirentibus Iudæis, ait: *Ego principium, qui & loquor vobis*,
Ioan. 8. Per Beniamin verò, quo nascente, Rachel A mater emoritur, designatur Paulus, quem de eius stirpe extitisse nemo dubitat. Et penè Benjamin nascente, mater emori dicitur; quia appropinqoante ad lucem nouæ regenerationis Saulo, persecutionibus Ecclesia per eum grauiter impugnatur; sicut Lucas in Actibus Apostolorum ait: *Saulus*, inquit; *deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiam.* Act. 8. Congruè itaque Rachel Benoni, id est, filium doloris mei, vocat; quem Iacob Benjamin, id est, filius dexteræ nuncupat. Quia Paulus, qui Matris Ecclesiæ dolor extiterat, qui eam quodammodo dum nasceretur, impugnando peremit, à Deo Patre filius dexteræ est vo- B catus; dum per eum Diuina potentia aduersus Gentes quasi per fortem suam dexteram dimicauit, verborum iacula valenter intorsit, salubres cordium plagas intulit: & per eum deuictis, atque prostratis hostibus cum gloria triumphauit. Hinc est quod idem Paulus ad Galatas ait: Galat. 1. *Cùm autem complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, & euangelizarem eum in Gentibus, continuò non acquieui carni, & sanguini.* Non ergo immeritò filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnia Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad fidei sacramenta colligitur.

C

CAPVT XXIX.

Ad Desiderium Abbatem, vt vocet stand contemplandi.

ISte est Ona, qui inuenit aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinos Sebeon patris sui. P.D. tom.1. epist.12.l.2 Hoc planè quantum ad litteram, vanum videtur Gen. 30. & friuolum. Quid enim ad sacram Scripturam pertinet, vt referat, quia custos asinorum aquas reperit in deserto? Sed vbi in litteris nulla videtur vtilitas, ad spiritualem intelligentiam necesse est mens recurrat. Quid est enim per figuram, Ona in solitudine pa- D tris sui asinos pascere, nisi spiritualem quempiam virum, cui Deus pater est, simplices fratres sub disciplinæ remotioris studio custodire? & quid est, aquas calidas inuenire, nisi in compunctionis lacrymas, quæ de feruore sancti Spiritus eliciuntur, erumpere? Nam & ipsa interpretatio nominum, huius figuræ non refugit intellectum. Onan siquidem dolor, vel tristitia eorum, siue etiam mussitatio, vel murmuratio Interpretatur. Quisquis enim veræ compunctionis dolore tristatur, quasi sub quadam querula mussitatione aduersum prauitatem vitæ suæ murmurare compellitur. Sebeon autem interpretatur, stans in æqui- E tate, quod Deo congruere nemo prorsus ignorat. Ipse quippe in æquitate principaliter stat statio, quia iustitiæ rectitudiue nulla necessitate coactus exorbitat. Onan ergo dum patris sui Sebeon asinos in solitudine pascit, aquas calidas reperit; quia quisquis se per vitæ rectitudinem Deo filium exhibet, ac de peccatis suis medullitus dolet, dum se reddit in peruigili fratrum cura sollicitum, diuino munere percipit gratiam lacrymarum. Nam & beata illa Peccatrix prius pedes Domini vnguento perunxit, postmodùm etiam alabastrum vnguenti pretiosi super caput recum-

[Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 11. & 12.] bentia effudit. Capur Christi Deus: pedes [A] Christi, serui Dei. Sicut enim illa dum humanitati Christi depeodit obsequium, ad Diuinitatis attingere meruit intellectum. Sic nimirum, sic Doctor Ecclesiæ, dum Christi membra costodit, contemplandæ Diuinitatis gratiam percipit.

CAPVT XXX.

In Sermone de S. Ioanne Baptista.

[Petr. Dam. tom. 2. Serm. 25. Gen. 38. Dan. 9.] D*Escendit Iudas in Thamnas ad tondendas oues cum Hira opilione gregis sui Odollamite.* Thamnas autem deficiens interpretatur; per quam videlicet Synagoga, in qoa Reges, & Prophetæ defecerant; [B] simul & vnctio, donec veniret, cui repositum erat, ostenderetur. Vnde & per Prophetam dicitur: *Cùm venerit Sanctus Sanctorum, cessabit vnctio.* Quid itaque per Iudam, qui ad toudendas oues in Thamuas venit, nisi Redemptor noster intelligitur? qui vt oues quæ perierant domus Israël exoneraret peccatis, ad Synagogam venisse cognoscitur. Vnde & Sponsus ad Sponsam in Canticis: [Cant. 4.] *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Venit itaque Iudas ad tondendas oues, non qoidem solus, sed cum pastore suo Odollamite, cui oomen erat Hiras. Quem per Odollamitem iotelligimus nisi Ioannem? Interpretatur autem Odollamites testimonium [C] in aqua: cum hoc planè testimonio venit Dominus ad aquam Baptismatis, habens quidem testimonium maius Ioanne, sed propter Infirmas oues hoc testimonin vti dignatus est in aqua. Vude cum videret eum ad Iordanis fluenta propinquantem, protinus exclamans, ait; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [Ioan. 1.] Et Euangelista dicit: *Testimonium perhibuit Ioannes dicens:* [Ibid.] *Quia vidit Spiritum descendentem tamquam Columbam de cælo, & manentem super eum; & ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Cui scilicet visioni etiam nomen pastoris illins aptissimè con- [D] gruit: interpretatur enim Hiras, fratris mei visio. Erat quippe Dominus frater Ioannis, non modò secundùm semen Abrahæ, sed etiam iuxta cognationem Mariæ, & Elizabeth. Vidit itaque Ioannes fratrem suum adhuc clausus io vtero: vidit in baptismo: vidit oculis carnis hominem: vidit in spiritu maiestatem. Vnde & vtriusque huios nominis interpretationem, Hiras videlicet, quod est fratris mei visio: Et Odollamitis, quod sonat, testimonium io aqua, Idem Ioannes sub vnius sententiæ versiculo comprehendit, [Ibid.] dicens: *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Veniente igitur Iuda ad oues [E] tondendas, Thamar mutat habitum; quia mutat spirituale vocabulum. Thamar quippe commutans interpretatur; nam de Synagoga fit Ecclesia. Sed iuxta litteram, idem [Matth. 27.] nomen amaritudinis manet, non illius, in qua Domino fel ad bibendum miles obtulit, [Idem 26.] sed eius potius, in qua Petrus post lapsum amarè fleuit. Iudas autem confessio dicitur. Thamar ergo cum Iuda dormiens, protinus concipit, quia cùm confessioni amaritudo miscetur, ad proferendos pœnitentiæ fructus, sancta mox Ecclesia fœcundatur. Vnde &

[A] Ioannes: *Facite,* inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* [Ioan. 3.] Qui nimirum pœnitentiæ fructus io Hierusalem primus eropit, sicque postmodum per omnem mundi latitudinem pullulauit. Hinc Veritas dicit: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes, incipiendo ab Hierusalem.* [Luc. 24.] Nam & ipse meretricalis habitus confessionem significat peccatorum: siue quia Thamar ex duobus corruptis componitur verbis, Thamoa scilicet, quod deficiens dicitor; & Mara, quod est amaritudo. Benè In ea amaritudo defecit, cùm fœcunda facta de sterili, dulcem noui germinis sobolem procreauit. Thamar igitur a oon cognoscente fœtatur, [B] quia sancta Ecclesia quantum ad gentilitatem io primordio, dum nouæ fidei semen accipit, non agnoscitur. Vnde & canitur: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi.* [Psal. 17.] Et Isaias: *Ecce,* ait, *gentem quam nesciebas vocabis, & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current.* [Isa. 55.] Porro autem, quod illi hædus per eumdem Odollamitem mittitur, quid nisi per Ioanuem facta peccatorum exprobratio designatur? Quasi enim hædum meretricis portitor afferebat, cùm properanti ad Baptismi lauacrum, turbæ per increpationem dicebat: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura?* [Matth. 3.] Requirebat autem Hiras Odollamites a Thamar annulom, armillam, & baculum. Per annulum, signaculum fidei; per ar- [C] millam, labor operis, per baculum verò designatur requies spei. Quasi enim fidei annulum requirebat, cùm diceret: *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Christo Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.* [Ioan. 3. Ibid.] An non etiam ad annulum pertinebat, cùm diceret: *Qui habet Sponsam, Sponsus est?* Armillam verò laboris exigebat, cùm diceret: *Pœnitentiam agite.* [Matth. 3.] Baculi quoque requiem, [Ibidem.] cùm præstò subiungeret: *Appropinquauit enim regnum cælorum.* Ac si perspicuè loqueretur: Nolite sub iniouctæ vobis pœnitentiæ labore lassescere, sed potius firma spe de regni cælestis appropinquatione animom roborare. [D] Quærens autem eam Iudas io biuio, sed inuenire non potuit; quia quæ in publico, iuxta Prophetam, & sub omni ligno frondoso [Hier. 1. 2.] fuerat prostituta, iam se in domo paterna, sub Christi videlicet constrinxerat disciplioa: nec eam peccari reperit exprobratio, quam confessionis moraterat amaritudo. Viduitatis se vestibus induit; quia præter cælestem Sponsum, qui pro ea mortuus est, alterum non admittit. Quòd autem gemini apparuerunt in vtero; duo sunt populi in Ecclesiæ gremio per sancti Spiritus gratiam generati. In ipsa verò effusione nascentium, vnus manum protulit, & ligaro coccino, mox retraxit, sicqoe ante se nascendi alteri aditum pa- [E] tefecit. Quia nimirum Iudaïcus populus, qui ad locem Spiritus nasci primitus cœpit; ostendit opera sua Prophetarum præcedentium & ipsius Domini cruore pollura Vnde & Zara oriens interpretatur; quia Hebraïcus ille populus prior ortus est ad litteram Legis, sed posterior factus est ad suscipiendam gratiam Euangelij. Hoc itaque modo retraxit manum, qui nasci iam per Spiritum cœperat populus Iudæorum: & mox prorupit, ac factus est primogenitus populus Gentium; scilicet, vt iuxta sententiam Veritatis, futuri essent

nouissimi, qui erant primi: & primi fierent, qui A
erant nouissimi. Benè igitur Phares diuisionis no-
men accepit. Vnde & obstetrix eo nascente clama-
uit: *Quare diuisa est propter te maceria?* Omne quippe
genus humanum quasi distorta siluarum virgulta
aduersus venientem in eatoe Dominum maceriā
fecerat: & ne ad peragendum mysterium redem-
ptionis ingrederetur, vnanimiter obsistebat. Vnde
& Paulus: Nos, inquit *prædicamus Christum crucifixū,*
1. Cor. 1. *Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*
Sed Gentilis populus hanc diuisit, quasi nascendo,
Act. 10. maceriam, cùm per Corneliū Centurionem, aliosque,
primitias fidei baptismi suscipiens laoactum,
sub Christi titulum conuolauit. Hanc a.teroitatem
nascendi considerabat B. Ioannes, cùm Iudæorum
Matt. 3. turbis vndique confluentibus diceret: *Ne cœperitis*
dicere: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, B
quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios
Abrahæ. Ac si patenter dicat: Gentiles populi, qui
lapides sunt, quia lapides colunt, primogeniti vo-
bis fient ad regenerationis, & nouæ gratiæ sacra-
mentum; quorum vos per legales cæremonias vi-
debamini tenuisse primatum.

CAPVT XXXI.

In Sermone de S. Luca Euangelista.

P. D. to. 2. *IVssit Ioseph ministris, vt implerent saccos tritico, &*
Serm. 54. *reponerent pecunias singulorum in saccis suis.* Quæ
namque sunt fruges, quas Ioseph fratribus contu- C
lit nisi Euangelica, Apostolicaque doctrina, vnde
videlicet esuriens populus viuat, vnde grex Christi
viuentia salutis alimenta decerpat? Hæc illa planè
est pecunia, quam in ore sacci præcepit imponi:
hæc pecunia nunc in Ecclesiæ mensa proponitur,
vt vsura postmodum à negotiatoribus requiratur.
Gen. 42. & Sed & Benjamin hoc etiam præ cæteris additur, vt
44. sacco eius etiam scyphus cum pecunia reponatur.
Quem enim Ioseph per mysterium indicat, nisi
Redemptorem nostrum, quem suo iam tunc ille
mysterio præfigurabat? Ait enim Scriptura: Quia
Gen. 41. *vertit nomen illius Pharao. & vocauit eum lingua Ægy-*
ptiaca, Saluatorem mundi. Quid per fratres, nisi sancti
designantur Apostoli? Quid per Benjamin, nisi D
Paulus, de tribu Benjamin originem duxit? Om-
nes ergo fratres fruges prædicationis accipiunt,
quas serere per mundum debeant: & pecuniam,
quam ad vsuræ lucrum in fidei mensa proponant.
Soli verò Benjamin etiam scyphus adiicitur, vt per
Paulum, quem ille signabat, non tabernaculi cya-
thus Gentibus, sed amplum & patulum verbi po-
culum propinetur. Hinc est enim quod ait: *Os no-*
2. Cor. 6. *strum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum*
est, non angustiamini in nobis. Ac si dicat: Quia me
vobis Verbi potum per vberem scyphum largè vi-
detis influere, & vos sitibundi cordis ad hauriendū
ora laxate, vt decurrens vnda non inaniter fluat,
sed capacia vasa, in quæ transfundantur, inueniat. E
De quo videlicet potu per Isaiam Dominus dicit:
Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones; quia
Isai. 43. *dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum*
populo meo, electo meo. Scyphum itaque Euangelicæ
prædicationis, in Benjamin datus est Paulo, vt ipse
desertum gentilitatis specialiter excolat, & aridi-
tatem eius largo sanctæ prædicationis imbre per-
Psal. 146. fundat. De quo scilicet imbre scriptum est: *Qui*
operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.

CAPVT XXXII.

In Sermone de S. Vitale.

SI inueni, inquit Iacob, *gratiam in conspectu tuo,* P. D. to. 2.
pone manum sub femore meo, & facies mihi miseri- Serm. 17.
cordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed Gen. 47.
dormiam cum patribus meis, & cætera. Quid est hoc,
fratres mei, quid sibi vult à tanto viro tam anxia
sepeliendi corporis sollicitudo? Si enim hoc ex
humana cōsuetudine metiamur, profectò nihil di-
gnum tanta propheticæ mentis excellentia reperi-
mus. Vbicumque enim corpus humanum sepelia-
tur, non ideò vel minus perfecta, vel minus glorio-
sa eius resurrectio futura proculdubiò creditur;
sed si mystici sacramenti profunditas in huius du-
bietatis caligine requiratur, perspicuū lumē intel-
ligentiæ ipsi qui inuenerit orietur. Cadauera quip-
pe mortuorum, peccata significant iniustè viuen-
tium. Sicut enim post contactum corporum mor- Numer. 19.
tuorum, Lex præcepit homines purificari: ita etiam
post perpetrationem delictorum iubemur per pœ-
nitentiam ablui. Hinc nimirum illa sententia dicta
est: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum,*
quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mor- Eccl. 34.
tuo, qui mundatur fletibus a peccato; sed post bap-
tismum mortuum tangit, qui culpam post lacry-
mas repetit. Sed sepultura mortuorum, remissionē
significat peccatorū. Vnde per Prophetam dicitur:
Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta Psal. 31.
sunt peccata. Vbi ergo sepelienda erant cadauera
Patriarcharum, nisi in illa terra, vbi erat crucifigē-
dus, cuius sanguine facta est remissio peccatorum?

CAPVT XXXIII.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

LAuabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ P. D. to. 2.
pallium suum. Stola Christi & palliū, multitudo Serm. 19.
est Gentium, quas tunc Dominus induit, quando
sibi eas per gratiam redemptionis adiunxit; sicut
per Prophetam pollicetur, dicens: *Viuo ergo, dicit* Isa. 49.
Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum. Sto-
lam ergo suam Dominus in vino, & pallium in san-
guine vuæ lauit; quando, sicut botrus, in Crucis
ligno pependit; tunc enim ex latere eius sanguis
& aqua profluxit; sed aqua nos abluit, sanguis re-
demit; nimirum vt exhiberet sibi Sponsam non Ephes. 5.
habentem maculam neque rugam.

CAPVT XXXIV.

In Sermone de S. Eleuchadio.

PVlchriores sunt oculi eius vino (inquit Iacob ad fi- P. D. to. 2.
lium de Christo) *& dentes eius lacte candidiores.* Serm. 6.
Oculi nempe Christi, Apostoli, & Euangelistæ Gen. 49.
sunt, qui vniuerso corpori sanctæ Ecclesiæ lu-
men sapientiæ præstiterunt; quorum doctrina
dum rigorem, atque duritiam priscæ Legis
emollit, quodammodo austeritatem vini vete-
ris eorum pulchritudo præcellit. Euangeli-
ca quippe præcepta mandatis veteris Testa-
menti longè sunt clariora. Dentes verò, san-
cti Prædicatores sunt, qui conuersos homi-
nes à prauorum societate præcidunt, eosque in
Christi corpus, tamquam in sua membra susci-
piendo, quasi mandendo traiiciunt. Porrò no-
mine lactis, doctrina legis innuitur, quæ carna-
lem populum lactis poculo, tamquam paruulos

alere videbantur. quorum nimirum lacte candidiores sunt Doctores Ecclesiæ; quia fortem & solidū verbi cibum & spū comedant, & aliis tradunt; de quibus ad Hebræos dicit Apostolus: *Perfectorum est solidus cibus.* Et benè candidi esse dicuntur Doctores Ecclesiæ; quia & à prauitatis macula liberi, & conspicuæ conuersationis videntur operibus clari. Quapropter cauendum est, Fratres mei, ne qua nos vitiorum nigredo dedecoret, qui candidos in Christi militia duces habemus. Periculosè nimirum rerum species fluctuant, vbi

Hebr. 5.

A cum Ducibus subsequentis exercitus insignia non concordant. Beati siquidem Patres nostri promptos se exhibebant perferenda supplicia: nos autem dum à proximo lædimur, compescamus saltem animos à vindicta. Moyses nempè ad vltionis indicium descendens de monte, cornutus apparuit: super Dominum autem in mansuetudinis Spiritu columba descendit. Illi decreuerunt pro Christo propria cuncta contemnere: nos autem discamus saltem, quæ aliena sunt, non ambire.

Finiunt Testimonia Libri Genesis.

Incipiunt Capitula Libri Exodi.

1. De Vrbibus Tabernaculorum Pithon & Ramesses, quas Pharao luto, & palea construxit.
2. De virga Moysi in serpentem conuersa.
3. Vnde suprà.
4. De manu Moysi, quæ educta de sinu, apparuit leprosa.
5. Cum esset Moyses in itinere, occurrit ei Dominus, & volebat eum interficere.
6. Proiecerunt malefici Pharaonis in terram virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed deuorauit eas virga Aaron.
7. De decem plagis Ægypti. 1. De aquis in sanguinem versis. 2. de plaga ranarum. 3. de cinipheс. 4. de muscis. 5. de nece animalium. 6. de vlceribus & vesicis. 7. de grandine & tonitruis & igne. 8. de plaga locustarum. 9. de tenebris. 10. de primogenitorum interfectionibus.
8. Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea & aurea &, vestes.
9. Sument de sanguine agni, & ponent super vtrumque postem.
10. Cùm emisisset Pharao populum, non eos deduxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina erat, ne si bella in via consurgerent, pœniteret eum, & reuerteretur in Aegyptum.
11. Sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron, tympanum in manu.
12. De aquis amaris, quæ ligni, quod ostendit Dominus Moysi, admixtione, sunt in dulcedinem versæ.
13. De 12. aquarum fontibus & 70. palmis in Helim.
14. Quòd sexta die duplex mensura iubebatur de manna colligi.
15. Quòd filij Israël, cùm vidissent manna, dicebant: Manhu, id est, quid est hoc?
16. Quòd manna in crastinum reseruatum putrescebat.
17. Quòd pugnante Israël contra Amalech, Moyses habens virgam in manu, brachia erexit.
18. Quòd Dominus in monte Synai populo suo per Moysen Legem dedit.
19. Altare de terra facietis mihi.
20. Non ædificabitis mihi Altare de sectis lapidibus.
21. Facies bases argenteas, & tabulas deauratas desuper eriges.
22. Facies columnas quatuor, & bases earum vestitas argento.
23. Vt in Rationali, quod Sacerdos ferebat in pectore: 12. pretiosi lapides ponerentur, terni per quaternos angulos inclusi auro.
24. Arripiens Moyses vitulum aureum igne combussit, & vsque ad puluerem contriuit; & in aquam spargens potum populo dedit.
25. Quòd Moyses 23. millia hominum ob culpam conflati vituli perimere fecit.
26. Ecce locus apud me, stabis super petram, cumque transierit gloria mea, videbis posteriora mea.
27. Fecit Moyses in tabernaculo 7. lucernas cum emunctoriis suis, & vasa.

Finiunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Exodi.

CAPVT I.

In Epistola ad Hermisindem Sanctimonialem; vbi dicitur, quòd ędificium humanę superbię citò destruitur.

Pet. Dam. tom. 1. epist. 12. lib. 8. VRbes illæ Tabernaculorum, quas Pharan lutn, paleaque construxit; nimirum luto, quod inquinat: palea, quæ destinatur ad flammas, Phiton & Ramesses sunt, oon sine mysterio nuncupatę; Phiton siquidem interpretatuc os abyssi, vel subito. Quisquis eoim, iuxta Pauli sententiam, *1. Cor. 3.* supra fundameotum, qnod est Christus Iesns, ligna, fœnum, stipulam, nunc ædificar, quale cuiusque opus sit, ignis probabit: & quò magis in alnim hęc carnalis vitæ structura subrigitur, tantò procliuiùs, veluti in abyssi vnraginem mersa, subitò dissipatur. Vnde scriptum est: *Ibid.* *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Benè ergo dieitur, & ns abyssi, & subito; quia de earnalis vitæ, quæ per eum innuitur, culmine non segniter, sed citò corruitur: & illud est os abyssi, quod ascensus videbatur esse fastigij. Prnpheta testante, qui ait: *Deiecisti eos, dum allenarentur.* *Psal. 72.* Ramesses verò pabulum dieitur, vel tinea. Pabulum namque diaboli sunt nmnes reprnbi, quibus ille tamquam lupus ouibus vescitur, eorumque pernicie velnt epulis saginatur. De quibus etiam per Dauid dicitur: *Psal. 48.* *Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos.*

CAPVT II.

In Epistola ad Hermisindem; vbi dicitur quòd ædificium humana superbia citò labatur.

P. D. vbi suprà: Exod. 4. DIxit Dominus ad Moysen: *Proiice virgam, quam in manu gestas, in terram: & proiecit, & factus est serpens. Expauit illico Moyses, & fugit. Et ait illi Dominus: Apprehende caudam illius, & apprehendit, factaque est iterum virga.* Cuncti liquidò nouimus, quia serpens suasit homini mortem; ergn mors à serpente: quis autem virga, nisi Christus? de *Isai. 11.* qun Prnpheta dicit: Quia *egredietur virga de radice Iesse.* Virga itaque in serpentem, Christus in mortem. Moyses autem expauit, & fugit; quia suspenso in Cruce, siue moriente Dnmino, omnis ille Apostolnrum numerus tremefactus expauit, & à certæ spei ac firmæ fidei soliditate recessit. Quia verò cauda extrema pars est cnrporis, quid, nisi finem Dominicæ significat passionis? Mnyses igitur caudam apprehendit, & nihil in virga vltra serpentis apparuit: quia completn Domioicæ passionis, Crucisque mysterio, & fidelis quisque tunc ad fidem rediit, & Christus cnnsúpta mnrte, idipsum in se, quod fuerat, per resurrectinnis gloriam reparauit.

CAPVT III.

In Sermone de S. Columba.

P. D. tom. 2 Serm. 67. Exod. 4. DIxit *Dominus ad Moysen: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virgam. Ait: Proiice eam in terram.* &c. Quis per Moysen, nisi Iudaïcus pnpulus: & quid per virgam, nisi pote-A stas Diuinitatis? & quid per serpentem, nisi mortalitas nnstri Redemptoris exprimitur? Quia enim per serpentem mors, rectè mortalis in serpente; vel certè, cùm scriptum sit: *Estote prudentes sicut serpentes*; *Matth. 10.* qnia ipsa summa prudentia, id est, Dei sapientia, incarnari dignata est, rectè eius mnrtalitas in serpente figuratur. Vnde & in Euangelin de Passione sua loquitur, dicens: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo; ita exaltari oportet Filium hominis.* *Ioan. 3.* Moyses ergn virgam tenuit; quia Iudaicus pnpulus ante Redemptnris aduentum in diuina potestate cnnfisus est; sed virgam in terram prniecit; qnia idem pnpulus per Patriarchas, ac Prophetas Dominum incarnandum esse nuntiauit. B Virga ergn in colnbrum vertitur; quia Redemptnr nnster Deus in se permanens, mortalis inter homines factus est: Sed Moyses enlubrum conspiciens pertimuit, & fugit; quia Iudaicus populus, dum Redemptorem humani generis talem vidit Dnminum; credere quasi fnrmidnlnsus expauit: cui iubetur vt colubrum cauda teneat; quia perfidus ille populus, qui mndò credere recusat, in extrema parte Dominici corporis, id est, posteriori tempore sanctæ Ecclesiæ, videlicet in fine mundi, sese ad fidem recnlligit. Et enlubrum cauda tenet; quia eum, quem mortalem antè despexerat, Redemptorem suum in vltima iam parte Ecclesiæ confitetur. Sed mox serpens in virgam redit; quia C statim vt Iudaicus populus in Redemptorem nostrum crediderit, idem Redemptnr ad Iudicium in potestate suæ Diuinitatis apparebit; vt ei iam serpens virga sit; quia is, qui in terra homn despectus est, de cœln veniens super Angelns, videbitur Deus. Sicut ergn Dnminus & sine lepra leprnsus, & sine veneno serpens per mysterium dicitur; ita nihilominus & sine fatuitate stultus, & sine imbecillitate perhibetnr infirmus. Qui nimirum sic se nostræ infirmitati compnnit, atque contemperat; vt & cum dimicantibus certet, & cum patientibus similiter supplicia tnleret.

D

CAPVT IV.

In eodem Sermone.

MItte, *inquit Dominus, manum in sinum tuum; qui cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum in sinum tuum; retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.* *P.D. vbi suprà. Exod. 4.* Quid hoc loco per manum Moysi designatur, nisi Filius Dei? Vnde dicitur in Psalmn: *Fiat manus tua, vt saluet me*; *Psal. 118.* acsi diceret: Fiat ille, per E quem facta snnt nmnia, vt dum ille creatur, creatura à reatus sui contagio liberetur. Hæc manus in sinu Patris est, sicut Ioannes Baptista dicit: *Filius, qui est in sinu Patris, ipse narrauit.* *Ioan. 1.* Sed manus hæc cum de sinn prolata est, hoc est, cùm per mysterium incarnationis apparuit; peccatorem eum, & tamquam sceleris lepra perfusum, is vnde processerat, populus æstimauit. Vnde dicit Isaias: *Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* *Isai. 53.* Sed manus hæc cùm in sinum rediit, lepram pnrsus amisit; quia Redemptnr noster postquam ad Patrem calcato mnrtis imperio rediit, iam in fine sæculi nnn

peccator homo, sed verè Deus, & homn Iudæis omnibus appatebit.

CAPVT V.

In Epistola ad Canonicos Fanenses.

P.D. tom. 1. epist. lib. 1. Exod. 4. *CVmque esset in itinere in diuersorio Moyses occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Mitum valde, cur eum repente Dominus occidere vnluisse describitur, quem assecreterem sibi iam, & symnistem familiariter fecerat, cui consilij sui ac voluntatis arcana pandiderat, & nunc in esecutione suæ obedientiæ dirigebat. Sed procul dubio datur intelligi, quia quantamlibet contagij maculam ex diuturna Madianitarum cohabitatione contraxerat, atque idcireo terrore, ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui corrigendis aliis cælestium mandatorum baiulus accedebat. Quod scilicet vxor eius Sephora prudenter intellexit; de qua Scriptura protinus addidit: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Absurdum quippe fuerat, si videretur Gentilis in filio, qui Israëlita erat in semetipso. Qui erga alios ad rectitudinis viam debet instruere, valde cauendum est, ne ipse, quod absit, in aliqno videatur errare. Hinc est enim quòd Israëliticus populus ad vlciscendum scelus Benjamin, zelo rectitudinis inflammatur, & tamen idem populus Benjamin gladiia antè prosternitur. Iud. 20.

CAPVT VI.

In Epistola ad Bonifacium; vbi dicitur: Vt exteriori prudentiæ spiritualis sapientia præferatur.

P.D. tom. 1. epist. 9. lib. 8. *PRoiecerunt malefici Pharaonis in terram virgas suas quæ versa sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Virga quippe Aaron maleficorum absorbuit virgas, quia sapientia Christi, quam illa signabat, omnes huius mundi sapientias annullauit, mundique sapientes sui corporis, quod est Ecclesia, visceribus coniuniit. Terrenam itaque sapientiam nostram sapientia spiritualis absorbeat, eamque velut in sui corporis arcana conuertat. Absurdum namque est, & satis inhonestum, vt eadem prudentia, eademque subtilitas rebus adhibeatur humanis, quæ spiritualibus impenditur, & diuinis.

CAPVT VII.

De decem plagis Ægypti, in Epistola ad discipulum Ioannem.

P.D. tom. 1. epist. 11. lib. 6. Exod. 7. PLagæ autem factæ sunt in Ægypto; quia humanæ animæ in mundo infliguntur vulnera. Vnde quot plagæ fuerant, tot præcepta sunt diuinitus promulgata; vt quot sunt vulnera cordis ægroti, totidem sint medicamenta, quæ illi valeant adhiberi.

Age igitur, prima plaga est, cùm aquæ vertuntur in sanguinem. Porrò autem istæ plagæ non fiunt nisi in Ægypto, id est, in corde tenebroso, & caligine cæcitatis oppresso. Cui scilicet aquæ conuertuntur in sanguinem; cùm cæca mens, quantum ad se, confundit, ac violat tectæ fidei puritatem. Sicut enim per aquam omnes de visceribus terræ segetes prodeunt, sic ex fide spiritualia proferuntur alimenta virtutum. Tunc igitur aqua in sanguinem vertitur, cùm cæcitate perfidiæ cor insipiens obscuratur. Sicut de quibusdam dicit Apostolus: *Quia cùm cognouissent* Rom. 1. *Dominum, non sicut Dominum glorificauerunt, aut gra-* A *tias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum.* Cui primæ plagæ, hoc est, pestilentissimo vulneri, mox adhibetur primi medicina præcepti: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus tuus est.* Deut. 7. Hoc est enim medicinale vinculum, quo perfidiæ vulnus debeat alligari, vt hoc audiens, vnum solummodo Deum colas, & in plures Deos marcescentis perfidiæ putredinem non effundas. Et iusto Dei iudicio, iuxta litteram factum est, vt illius fluuij sanguine potarentur Ægyptij, in quo primitus pueri necabantur Hebræi.

Eccl. 2. Secunda verò plaga, Ranarum est abundantia. Rana, clamosum est animal, & in limosis vociferatur ex more paludibus, cui similes iudicantur B Hæretici, ac Philosophi, qui velut super paludes limosas, hoc est, inter turbas squalore perfidiæ sordidas, vanis aduersus Christum vociferantur obloquiis: & dum per argumenta fallaciæ non desinunt importunis garrire clamoribus, inane quidem in auribus tædium, sed nullum mentibus viuendi afferunt cibum. Cui morbo, qui videlicet in anima lethaliter sæuit, secundum præceptum tanquam poculum salutis occurrit. Secundum autem præceptum est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. 20. In vanum namque Christi nomen assumit, qui eum non Creatorem, sed tantummodo creaturam credit. *Vanitati* enim *creatura subiecta est.* Et iidem tales homines sunt proculdubio vani, quia veritatem Dei commutantes in mendacium, Rom. 8. C fidem adhibent vanitati.

Tertia verò plaga, Ciniphes sunt. Hoc autem animal tam minutum est, ac perexignum, vt Exod. 8. dum se per aërem librat, & huc, illucque vagabundis anfractibus instabiliter volat, visum cernere volentes effugiat; in corpore tamen nostro dum sederit, pungit; adeo vt cùm eas nequeas videre dum volant; compellaris sentire dum stimulant: & dum circumuolantes, seseque importunitùs ingerentes, vultus nostros infestare non desinunt, volentes quiescere non permittunt. Quamobrem hæc plaga vagationis, & inquietudinis vitium manifestè designat. Quo videlicet morbo quidam laborantes inutiliter huc D illucque discurrunt, & velut malis Vertumnia obnoxij, per impatientiam non quiescunt. Sed quoniam Ciniphes istæ perexiguæ sunt, & noxiæ, vt non tam pondus videantur habere, quàm morsus; qui vitio vagationis inseruiunt, quod per Ciniphes designatur, lene quidem arbitrantur esse peccatum, sed non leui reatus perfodiuntur aculeo. Non aggrauat pondus, sed penetrat morsus; quia quantò vitium hoc leuius deputant, tantò maior necesse est, vt peccati stimulus animæ languentis interiora transfigat. Huic itaque languori, tertij præcepti obuiat medicina, cùm dicitur: *Memento vt diem Sabbati sanctifices*, Exod. 20. & 31. & Deuter. 5. Sabbatum, id est, requies. Vbi est sancti-E ficatio Sabbati, ibi proculdubio Spiritus Dei. Vnde scriptum est: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Isai. vlt. Pensanda sunt verba, quia si Spiritus sanctus requiescit tantummodò super quietum, ergo deserit inquietum. Enim vero sicut secundum præceptum refertur ad Filium, ita hoc tertium pertinet ad Spiritum sanctum, qui nihilominus tertia est in Sancta Trinitate Persona. Nam & illam tertiam plagam Spiritui sancto Incantatores adscribunt, cùm & ipsi Ciniphes excitare non possunt; dicentes ad Pharaonem: *Digitus Dei est hoc.* Exod. 8. Ad colendum hoc

Sabbatum diſcipulum ſuum prouocabat Apoſto- A lus, cùm dicebat: *Attende lectioni & doctrinæ.* Et alibi: *Orate ſine intermiſſione.* Ad huius Sabbati 1. Tim. 1. cultum Dominus nos prouocat per Prophetam, 1. Theſ. 5. cùm dicit: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Do-* Pſal. 45. *minus.* Ac ſi dicat: Spirituale Sabbatum colite, vagationis inquietudinem deuitate; vt per Spiritus ſancti gratiam fixos, non vos Ciniphes inquietent, ſed ſpiritualis Sabbati cultura ſanctificet. Notandum præterea, quoniam tria dumtaxat iſta præcepta in vna deſcripta ſunt tabula; alia verò ſeptem continebantur in altera. Iſta ſiquidem ad charitatem Dei, illa verò ad amorem pertinent proximi. Et idcircò non amplius quam duæ ſunt tabulæ; quia geminæ ſunt charitatis impreſſione diſtinctæ. Tria plane præcepta in vna tabula, ſeptem verò deſcripta fuiſſe in B alia, ex hoc maximè colligitur, quod B. Apoſto- Epheſ. vlt. lus ad Epheſios ait: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt; honora patrem, & matrem, quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt benè ſit tibi, & ſit longæuus ſuper terram.* Cur autem primum hoc mandatum dicitur, niſi quod in principio ſecundæ tabulæ poſitum eſt? Quod etiam in promiſſione dicitur; quia quod in aliis præceptis non inuenitur, hoc præceptum longæuitatis promiſſio ſequitur. Præmiſſo nimirum hoc, quod dicitur: Honora patrem, & matrem, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Hoc ergo præceptum, quod quartum eſt in generali numero mandatum, in ſecunda tabula ponitur C primum.

Exod. 8. Cui contraria eſt quarta plaga, hoc eſt, Cynomia, quæ dicitur Muſca canina. Nihil enim tam caninum eſt, quàm ignorare parentes; & illis, qui nos genuerunt, reuerentiam non deferre. Eos etiam tamquam muſcæ circumuolitantes canini mores exagitant, qui dum deferre parentibus neſciunt, per leuitatis inconſtantiam à naturali grauitate recedunt; eoſque tamquam caninæ muſcæ dilacerant, dum ſe contra genitores ſuos quaſi tingentes, & oblatrantes per impatientiam vexant. Vt hæc ergo plaga curetur, digna parentibus reuerentia deferatur.

Exod. 9. Quinta planga, mors peccatorum eſt. Omnes D enim qui ſpreto coniugali thoro, alienarum ſe mulierum fœditatibus polluunt, & per obſcenæ libidinis paſſim fluxa reſoluunt, quid aliud quàm bruta dicendi ſunt pecora, atque à ratione ſpiritualis intelligentiæ penitus aliena? *Facti ſunt* Pſal. 31. enim *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intelle-* Hier. 5. *ctus.* Et per Hieremiam dicitur: *Saturaui eos & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur; equi amatores in fœminas emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Hæc ergo pecora neceſſe eſt vt funditus extincta depereant, niſi diuinæ Legis medicamen occurrat. Dicitur ergo: *Non mœchaberis.* Hoc vtique quintum præceptum quintæ plagæ tanquam medicinalis nexus E opponitur; vt dum proprio thoro quiſque contentus eſſe compellitur, nequaquam in extraneæ carnis amplexus intemperantia diffrenatæ libidinis extendatur.

Exod. 9. Sexta plaga, ſunt vulnera & veſicæ turgentes, atque feruentes. In vulneribus ſcilicet arguitur doloſa odientium hac purulenta malitia: In veſicis tumens & inflata ſuperbia; In feruore, æſtuans & inflammati furoris inſania. Sunt enim animæ quædam homicidales, in quibus hæ peſtes oriuntur, & acerrimè ſæuiunt; eaſque niſi humanum ſanguinem fundant, quieſcere non permittunt. Huic itaque furenti morbo & immaniter ſæuienti, ſextum præceptum tanquam medicina cæleſtis occurrit, quo dicitur: *Non occides.* Vt hoc Exod. 20. quilibet audiens, exortam malæ voluntatis in ſemetipſo perniciem reprimat, nec extrinſecus ad effundendi cruoris effectum, conceptum malitioſæ conſcientiæ virus erumpat.

Poſt hæc plaga grandinis punitur; vbi ſcilicet grando & ignis pariter ferebantur. Porrò au- Exod. 9. tem duo hæc contraria ſunt, frigus in grandine, calor in igne. Sic qui aliena furantur, & à fraterna charitate ſunt frigidi, & ardore cupiditatis accenſi. Vbi etiam fulgura, atque tonitrua mixta fuiſſe cum grandine perhibentur. Quid autem per tonitrua, & fulgura, niſi pauor intolerabilis deſignatur? Et hoc furibus familiare eſt, vt primò capi, deinde puniri, tremefactis viſceribus paueant; nec tamen à ſemel conceptæ nequitiæ perpetratione quieſcant. Illæ nimirum peſtes, hoc eſt, grando, ignis, fulgura, ſimul atque tonitrua, eorum corda, qui clam aliena diripiunt, tanquam quædam arua deuſtant, & ſi qua ſunt, omnia bonæ voluntatis fruges & germina diſſipant. Huic itaque peſſimo vulneri, ſeptimi ſuccurrit medicina mandati, cùm dicitur: *Non furaberis*; vt Exod. 20. hoc quiſque cognoſcens, cordis ſui ſegetes hac multiplici peſte non perdat, ſed bonorum operum frugibus animæ ſuæ cellarium repleat, implens illud Apoſtolicum: *Qui furabatur, iam non furetur;* Epheſ. 4. *ſed laboret manibus ſuis, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patientibus.*

Exod. 10. Octaua autem plaga, Locuſtæ ſunt. Per hæc animalia, quæ ſegetum germina deſtruunt, & peſtifero fruges ore corrodunt, qui poſſunt melius deſignari, quàm hi, qui fratribus detrahunt, & falſum illis crimen opponunt? Nam quaſi alienæ ſegetis germen deuorant, dum fratrum ſuorum non modò bona ſupprimunt, quæ prædicare debuerant, ſed vltimò etiam nota eos falſi reatus inflammant. Rodunt itaque, quia non modò eorum vera bona per inuidentiam contegunt; ſed eis etiam ſtigma fictæ prauitatis inurunt. An iſti tanquam Locuſtæ non rodunt, quibus per Apoſtolum dicitur: *Si mordetis, & comeditis inuicem, vide-* Galat. 5. *te ne ab inuicem conſumamini?* Huic itaque plagæ mandatum illud competenter opponitur, quo dictum eſt: *Non falſum teſtimonium dices.* Vt videlicet falſus quiſque teſtis, qui non erit impunitus, ab alienæ vitæ morſu ſe reprimat, locuſtinos dentes abiiciat, & virentia ſegetis alienæ germina non abrodat.

Exod. 9. Iam nona plaga eſt denſitas tenebrarum. Nemo magis in interiores tenebras labitur, quàm is qui coniugalis talami violat fidem, & alienam inuadere quærit vxorem. Sed has tenebras, quas vtique tot luxuriæ deditum toletat, diuinæ Legis ſplendor illuſtrat, cùm dicitur: *Non concupiſces* Exod. 20. *vxorem proximi tui.* Vbi notandum, quia non dicitur, non tolles, ſiue, non pollues, ſed, quod plus eſt, non concupiſces vxorem proximi tui. Superiùs dictum eſt. *Non mœchaberis*: hic dicitur, *Non concupiſces vxorem proximi tui*; ergo de re vna duo videntur eſſe mandata: illic enim mœchiæ alienum thorum violantis effectus: hic etiam violare violentis perhibetur effectus. Ille ſpurcus & illicitus condemnatur adulterij coitus: hic etiam adulterinæ concupiſcentiæ compeſcitur appetitus. Et reuera ipſa concupiſcentia violandi alieni matrimonij adulterium eſt, ſicut Dominus ait: *Qui viderit vxorem alterius ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Non Matth. 5.

ergo quispiam alienam concupiscat vxorem, ne A palpabilium tenebrarum patiatur in corde caliginem, quam etsi fortè iam patitur, coruscantem radium mandati legalis admittat; & sic tenebras conscientiæ cæcutientis abiiciat.

Postremò, decima plaga est mors primogenitorum. Duos filios habet homo, nimirum cùm facit opus quod ad hanc pertinet vitam; & cum spirituale quid operatur, quod ad vitam tendit æternam. Sed spiritualis fructus, quasi primogenitus noster, in nostris operibus debet obtinere primatum. Vnde & Dominus: *Primùm*, inquit, *quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ac si diceat; Gignite spiritualem fructum, qui vester sit vtique primogenitus: qui verò ad huius vitæ pertinet necessaria, sit in hæreditate secundus. Huic B enim primogenito cum Iacob debetur benedictio; de Esau verò, eiusque similibus Scriptura dicit:

Gen. 27. Prou. 20. Deut. 21. *Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimo benedictione carebit.* De his duobus liberis in Deuteronomio per figuram dicitur: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia; iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* De quibus omnibus verbum illud hic dumtaxat ducimus exponendum, quòd vxor dilecta, sit vita mollis: deliciosa, carnalis: odiosa autem C vxor, est vita spiritualis, vt pote rigida, districta, & omnium carnalium delectationum illecebris inimica. Huius ergo filio primogenita debentur; quia spiritualis vitæ fructus illum habere meretur in præmium, qui est, iuxta Ioannem, *primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Sed hic primogenitus, id est, spiritualis fructus illi proculdubiò moritur, qui suis non contentus, alienis rebus intendit; quod fraterni iuris est appetit; & bona proximi succensus auaritiæ facibus concupiscit. Sed decimum Legis præceptum est:

Exod. 20. *Non concupisces rem proximi tui.* Hoc igitur illi mandatum diligenter audiat, ne primogenitum perdat; D vt de primogenito suo gaudeat, nequaquam, quod alienum est, concupiscat.

CAPVT VIII.

In Sermone S. Elenchanij.

P. D. to. 2. Serm. 18. Exod. 12. POstulet vir ab amico suo, ait Dominus, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea, & vestes; dabit autem Dominus gratiam populo suo, corã Ægyptiis. In quo videlicet, ne diutiùs immorer, mysticè aurum, & argentum, cum vestibus ab Ægyptiis petimus, vnde Domino tabernaculum fabricemus; cùm mundanos Poëtas, ac Philosophos legimus, E vt in diuinis eloquiis luculentiùs proficere valeamus. Siue etiam, quod perspicaciùs est, aurum, & argentum, animæ sunt pretiosæ, quæ cum vestibus simul, id est, suis corporibus populo Dei se copulant, vt tenebrosum hoc sæculum, velut Ægyptum deserant, & terram promissam perpetuæ felicitatis acquirant.

CAPVT IX.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

SVment de sanguine agni, & ponent super vtrumque postem. Quid est, quod Israëlitica plebs postibus P. D. To. 2. domorum de sanguine agni iubetur imponere, nisi Serm. 18. vt nos prohibeat, Crucem Christi, qui verus est Exod. 12. agnus, in fronte portare? Ad vesperam siquidem immolabatur agnus: & in vespera mundi passus est Christus. Liniuntur vtique postes, ne vastator Angelus audeat inferre perniciem: & nos Crucis vexillum in corde gestamus, & fronte; ne repentinus hostis veniens valeat auferre salutem. Vnde & securi canimus: *Signatum est super nos lumen vultus* Apoc. 1. *tui, Domine.*

CAPVT X.

In Epistola ad Blancam Comitissam.

CVm emisisset Pharao populum, non eos deduxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est; P. D. To. *reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se* lib 7. *bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Ex Ægypto Epist. 19. itaque recedentibus, è vicino pugna subtrahitur; Exod. 12. quia derelinquentibus sæculum, quædam pacis tranquillitas datur; ne in ipsa suæ teneritudinis nouitate turbati, atque conterriti, ad ea, quæ contempserant, reuertantur. Priùs ergo securitatis C suauitate mulcentur, priùs pacis quiete nutriuntur. Post cognitam verò dulcedinem, tantò iam tolerabiliùs tentationum certamina sustinent, quantò in Deo altiùs agnouere quod ament.

CAPVT XI.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

SVmpsit autem Maria Prophetes, Soror Aaron: tympanum in manu. Nos quoque rubro iam mari P.D. To. 2. transmisso, & hoste demerso, tympanum cum Serm. 18. Maria ferre debemus. Quid est autem tympanum Exod. 15. portare? Audi Dominum dicentem: *Qui vult*, in- Luc. 8. Galat. 5. D quit, *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui enim carnem suam, cum vitiis, & concupiscentiis crucifigit, qui membra sua, quæ sunt super terram, abstinendo mortificat, ille verè cum Maria tympanum portat, quia semetipsum à noxiis terrenæ voluptatis humoribus aridum seruat.

CAPVT XII.

In eodem Sermone.

PRæterea & illud non inconuenienter occurrit. Vbi sup. Quòd videlicet Israëliticus populus in Maria Exod. 11. E aduersus Moysen murmurat, vociferans scilicet non se posse reperire quod bibat. Tunc ostendit Moysi Dominus lignum, quod cùm ille misisset in amarissimas aquas, in dulcedinem protinus sunt conuersæ. Quid enim amaræ illæ aquæ, nisi occidẽtis litteræ, & duræ, atque insipidæ legis speciem tenent? Scriptum est enim: *Constituit populo suo Do-* Ibidem. *minus legem, & iudicia, & tentauit eum.* Et alibi: *Ego* Ezech. 1. *dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.* Cui tamen legi si confessio Crucis, & Dominicæ passionis mysterium copulatur, protinus, quod amarum fuerat, in spiritalis intelligentiæ dulcedinem vertitur.

A

CAPVT XIII.

II. In eodem Sermone.

Vbi sup.

NOtandum autem iuxta veritatem historiæ, quòd aqua in dulcedinem versa, subinde populus venit in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Quid enim duodecim fontes, nisi duodecim sunt Apostoli, quos Dominus ad hoc constituit, vt arida, & squalentia humani generis pectora suæ prædicationis inundationibus irrigarent? Quid verò septuaginta palmarum arbores, nisi totidem sunt Discipuli, quos ante faciem suam idcircò misit, vt per eos, victoriæ suæ palmas mundus agnosceret? Et certè satis congruè videtur consequentium rerum ordo dispositus, vt primò populus dureretur ad litteram Legis à, qua nimirum, dum amara fuit, transire non potuit. At postquam est per lignum vitæ dulcis effecta, & intelligi spiritualiter cœpit, illicò Dei populus de veteri Testamento ad Apostolicos fontes, & palmarum arbores, id est, ad Euangelij gratiam transiit. Et benè post acceptum Decalogum septuplus Prædicatorum numerus constituitur, quia per septiformem sancti Spiritus gratiam omne man datum diuinæ legis impletur. Nec immeritò planè prædicatores Crucis palmarum videntur nomine designari, dum & pia Crux iure dicenda sit palma; quia in ea scilicet facta est de prostrato mundi hoste victoria; sicut de ipsa Cruce Sponsus ad Sponsam: *Dixit*, inquit, *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*, &c.

Cant. 7. C

CAPVT XIV.

In Sermone de S. Elenchadio.

P. D. to. 2. Serm. 6. Exod. 16.

D*Ie sexta parent, ait Dominus, quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.* Sexto die duplex mensura colligi iubebatur, vt ex eo in Sabbatum medietas seruaretur. Porrò autem sexta dies, sexta mundi ætas intelligitur, in qua nunc sumus. In hac ergo die duplum pro venturo Sabbato colligit, qui pro gloriæ cælestis introitu, vbi perpes Sabbatum, & vera est requies, verbum Dei & audit, & facit. In hac duplum recondit, qui &

D

benè viuit, & aliis exemplum salutis ostendit: siue, quod expeditius est, duplicem mensuram colligit, qui tantùm in bona operatione desudat; vnde & hic Conditori suo eius anima placeat, & cum eo postmodum perpetualiter viuat. Quod igitur reponebatur pro Sabbato, corrumpi non poterat; quia bona opera, quæ pro desiderio supernæ quietis fiunt, perpetuò manebunt.

CAPVT XV.

In Epistola ad Fratres Cluniacenses.

E

P D. to. 2. Epist. 5. lib. 6. Exod. 16.

C*Vm vidissent filij Israël manna datum, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat, quid est hoc? Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Illi ergo manna, id est, quid est hoc, veraciter comedunt; qui dum legunt, vel audiunt, diuini verbi mysterium solerter inquirunt. Qui nimirum intra litteralis paleæ thecam, dulcem intelligentiæ spiritualis ambiunt enucleare medullam. Hic certè quid est hoc veraciter vescitur, qui in assidua Scripturæ sacræ solerter inquisitione versatur. Quasi enim quæstionem quamdã, & quid est hoc, auido cordis ore comedimus, cùm ad penetranda mysteria Scripturarũ vigilanter insistimus, cùm epulas cælestis eloquij subtiliter ruminamus.

CAPVT XVI.

In Sermone de S. Elenchadio.

P. D. To. 2. Serm. 6. Exod. 16.

PRæsenti necessitati hodierna cura sufficiat, nec diem crastinum sollicitudinis rancor antic pet. Israëliticus sanè populus, sicut sacra testatur Historia, cùm manna colligeret, scaturiebat vermibus, atque computrescebat, si quis infideliter agens, ex eo in crastinum reseruaret. Sic nimirum quisquis ardore cupiditatis accensus, vt tanquam corpori suo alimenta prouideat, terrenam sibi substantiam thesaurizat, huic ille vermis ebullit, qui conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat. Enimuerò ij sollicitudinum vermes, quos auaritia generat, illos denuo vermes parant, de quibus scriptum est: *Ignis eorum non extinguetur, & vermis non morietur*; vt igne ignis cupiditatis accendat, & vermis ex verme procedat. Quamquam & sic valeat non inconuenienter intelligi; quia sicut ipse Christus, qui dicit: *Ego sum vermis, & non homo*, prouenit aliis in ruinam, aliis in resurrectionem: ita nihilominus verbum eius sit manna, mellisque dulcedo fidelibus, infidelibus autem, & prauè viuentibus, vermis fit; non videlicet qui animam reficiens alat, sed qui conscientiam terendo, ac minitando remordeat.

Isai. vlt. B *Psal. 21.*

CAPVT XVII.

In Sermone de Exaltatione sanctæ Crucis.

C

P.D. To. 2. Serm. 49. Exod. 17.

HAbens Moyses virgam in manu, brachia in modum Crucis erexit: Sicque factum est, vt cateruarum aduersantium acies ligno, & signo, hoc est, pleno Crucis mysterio superaret. Hoc enim sacra testatur Historia cùm dicit: *Dum leuaret manus Moyses, vincebat Israel: Sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Hoc planè factum non solùm spiritualis intelligentiæ sacramentum, sed & virtutis nobis saluberrimum conuectat exemplum. Nam dum Crucem post Dominum tollimus; dum corda nostra cum manibus ad Dominum leuamus, rectores tenebrarum protinus corruũt, & in ima prostrati fractis viribus eliduntur. Si verò manus remittimus, & obliti cælestium, terrena sectamur, protinus hostis victor insequitur, & nos amissa victoria, persequentium gladiis obtruncamur. In omni sanè spirituali certamine, Crucis debemus præferre vexillum, quod nimirum si visibiliter agentes attollimus, proculdubiò victores existimus: alioquin si segniter viuendo deponimus, ad primos prosequentiũ impetus necesse est enerniter concidamus. Vnde & insignis ille militiæ spiritualis instructor Paulus ait: *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectus facite pedibus vestris, ne claudicans quis erret.*

D

Hebr. 12.

CAPVT XVIII.

In Sermone Synodali primo.

P.D. To. 2. Serm. 76. Exod. 19.

SIcut in monte Synai Dominus Israëliticæ plebi per Moysen Legis edicta proposuit: ita in sancta Ecclesia per ministerium Sacerdotum idem Legislator, & Iudex Christiano populo viuendi mandata depromit: Synai quippe interpretatur rubus, siue tentatio. De rubo siquidem Dominus, vt Scriptura testatur, apparuit, & Moysi ad filios Israël deferre mandata præcepit: Et in Ecclesia Deus proculdubiò cernitur, sicut eidem

eidem Moysi roganti quatenus sibi semetipsum A
Exod. 33. ostenderet, pollicetur, dicens: *Ecce locus apud me, stabis supra petram; cumque transierit gloria mea, tunc videbis posteriora mea.* Quod autem Synai etiam tentatio dicitur, quid per hoc aliud debet intelligi, nisi quia in Ecclesia, vbi Lex datur, ibi tentatio maligni spiritus aliquando pestilenter oboritur? Vt ad violandam recti iudicij regulam, modò spes quæstus obrepat; modò rigorem iustitiæ, laus, vel humanæ gratiæ fauor emolliat; modò ad nocendum, iræ, vel odij liuor impellat; modò metus à libertate rectè iudicandi cor reprimat; modò crudelitas mensuram dignæ vltionis excedat.

CAPVT XIX.

G G.

Exod. 20. AIt Dominus filiis Israël: *Altare de terra facietis mihi.* Altare scilicet de terra Domino facere, est in nostri Redemptoris incarnatione sperare. Tunc quippe à Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super dominicæ incarnationis fidem posuerit quidquid operatur. Altari ergo de terra oblatum munus imponimus, si actus nostros dominicæ incarnationis fide solidamus; de quo altari per Isaiam dicitur: *In die*
Isai. *illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus iuxta terminum eius dominij: & erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* C

CAPVT XX.

In Epistola ad Canonicos Fanenses.

Exod. 20. SI *autem lapideum altare mihi facies, non ædificabitis illud de sectis lapidibus; si enim leuaueris cultrum tuum super eum, polluetur.* Secti quippe lapides sunt, qui fraternæ societatis consortium respuunt; quod viuere cum fratribus, & conuersari concorditer nolunt. Tales autem Christus in suo non recipit corpore, quia à membrorum suorum sectos iudicat vnitate. De illis D porrò lapidibus altare est potiùs fabricandum, quibus Petrus dicit Apostolus. *Et ipsi tanquam*
1. Pet. 2. *lapides viui superædificamini in domos spiritales.* Cui videlicet domui ille fundamentum est, præter quod non potest aliud poni; ille summitas, qui factus est in caput anguli.

CAPVT XXI.

In Sermone de S. Andrea Apost.

Exod. 26. F*Acies, ait Dominus, bases argenteas, & tabulas deauratas desuper eriges.* Quid autem per bases argenteas, nisi Prophetarum videtur ordo E signari? qui dum primi de sacramento Ecclesiæ sunt locuti, quasi quasdam bases eos aspicimus à fundamento consurgere, & superposita fabricæ pondera sostinere. Quid verò per tabulas, nisi sancti figurantur Apostoli, qui extensa per mundum prædicatione sunt amplissimè dilatati? Apostolorum namque doctrina, quasi quibusdam basibus propheticæ prædicationis innititur, eorumque auctoritate ad status sui robur firmiter solidatur. Vnde & coniunctæ binæ bases in singulis tabulis supponuntur: quia dum Prophetæ sancti in verbis suis inuicem de futuræ A tunc Ecclesiæ sacramento concordant, subsequentes Apostolos ædificantes ædificant; & cum à semetipsis nullo dissentiunt, illos in se robustius figunt. Nec immeritò bases, quibus Prophetæ signantur, vt ex argento debeant fundi, præcipitur. Argenti quippe claritas ex vsu seruatur: sine vsu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta antequam Apostolica prædicatione clarescerent, quia in vsu spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant: at postquam Apostolicæ prædicationis manus vaticinia obscura detersit, quidquid lucis in eis latebat, inclaruit, seorsusque eorum mysticos in visum dedit;
B quia verba iam rebus esse exposita perspicuè nuntiauit. Iure igitur præcipiuntur fieri & bases argenteæ, & tabulæ deauratæ; quia videlicet Apostolica præcepta, Prophetarum oraculis longè sunt clariora.

CAPVT XXII.

In Sermone de S. Matthæo Euangelista.

FAcies columnas quatuor, & bases earum vestitas argento. In argumento enim, quid aliud quàm claritas diuini sermonis accipitur? sicut scriptum est: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ.* Bases ergo argento vestitæ, quatuor columnas Tabernaculi sustinent, quia Prædicatores Ecclesiæ, diuino eloquio decorati, vt in cunctis se exemplum præbeant, quatuor Euangelistarum dicta, & ore, & operibus portant. Matthæus itaque primum obtinet locum, Ioannes vltimum. Qui nimirum & in Apostolico sunt culmine constituti, & ex his quæ scripserunt, non auditu dumtaxat, sed visu potius atque contactu, sunt præsentialiter informati, sicut vnus eorum dicit: *Quod audiuimus, quod vidimus, quod oculis nostris perspeximus, quod manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ.* Marcus autem & Lucas, qui Euangelici catalogi meditullium sortiuntur, non quidem sunt Apostoli; verumtamen præcipuorum Apostolorum alter Petri, alter Pauli relationibus sunt edocti. Omnes tamen sancti Euangelistæ vnius auctoritatis, vnius sunt fidei, nec in aliquo dispares in texendis sincerissimæ lineis veritatis; ac per omnem suæ descriptionis articulum, inexpugnabile similiter erigunt propugnaculum aduersus omnia quarumlibet hæreseon spicula præmunitum.

P.D. tom. 2. Serm. 50. Exod. 27. Psal. 11. 1. Ioan. 1.

CAPVT XXIII.

In Sermone de S. Bartholomæo.

PRæceptum est, vt in Rationali, quod Sacerdos P.D. tom. 2.
ferebat in pectore, dum ingrederetur Sancta Sanctorum, ponerentur duodecim lapides, Serm. 41. Exod. 28
terni per quaternos angulos inclusi auro; quia nimirum sancti Apostoli per quadrifidum orbem de Trinitate, quæ Deus est, prædicarunt Catholicæ fidei veritatem. Qui etiam lapides auro deferuntur inclusi; quia & beati Apostoli in sapientiæ cælestis arcano perseuerant inuiolabiliter confirmati. Legitimum ergo est, vt Sacerdos, cum ingreditur sanctuarium, duodecim pretiosos lapides in rationali pectoris deferat, quatenus quisquis sacris altaribus appropinquat, Apostolicæ sibimet rectitudinis exempla

proponat; vt quorum ministerio fungimur, eorum vitam, in quantum præualet imitetur; & quorum gerit officium, in eis sanctæ æmulationis studiu defigat obtutum.

CAPVT XXIV.

In Sermone de S. Eleuchadio.

P.D.tom.2. Serm. 6. Exod.12. **A**Rripiens *Moyses vitulum aureum, quem fecerunt, igne combussit, ad puluerem vsque contriuit, fluctibusque conspergens Israeliticum ex eo populum propinauit.* Quid est enim per figuram vitulus ille conflatilis, nisi corpus diaboli? Homines scilicet in omnibus perfidiæ simul & idololatriæ errore decepti, ac sub ipso suo pestifero capite, tamquam diuersa membra sacrilega conspiratione coniuncti: super quos nimirum ille nequitiæ spiritus velut auctor, præsidens insolenter erigitur, & tamquam caput per tyrannidem suo corpori dominatur? Aureus autem vitulus fuisse describitur, quia videtur idololatriæ ritus, velut à sapientibus institutus. Auro
Prou. 21. quippe sapientia designatur, sicut per Salomonem dicitur *Thesaurus desiderabilis in ore sapientis.* Aureus itaque fuit vitulus, quia mundi sapientes ante nouæ gratiam fidei dæmoniacæ culturæ fuisse probantur auctores. De quibus nimirum Apostolus: *Quia cùm cognouissent Deum,*
Rom. 1. *non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Per hanc itaque vesanæ sapientiæ vanitatem, Poëtæ, Philosophi; Magi, siderum rimatores, omniumque disciplinarum liberalium instructi peritia, prodigiosa dæmoniorum solebant adorare figmenta. In vitulo igitur signi-
conspiratio s. ficatum est totum corpus, id est, omnis societas Gentilium idololatriæ deditorum. Moyses itaque vitulum igne combussit, quia Redemptor noster, quem ille signauerat, malè conspirata corda Gentilium flamma suæ charitatis accen-
Luc. 12. Psal. 18. dit. Vnde & ipse dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Et Propheta: *Non est,* inquit, *qui se abscondat à calore eius.* In mente ergo Gentilium repentè diuinus ignis accenditur, vt in eis irrationabilia idololatriæ forma soluatur. Totum deinde corpus vituli huius in puluerem comminuitur, quia Gentilis illa societas diabolicæ conspirationis in vnum arte conflata, ad aduentum Christi quodam velut malleo salutiferæ correptionis extunsa, atque à rigoris sui duritia diuini Verbi est virtute contrita. Ad Verbum siquidem veritatis salubriter comminuitur, quæ malè integra, in superbiæ suæ forma insensibiliter stare videbatur. Deinde in aquam spargitur, vt Israëliticus ex eo populus bibat. Comminutus denique vitulus in aquam mittitur, quia humiliatus Gentilis populus, lauacro salutiferi fontis necesse est abluatur. Quem protinus Israëlitæ bibunt, quia sancti Prædicatores Euangelij, qui verè Israëlitæ sunt, quos ad dominicum corpus, quod est Ecclesia, transferunt, in sua membra suscipiendo, quasi bibendo conuertunt; quorum
Act. 1. videlicet Israëlitarum primò dictum est: *Macta & manduca*; quod tantumdem est ac si diceretur: Tere, & bibe. Sic sic ille vitulus per A ignem zeli, & aciem verbi, aquâque Baptismatis ab eis potius absorptus est, quos conatus est absorbere: in eos ipse transfusus est, quos in sua, hoc est, diabolica tentauerat membra transferre.

CAPVT XXV.

In eodem Sermone.

VErumtamen quia Moyses non in hoc metam vltionis fixit, vt idolum dumtaxat infringeret, sed insuper addidit, vt & viginti tria millia hominum trucidaret, mysticè docuit
B nequaquam sufficere, si ab idololatriæ cultu, vel prauitate vitæ quisquis conuertitur, nisi & propria vitia gladio spiritus mortificare conetur. Vnde & Prædicator egregius: *Mortificate,* inquit, *membra* Coloss. 3. *vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, im-* Galat. 5. *munditiam, luxuriam, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Et notandum, quia sicut hic vitia membra nostra esse dicuntur, ita & illic, qui perempti sunt, cum interfectoribus suis propinquitatis necessitudine iungebantur; sicut per Moysem dictum est: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, Ponat vir gladium super femur* Exod. 32. *suum, ite & redite de porta vsque in portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Si quem ergo delectat in arma consurgere, quisquis anhelat ad-
C uersus hostium cuneos dimicare, vertat manus in se, & illic plures inueniet aduersarios obtruncandos. Vnde videlicet post victoriam non homicidæ fœdum nomen incurrat, sed gloriosus potius triumphator appareat, vnde certè non sanctuarij mereatur excludi liminibus, sed consecrans semetipsum Domino, diuinæ gratiæ benedictionibus augeatur; sicut & illis dictum est: *Consecrastis,* inquit, *manus vestras Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Quod autem ij, qui cæsi sunt, viginti tria millia fuisse referuntur, numerus trium millium peremptorum, triplicem formam indicat peccato-
D rum. Omne quippe peccatum, aut facto, aut verbo, aut cogitatione committimus. Sed quoniam illic & denarius numerus geminatur, datur intelligi; quia sicut decalogum præceptorum culpa carnis simul & animæ seruare contempsimus, sic etiam vtriusque vitia virtutum armis atterere, & mortificare debemus.

CAPVT XXVI.

In Sermone Synodali I.

ECce *locus apud me est, & stabis suprà petram,* Exod. 33. *& tunc videbis posteriora mea.* Quis autem
E iste locus, vbi statim super petram Dominus cernitur, nisi sancta intelligatur Ecclesia? Vbi dum petræ fidei constanter innitimur, simul cum Apostolo gloriam Domini speculamur. Hæc est enim, de qua dicitur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

CAPVT XXVII.

In Epistola ad Damianum de scurrilitate vitanda.

FEcit *Moyses in Tabernaculo septem lucernas cum emunctoriis suis, & vasa, vbi quæ emuncta sunt extinguuntur, de auro purissimo.* Septem lucernas in Tabernaculo facimus, si in mente nostra sancti Spiritus charismata ex diuino munere componamus. Sed quia ipsis sanctis operibus, quibus per afflationem sancti Spiritus ardentes insistimus, quædam superflua se terrenæ corruptionis interferunt, cum lucernis etiam emunctoria necessariò fiunt. Quid enim per emunctoria nisi districtio pœnitentiæ designatur? emunctoria namque quod superuacuum est in lucerna, decerpitur: & districtione pœnitentiæ humanæ prauitatis culpa deletur. Vnde & Petrus quibusdam superflua perpetrantibus ait: *Pœnitemini igitur, vt deleantur peccata vestra*, ac si apertè dicat: emunctorium stringite, & excessus praui operis amputate. Rectè ergo

A cum lucernis & emunctoria fiunt; quia etsi per sancti Spiritus gratiam bonorum operum lumine resplendere contendimus, dum tamen humana corruptio superflua generat, pœnitentiæ remediis indigemus. Sed quoniam hæc ipsa superflua, quæ disciplina pœnitentiæ resecat, necessarium est, vt contriti cordis fletus extinguat, non immeritò Moyses præter lucernas, & emunctoria, etiam vasa fecisse memoratur; vbi quæ emuncta sunt, extiguantur. Vasa autem nostra sunt corda, quæ lacrymarum semper, & fletus debent esse inundatione repleta: in quibus nimirum vasis & oleum illud reconditur, de quo in Euangelio perhibetur: quia, *Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Si ergo & hi qui claris operibus splendent, adhuc tamen fletibus indigent,
B quid de me misero, meisque similibus sentiendum, qui tenebrosa multa commisimus, & bona quæ luceant non habemus? Quàm vberrimis lacrymarum riuis debemus semper affluere, quàm continuo mœrori necesse fuerat iugiter insudare?

Expliciunt Testimonia Libri Exodi.

Incipiunt Capitula Libri Leuitici.

1. V*Itulum de armento masculum, immaculatum offeret ante ostium tabernaculi testimonij.*
2. *Vt in omni sacrificio sal misceatur, fermentum verò, siue mel, numquam.*
3. *Tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est, adolebisque illud*
4. *In altari Moyses tabernaculum fœderis frequenter intrabat, & exibat.*
5. *Quòd Nadab, & Abiu filij Aaron, obtulerunt ignem alienum coram Domino, & diuino sunt igne consumpti.*
6. *Quibus debeat Aaron vestibus indui quando ingreditur tabernaculum.*
7. *Pontifex offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel.*
8. *Omne animal, quod vel contritu, vel tusis, vel sectis testiculis est, non offeretis Domino.*
9. *Vt septem lucernæ iugiter ardeant in tabernaculo fœderis coram Domino.*
10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus, proiicietis.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Leuitici.

CPVT I.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

Leuit. 1. V*Itulum de armento masculum immaculatum offeret ante ostium Tabernaculi Testimonij.* Per vitulum namque, qui de armento offerri præcipitur, Redemptor noster, qui de Patriarcharum descendit progenie, figuratur. Hic nimirum aratro Crucis suæ terram carnis nostræ perdomuit, & ex Spiritus sancti semine virtutum nos fruge ditauit. Hic vitulus sine macula, non in tabernaculo, sed ante

C ostium eius à filiis Aaron offerebatur; quia & Dominus, qui sine peccato est, sub Anna, & Caïpha extra portam est crucifixus. Ipse Agnus, qui mundi peccata detersit. Ipse hædus, qui auctorem peccati diabolum Crucis gladio iugulauit. Isai. 53. Ipse Columba, in cuius nimirum specie Spiritus sanctus Ioan. 1. super eum ad Iordanis fluenta descendit. Psal. 3. Ipse etiam Turtur, quia perpetuæ castitatis auctor existit, sicut sibi à Sponsa dicitur: *Speciosæ genæ tuæ sicut Turturis.* Cant. 1.

CAPVT II.

In Sermone Virginum.

Levit. 2. OMnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti, & mellis adolebitur in sacrificio Domini. Quisquis enim vel rapinam in opus pietatis impendere, vel vanæ gloriæ causâ bonum videtur aliquod exercere, hic non azymam sinceritatis, & veritatis, sed fermentum malitiæ, atque nequitiæ conatur offerre. Mellis quoque sacrificium Dominus non approbat, quia luxuriæ voluptatem, omnemque carnalis illecebræ dulcedinem damnat. Sal autem omnibus præcipitur oblationibus adhiberi, vt quicquid Domino super aram deuoti cordis offerimus, rationis semper atque intelligentiæ sapore condire studeamus. Ait enim: *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* Et, vt quod dicebat, arctiùs inculcaret, & ne mens nostra fortassis aliquando insulsa desiperet, adhuc ingeminans dicit: *In omni* Coloss. 4. *oblatione tua offeres sal.* Hoc planè illud est sal, de quo Apostolus ait: *In sapientia ambulate ad eos, qui* Matth. 5. *foris sunt, tempus redimentes; sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* De hoc sale & Dominus ait: *Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Et de quo loquens ad discipulos: *Vos estis*, inquit, *sal terræ.*

CAPVT III.

In Sermone S. Donati.

Levit. 6. TOlet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suauissimi Domino. Quid enim per similam nisi sancta Electorum designatur Ecclesia? quæ nimirum dum conuenientibus inuicem credentium colligitur membris, quasi simila ex multis frumenti conspergitur granis. Et sicut simila inter molam vtramque conteritur, vt à farinæ siligine cantabrum separetur; ita velut inter duas Legis scilicet, & Euangelij molas sancta Ecclesia stringitur, vt litteræ superficies à medulla spiritus discernatur. Quæ videlicet Ecclesia, vt reuera spiritualis simila, dum per aquam Baptismatis adunata, & oleo chrismatis est conspersa, igne quoque Rom. 12. sancti Spiritus solidata fit, iuxta Apostolum: *Hostia Deo benè placens, & perfecta.* Thure autem, quod positum super similam dicitur; eiusdem Ecclesiæ oratio designatur; sicut in Apocalypsi Ioannis ostenditur, cum dicit: Quia, *phialæ plenæ odora-* Apoc. 5. *mentorum sunt orationes Sanctorum.*

CAPVT IV.

Ad Desiderium Abbatem.

Exod. 33. MOyses tabernaculum fœderis frequenter intrabat, & exibat. Quid est enim, quod ille crebrò tabernaculum ingreditur, & egreditur, nisi vt exemplum præbeat quod is, qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis frequenter vrgetur. Intus Dei arcana considerat: foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, ac coram testamenti Arca Dominum consulit, formam procul dubio rectoribus præbens, vt cum fo-

A ris ambigunt, quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant; & velut coram testamenti Arca Dominum consulant, si de iis, in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquij paginas requirunt. Vnde & ipsa Veritas per susceptionem nobis nostræ humilitatis ostensa noctibus in monte orationibus vacat, die verò in vr- Luc. 27. bibus per miraculorum signa coruscat, imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens; vt si iam summa contemplanda appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur; quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quo benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

B

CAPVT V.

In Epistola ad Cunibertum Taurinensem Episcopum, de incontinentia Clericorum.

ARreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis Levit. 10. suis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egressúsque est ignis à Domino, & deuorauit eos & mortui sunt coram Domino. Quid est enim alienum ignem Domino Sacerdotes offerre, nisi ardore libidinis inflammatos, sacrosanctis altaribus propinquare? Et cum Scriptura dicat: *Spiritum nolite extinguere*, isti, quantum in se, Spiritum 1. Thess. 4

C sanctum, qui in eis ardere debebat, extinguunt, & alienum ignem offerunt, dum ad altare Domini flamma libidinis æstuantes, accedunt; sed repentè super eos ignis diuini furoris accenditur, quo terribiliter exuruntur; Scriptura testante, quæ dicit: *Et nunc ignis aduersarios consumit.* Et certè Hebr. 10. legitimum est, vt qui sordentes sacris altaribus appropinquant, gladio diuinæ vltionis intereant; dicente ad Moysen Domino: *Docebitis filios Israel, vt caueant immunditiam, & non moriantur in sordibus* Levit. 10. *suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter eos.*

D

CAPVT VI.

In Sermone S. Georgij.

TVnica, inquit Dominus, *linea vestietur, fæ-* Levit. 6. *minalibus lineis verenda celabit, accingetur zona* & 16. *linea, cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cum lotus fuerit induetur.* Quisquis enim in tabernaculo Christi, quod est Ecclesia, semetipsum Deo sactificare contendit, necesse est vt postquam lauacro sacri fontis abluitur, diuersis etiam virtutum vestibus induatur, Psal. 131. sicut scriptum est: *Sacerdotes tui induantur iustitia;* quatenus qui in Christo per baptismum nouus homo renascitur, non iam pelliceas tunicas, morta-

E litatis videlicet indices vestiat, sed deposito veteri homine, nouum induat, & in eo per mundæ conuersationis studium innouatus viuat. Et notandum, quod omnes illæ vestes, lineæ describuntur. Linum quippe ad candorem cum labore perducitur: & virtutum vita non acquiritur sub torpore desidiæ, sed in laboriosæ potiùs exercitio disciplinæ.

CAPVT VII.

In Sermone S. Bonifacij.

POntifex viuentem hircum hoc modo iubetur
ex lege offerre. vt poſita ſuper caput eius vtra-
que manu, confiteatur omnes iniquitates filiorum
Iſraël, & vniuerſa delicta, atque peccata eorum;
Leuit.16. quæ imprecans capiti eius; emittat illum in de-
ſertum. Quid eſt autem, hircum vtrique manui
Pontificis ſubiici, niſi filium hominis in ſimilitudi-
ne carnis peccati venientem per voluntatem Dei,
vtriuſque populi, Iudaici videlicet, & Gentilis,
perſecutione grauari? Plane vtriuſque ſe voluit
manibus ſubdere, qui de iugo diaboli vtrumque
Ioan. 8. venerat populum liberare. Quid verò eſt, quod
poſt confeſſionem, atque imprecationem omnium
iniquitatum filiorum Iſraël ſuper capita eius, hir-
cus mittitur in deſertum, niſi quia is, qui pecca-
ta noſtra portauit, qui legis maledicta ſuſtinuit,
protinus in deſertum, vbi nonaginta nouem re-
liquerat, ouem centeſimam reportauit? Vnde
Matt.18. & Apoſtolus: *Vt nos*, inquit, *liberaret à maledicto,*
Galat.3. *ipſe factus eſt maledictum.*

CAPVT VIII.

*Ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum, de inconti-
nentia Clericorum.*

Leuit. 22. *OMne animal, quod vel contritis, vel tunſis, vel ſe-* C
ctis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino.
Porrò ſi tanto Deus odio habet ſterilitatem in ani-
malibus brutis, quæ ſibi per ſacerdotale miniſte-
rium offeruntur, quanto magis hanc aſpernatur in
ſacerdotibus, qui ſibi ſacrificium offerunt: nimirum
vt ſicut in illis fœtus exigitur carnis, ita ſacerdo-
tes in alios propagines germinent caſtitatis.

CAPVT IX.

In Sermone in Cœna Domini.

Exod. 27. P*Racipe filiis Iſrael*, ait Dominus ad Moyſen, *vt*
Num. 8. *afferant tibi oleum de oliuis puriſſimum ac lucidum*
A *ad concinnandas lucernas iugiter extra velum teſtimo-
nij in tabernaculo fœderis: ponetque eas Aaron à veſpe-
re vſque in mane coram Domino, cultu, rituque perpetuo
in generationibus veſtris, ſuper candelabrum mundiſſi-
mum ponetur ſeptem in conſpectu Domini.* Quid autem
per ſeptem lucernas in tabernaculo, niſi ſeptem
ſignificantur Eccleſiæ in vno populo Chriſtiano?
In quibus nimirum oleum iubetur indeſinenter
ardere, quia in his ſincera charitas, quæ per Spiri-
tum ſanctum datur, gemini debet amoris igne
feruеſcere, & claris, atque conſpicuis ſemper ope-
ribus coruſcare. Sed cùm vna ſit proculdubio Ca-
tholica, & vniuerſalis Eccleſia, ſicut per Salomo-
nem dicitur: *Vna eſt columba mea, vna genitricis* Cant. 6
ſuæ; quid eſt quod in ſacris eloquiis ſeptem eſſe
B referuntur Eccleſiæ, niſi quia quæ vna eſt per vni-
tatem fidei, ſeptiformis eſt per totidem dona Spi-
ritus ſancti? Hæ ſunt enim ſeptem illæ mulieres,
quæ iuxta Prophetæ vaticinium, accepere virum
vnum. Vir autem Eccleſiæ Chriſtus. Hoc planè
ſancti Spiritus oleo cuncta ſacrarum Scripturarum Eſai. 4.
pabula condiuntur, vt animarum noſtrarum viſce-
ra ſaginentur. Hoc oleum vitalibus epulis eloquij
cæleſtis infuſum ſapit in faucibus animæ, cuius
& ſtomachum recreat, & guſtum percipientis ob-
dulcat. Nam ſcriptum eſt: *Littera occidit, Spiritus au-* 1.Cor. 3.
tem viuificat. Vnde ſciendum eſt, quia omnes ſa-
crorum voluminum paginæ ſancti Spiritus oleo
ſunt conditæ.

CAPVT X.

In Epiſtola ad Hildeprandum, & Stephanum.

COmedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſu- Leuit. 26.
peruenientibus proiicietis. Vetuſtiſſimum quip-
pe nobis eſt, primos homines Domini in paradiſo
conſpicere: Vetus autem Iſraëliticum populum,
Circumciſionis ac ſacrificiorum ritum, diuerſa-
rumque cæremoniarum mandata ſeruare. Tunc
itaque vetuſtiſſima veterum mentis ore comedi-
mus, cùm ad inſtar primi parentis Dei ſpeciem
contemplamur. Vetera verò nouis ſuperuenienti-
bus procul abiicimus, dum Euangelij gratia co-
ruſcante, Moſaicæ legis obſeruantiam non cu-
ramus.

Expliciunt Teſtimonia Libri Leuitici.

Incipiunt Capitula Libri Numeri.

1. *APplica tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron, dabiſque dono Leuitas, Aaron & filiis eius.*
2. *Quod populus colligens manna, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, & faciebat ex eo tortulas.*
3. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes ſint populi.*
4. *Pergentes exploratores vſque ad torrentem Botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri.*
5. *Item, vnde ſuprà.*
6. *Tollens Aaron thuribulum cucurrit per mediam multitudinem, quam vaſtabat incendium.*
7. *Præcipe filiis Iſraël, vt adducant ad te vaccam ruffam, ætate integram, ſine macula, quæ non portauerit iugum.*

8. *Aperi thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt saturati cesset murmuratio eorum.*
9. *Audite rebelles, & increduli, Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?*
20. *Quòd Dominus misit in populum serpentes, propter murmur eorum.*
11 *Quòd Israël misit nuntios ad Seon dicens: Obsecro, transire mihi liceat per terram tuam.*
12. *Quòd præcipua vrbs regni Seon, dicitur Esebon.*
13. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos in patibulo contra solem, vt auertatur furor meus ab Israël.*
14. *Quòd tribus Leui ad repromissionis terram peruenerit; cæteris tribubus in deserto prostratis.*
15 *Quòd Salphaat non filios, sed quinque tantùm filias moriens dereliquit.*
16. *De octo festiuitatibus, quas per vnumquemque anni circulum Dominus obseruari præcepit.*
17. *Arm ate ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis.*
12. *Quòd filii Israël venientes ad fontem iudicij, qui est Cades, interfecerunt omnes Principes Amalech, & Amorrhæos.*
19. *Quòd Israël in quadraginta duabus mansionibus ad hæreditatis principium peruenerit.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Numeri.

CAPVT I.

In Epistola ad Alexandrum Papam, vt Canonicis proprietatem tollat.

Num. 3. APplica, inquit Dominus Moysi, *Tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, vt ministrent ei.* Et infra: *Dabisque dono Leuitas Aaron, & filiis eius, quibus traditi sunt à filiis Israël.* Aaron quippe, & filios eius, quis ambigat ius habuisse Pontificum? Tribum verò Leui quis nesciat prætulisse ordinem Clericorum? Leuitæ ergo Aaron, & filii eius à filiis Israël dono traduntur; cum ex omni Christiano populo Clericalis ordo in exeubias Ecclesiastici cultus assumitur; & vt assistant, atque ministrent, suis Pontificibus offeruntur. Sed quisquis seruus est Mâmonæ, ritus abhorret Ecclesiasticæ disciplinæ. Nec prætereundum est, quod illic præstò subiungitur: *Ego, ait Dominus, tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito, quod aperit vuluam in filiis Israël, eruntque Leuitæ mei.* Vt liquidò pateat, Clericorum ordinem, Dei omnipotentis esse peculium; sicut & ipse Deus specialis est hæreditas Clericorum. Sed cui Deus in hæreditate non sufficit, quid eum satiare possit, ignorat; quia mentis eius oculum furiosa cupiditas cæcat.

CAPVT II.

In Sermone de Cœnâ Domini.

Num. 11. CIrcuibat populus, & colligens mannâ frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, saporis quasi panis oleati. Porrò autem quasi per multa in cellario Domini dolia trâsitum habuimus, vt ad solum olearum, velut olei vasculum peruenire possemus. Manna denique, quo plebs viuebat Israëlitica, factum designabat eloquium, quo nutritur, & vegetatur religio Christiana. Quod vtique veraciter oleatum est, quia mystica sancti Spiritus est vnctione conspersum. Notandum verò, quia idem manna, quod in libro Numeri dicitur oleatum, in Exodo legitur non olei, sed mellis potius habuisse saporem: *Gu-*
Exod. 16. *stus, inquit, eius erat quasi simila cum melle.* Quidnam est, quòd Angelicus ille cibus priùs dicitur mellis exhibuisse dulcedinem, & postmodum non mellis
A sed olei præbuisse suauitatem, nisi quòd Redemptor noster, sacrarum omnium auctor, & conditor Scripturarum, quem videlicet illud manna principaliter figurabat, & ante passionem velut mel dulcedinem exhibuit miraculorum, & post Ascensionem suam tanquam oleum, in discipulos suos effudit Spiritum sanctum? Nam quasi mellis videtur propinasse dulcedinem, dum signis atque virtutibus coruscauit: olei verò nunc suauitatem dedisse, cùm in Apostolos suos sancti Spiritus Paracleti dona diffundit. Quem videlicet ordinem Moyses congruè tennit, cum in Deuteronomio de petra, quæ & nihilominus manna erat, typicè decantauit: *Suxerunt*, inquit, *mel de petra, &* B *oleum de firma petra.* De hoc mysticæ vnctionis oleo Sponsa ad Sponsum dicit in Canticis: *Vnguentum effusum nomen tuum.* Vnguentum quidem effusum Sponsi nomen asseritur; quia sicut à chrismate Christus, ita consequenter à Christo dicitur Christianus. Act. 1. & 2. Deut. 32. Cant. 1.

CAPVT III.

In libro Gratissimo.

COngrega mihi, ait Dominus, *septuagintà viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & lo-* C *quar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Vbi notandum, quòd non ait, auferes de spiritu tuo, desque eis, sed potius, auferam, & tradam; vt profectò ostenderet, quia non homini Spiritum sanctum tradit, sed solus ipse est, qui prout vult, gratiæ suæ dona distribuit. Vnde & paulò post subditur: *Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* De spiritu autem Moysi viris dedisse Dominus dicitur; vt & ordinatores, & ordinatos vnum debere spiritum habere perspicuum doceatur: quatenus Rectores Ecclesiæ nequaquam inter se diuersa sentiant, vnde schisma, quod absit, aut hæreses pestilenter emergant; sed vnum omnes concorditer doceant, atque in vnitate spiritus vnanimiter viuant. Porrò autem, sicut septuaginta illi, quos Dominus post Aposto- Num. 11. Ibid. Luc. 10.

los ordinauit; totidemque ferè isti, quos cum Moysi sustentare populi onus voluit, typum prætendebant Presbyterorum: ita nihilominus Moyses primùm, & pòst Apostoli dignitatem videntur obtinuisse Pontificum: & sicut neque illi ab Apostolis, neque isti à Moyse Spiritum sanctum accipere potuerunt, sic etiam de Episcopis, cæterisque Ecclesiasticæ dignitatis ordinibus proculdubio sentiendum est; nimirum quia vnus omnipotens Deus, qui eos per diuersos ordinum gradus moderaminis sui dispensatione distinxit, solus etiam, pro vt ipse nouit, spiritus sui gratiam in vnumquemque diffudit. Neque enim in illa spiritus datione aliud sibi Moyses arrogare priuilegium potuit, quàm quòd illi vox diuina præcepit; nimirum, vt viros erigeret, eosque ducens ad ostium tabernaculi, cum eis staret; hæc est summa operis Moysi. Quid ergo suæ virtutis in hoc Dei munere Moyses recognoscere potuit, cùm insuper & duo ex his qui descripti fuerant, Scriptura teste, in castris positi, & ad tabernaculum non venerunt, & tamen eo nesciente, æquè vt cæteri spiritum perceperunt? In eo sane, quod de spiritu Moysi tolli dicitur, atque aliis dare, nullum Moyses dispendium sui spiritus pertulisse credendus est: velut ab ardente lucerna lumen, quælibet materia mutuetur, nullo propter hoc lucerna proprij splendoris detrimento minuitur.

CAPVT IV.

In Sermone secundo de S. Matthæo.

Num. 13. PErgentes exploratores Israël vsque ad torrentem Botri, absciderunt palmitem cum botro suo, quem portauerunt in vecte duo viri. Duo scilicet viri, duo sunt populi, Iudæus, & Gentilis. Hi botrum posuerunt in vecte, quia Saluatorem suspenderunt in Cruce: Sed præcessor, quod portabat, non aspiciebat, qui sequebatur, intuebatur. Et Iudæorum populus, qui nos temporibus intercessit, Dominum, quem in Prophetis, & Lege portauerat, dum obedientiæ vultum semper auertit, videre non potuit. Gentilis autem, qui sequitur, tamquam præ oculis positum assiduè contemplatur.

CAPVT V.

In Sermone de Natiuitate S. Mariæ.

Ioan. 15. Num. 13. HVnc planè mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, qui per semetipsum in Euangelio testatur: *Ego sum*, inquiens, *vitis vera*, botrus ille signauerat, quem de terra promissionis exploratores in phalanga ad filios Israël deferebant. Duobus autem portitoribus hinc inde suppositis, altero videlicet præcedente, altero subsequente, botrus in medio ferebatur; quia Redemptor noster, dum à Patribus veteris Testamenti venturus esse prædicitur, à noui verò Prædicatoribus iam venisse nuntiatur, quasi botrus in falanga defertur, vt ad capessendam supernæ repromissionis terram mens fidelium accendatur. Falanga quippe delata humeris portitorum, diuina lex est imposita ceruicibus hominum; cuius partes botrus ille medius continuauit; quia Saluator noster, *qui fecit vtraque vnum*, cum Euangelica doctrina Legis, & Prophetarum mandata coniunxit. Sed qui præcedebat, quod humeris portabat, oculis non videbat; qui autem sequebatur, onus suum semper intuebatur. Per illum ergo, qui præcedebat, populus Iudæorum: per illum verò, qui sequebatur, non incongruè designatur multitudo Gentium. Ille enim per sacræ Scripturæ paginas quasi in humeris Christum portauit; sed quia præsentem in carne, impediente infidelitatis suæ caligine, non cognouit, dorsum ei quodammodo in faciem misit: ille verò, qui sequitur, aspicit; quia Gentilis populus Redemptorem suum, in quem fideliter credit, manifestè cognoscit. Potest etiam per repromissionis terram non incongruè ipsum beatissimę Dei Genitricis corpus intelligi, ex quo Redemptor noster velut singularis botrus voluit humanitus germinari; iuxta illud quod scriptum est: *Veritas de terra orta est.* (Psal. 84.) Et benè caro beatissimæ Virginis, terra repromissionis est dicta, quæ longè ante paritura Saluatorem mundi, à Prophetis multifariam est promissa. Quæ verè lac, & mel manauit; dum Deum, & hominem intemerata virginitate profudit. Vnde & per Esaiam Prophetam dicitur: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* (Esai. 7.)

CAP. VI.

In Epistola ad Hermisindim Sanctimonialem.

TOllens *Aaron thuribulum, cucurrit per mediam multitudinem, quam vastabat incendium, & stans inter mortuos ac viuentes, thymiama obtulit, sicque desæuiens plaga cessauit.* (Num. 16.) Quem sanè Aaron, nisi Redemptorem nostrum significabat? Ipse namque quoniam ad currendam viam, quasi gigas exultauit, arrepto passionis suæ thuribulo, inter mortuos, & viuentes occurrit, & obiectu Crucis suæ, in qua thymiama sacri corporis concrematum est, & Agnus ille cælestis allatus est, viuos ac mortuos separauit, ignisque perniciem ab eis, quasi quidam interueniens murus, exclusit, vt vorax flamma deglutiat infideles quosque, de quibus scriptum est: *Nunc ignis aduersarios consumit, & iusti, qui fide viuunt, incendium damnationis euadunt.* (Psal. 18. Hebr. 10.) Quorum mortuorum atque viuentium iam & ipsi latrones noscuntur fuisse primitiæ, inter quos Dominus crucifixus est: quorum alter electus, alter est meritò perfidiæ reprobatus. Hoc itaque thymiama sacrificij salutaris atque singularis, quod in ara Crucis oblatum est Deo Patri; mons ille fortitudinis inter mortuos, viuentesque portauit: cum odorem suæ notitiæ per fideles, & infideles effudit. Vnde est illud in Canticis: *Vnguentum effusum nomen tuum.* (Cant. 1.) Et Apostolus: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ semper manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui sunt, & in eis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* (2. Cor. 2.)

CAPVT VII.

In Sermone de Inuentione sanctæ Crucis.

PRæcipe *filiis Israël, vt adducant vaccam rufam, ætate integra, sine macula, quæ nunquam portauit iugum.* (Num. 19.) Rufa nimirum vitula, caro est Saluatoris, rosea scilicet sanguine passionis. Perfectæ quidem ætatis Dominus ad passionem venit; sed eius collum iugum peccati cuiuslibet non attriuit. Qui vitulam offerunt, immundi sunt: & qui Christum crucifigunt, vnde mundus abluitur, ipsi damnabiliter inquinantur. Qui verò cinerem colligens

extra castas proiicit, mundus est; quia quicumque
Crucis Dominicæ, passionisque mysterium per
mundi latitudinem prædicant, à peccatorum sa
contagio per ædificationis fraternæ ministerium
purgant.

CAPVT VIII.

In Sermone de Exaltatione sanctæ Crucis.

Num. 20. APeri, Domine, thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ,
vt satiati, cesset murmuratio eorum. Neque enim
tam magnificis atque diuinis verbis elemẽtum de-
scriberet, ex cauernis videlicet terræ profluum, ac
deinceps in secessuum cuniculos egerẽdum. Num- B
quid enim dignum fuit, viles aquas, appellare Dei
thesaurum? Sed Dei thesaurum illum proculdu-
Coloss. 2. bio nominat, de quo Apostolus dicit: Quia, *In pe-
ctore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abs-
conditi.* Fontem etiam aquæ viuæ illum perhibet,
Ioan. 4. de quo dicitur: *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei,
fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Alioquin
qua rationis consequentia diceret: Vt satiati, cesset
murmuratio eorum, cum postmodum idem popu-
Exod. 4. lus murmurans dicat; *Cur eduxisti nos de Ægypto, vt
moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ*; &
alia multa, quæ prodigiosa dementia tumultuatus
euomuit. Sed affectus tædio Moyses tam duræ ac
seditiosæ multitudinis, aduentum anxiè flagitat
Saluatoris. Sicut & tunc petierat, cum dicebat: *Ob-
secro, Domine, mitte, quem missurus es.*

CAPVT IX.

In eodem Sermone.

Num. 20. COngregata *multitudine ante petram, Moyses ait:
Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vo-
bis aquam poterimus eiicere?* Tamquam diceret: Nos
non valemus quod supra humanitatis vires est, fa-
cere, quia vos non acquiescitis, quod humanum est,
adimplere. Nec signum possumus ex virtute diui-
nitatis ostendere; quia vos nunquam desinitis Deo
per rebellionis contumaciam contraire. Propter
peccata namque populi, quod & ipse iam fecerat,
quando videlicet in Cades largissimas aquas, sili-
cem percutiendo produxit, rursus se facere posse
diffidit: atque ideo in repromissionis terram eun-
dem populum, Domino prohibente, nullatenus
1. Cor. 10. introduxit. Sed *petra* illa, iuxta Apostolum, *Chri-
stus erat.* Accedit igitur virga ad silicem, & hau-
rienda populis aqua producitur. Adhibetur crux
Christo, & omnia corda credentium gratia sancti
Spiritus rigantur. Hic est enim lapis, de quo per
Zach. 3. Zachariam dicitur: *Super lapidem vnum septem ocu-
li sunt.* Quod autem petram non credendo percus-
sit, atque ideò ad promissam terram cum populo
non peruenit, populum significat Iudæorum, qui
profectò Christum Dei virtutem esse non credens,
in ligno suspendit, atque ideo in terram viuen-
tium intrare non meruit.

CAPVT X.

In eadem Sermone.

Num. 21. MVrmurante aliquando *populo aduersus Moysen
ac dicente: Deest panis, non sunt aquæ. Anima
nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Tunc immisit
in eos Dominus ignitos serpentes. Cumque pœnitentia du-
cti, indulgentiam peterẽt, ex præcepto Domini fecit Moy-
ses serpentem æneum, & pro signo posuit: ad quem qui-*

A *cumque percussi fuerant aspicientes protinus sanaban-
tur.* Enimuero per consilium serpentis est homo de-
lapsus in mortem, æs verò cæteris metallis durabi-
lius inuenitur. Æneus itaque serpens Dominum
figurauit, qui infusum nobis venenum diabolicæ
suggestionis abegit. Et aptè æneus serpens, vt per
serpentem mortuus, & per æs Dominus significa-
retur æternus. Qui enim ex humanitate, Crucis
supplicium pertulit: ex diuinitate, perpetuus, &
impassibilis viuit. Porro autem serpens æneus si-
militudinem quidem serpentis habet, sed vene-
num serpentis non habet. Et Redemptor noster in
similitudine quidem carnis peccati apparuit, sed
peccati venenum in eo locum habere non po-
B tuit. Quippe, *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuen- 1. Pet. 2.
tus est in ore eius.* Nec prætereundum est quod con-
gruè satis mansio illa, vbi hæc facta sunt, Salmona
dicitur, quæ videlicet imaguncula interpretatur;
quia illic nimirum in huius ænei serpentis for-
ma, imago est nostri Saluatoris expressa. Vnde &
idem Saluator ait: *Sicut exaltauit Moyses serpen- Ioan. 3.
tem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt
omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam
æternam.* Rectè ergo serpens æneus pro signo poni-
tur, & populus aspiciens à morsu serpentium libe-
ratur, quia quicumque in Saluatorem, qui in
Cruce suspensus est, ex desiderio imitationis in-
tendunt, omne mox virus, & lethiferos morsus ve-
tenosi serpentis euadunt. Et notandum, quod
serpens ille pro signo dicitur positus. Nam &
Simeon ille iustus, delato ad Templum Domi-
C no, vaticinans ait: *Ecce positus est hic in ruinam, & Luc. 2.
in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui
contradicetur.* In signum namque contradictionis
Redemptor noster est positus, quia in Cruce
erat pro humani generis salute passurus. Cui
nimirum Crucei omnis mundi sapientia contra-
dixit, sed Regi per eam gloriæ triumphanti tan-
dem deuicta succubuit; sicut in Actibus Aposto-
lorum dicitur *De secta autem hac scimus, quia vbi- Act. 20.
que ei contradicitur.*

CAPVT XI.

In Sermone S. Christophori.

D MIsit *Israel Nuncios ad Seon, dicens: Obsecro vt Num. 17.
transire mihi liceat per terram tuam; non de-
clinabimus in agros, & vineas: non bibemus aquas ex
puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos
tuos.* Qui concedere noluit vt transiret Israël per
fines suos; quin potius (vt eadem sacra restatur
Historia) exercitu congregato, Seon egressus est
obuiam in desertum, & venit in *Isaar, pugna- * Iasa.
uitque contra Israël, à quo percussus est in ore
gladij, & possessa est terra eius ab Israël. Sed
quod tunc sub Moyse fuit historialiter factum,
sub Christo quotidie fit per spiritualis militiæ
sacramentum. Hanc enim pugnam ille tunc
populus adumbrabat, quia nunc sancta Ecclesia
iugiter contra diabolum dimicat. Seon quippe
E duplicem habet interpretationem. Dicitur enim
arbor infructuosa: dicitur & elatus. Quis enim
est iste elatus, quis est iste superbus, nisi reprobus
ille Spiritus, qui dicit: *In cælum conscendam, super Esai. 14.
astra cæli exaltabo solium meum: ascendam super alti-
tudinem nubium, & similis ero Altissimo?* Quis, in- Iob. 41.
quam, iste elatus est, nisi ille, de quo Scriptura 2. Thess. 2.
dicit; *Quia ipse est Rex super omnes filios superbiæ?*
Adeo vt, iuxta Apostolum, *In Templo Dei ali-
quando sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus.* Quod
autem idem sit arbor infructuosa, expositione

non indiget, dum ipse tanquam lignum aridum A
æterni sit ignibus deputatus. Hic itaque Seon
Rex est Amorrhæorum, qui & ipsi interpretan-
tur, vel in amaritudinem adducentes. Nam qui-
cumque maligno spiritui, per reprobam vitam
subiacent, eiusque ditionis legibus parent, lo-
quentes quidem sunt, sed non sapientes. Pleri-
que scilicet amatorum mundi, dum in terrena
sunt sapientia vacui, per leporem exterioris elo-
quentiæ sunt diserti. De quibus per Salomonem
dicitur: *Omnis labor in ore hominis, sed anima eius non*
Eccl. 6. *implebitur.* Sanctorum autem regnum non est in
sermone, sed in virtute. Sed qui sunt eloquentes,
iidem sunt & in amaritudinem abducentes.
Quia sicut Sancti quique cælestis eloquij mella
distillant, sic reprobi quilibet suis auditoribus
virus terrenæ versutiæ, amaritudinemque pro- B
pinant. Istis enim in persona sanctæ Ecclesiæ
dicitur: *Fauus distillans labia tua, Sponsa.* Qui
Cant. 4. etiam in figura eiusdem Ecclesiæ concinunt:
Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel*
& fauum ori meo! De quorum etiam Doctore Spon-
Cant. 5. sa dicit in Canticis: *Guttur eius dulcedines, & totus*
Psal. 13. *concupiscentia.* De illis autem è contrario dicitur:
Quia linguis suis dolosè agebant; venenum aspidum
sub labiis eorum. Vbi mox sequitur: *Quorum os ma-*
ledictione, & amaritudine plenum est. Vnde & vi-
Esai. 5. & neam illam Dominus per Prophetam conqueri-
Hier. 2. tur in amaritudinem esse conuersam: quæ nimi-
rum illi, à quo dudum perceperat terram lactis
& mellis, postmodum obtulit amaritudinem ace- C
ti, simul & fellis. Horum itaque loquentium,
Deut. 32. vel in amaritudinem adducentium Seon Rex est,
qui elatus asseritur, quia vaniloquis, & amaris
huius mundi amatoribus, diabolus auctor su-
perbiæ principatur. Vnde & ipse Princeps mun-
di dicitur, illius videlicet, de quo dicit Ioannes:
Matt. 27. *Mundus in maligno positus est.* Et Dominus promit-
Ioan. 12. tit illum Discipulis Spiritum mittendum, quem
& 14. hic mundus non potest accipere. Dicit ergo I-
1. Ioan. 5. sraël ad Seon: *Transire nobis liceat per terram tuam;*
Ioan. 14. *non declinabimus in agros, & vineas.* Nos planè nos
Num. 21. sumus, qui per hunc mundum ad terram cupimus
transire viuentium. Nos, inquam, per terminos
superbi Regis humiliter incedere volumus ad D
patriam diuinæ promissionis. Et quoniam He-
bræus interpretatur transiens; nos, qui Discipu-
li sumus illius. *Qui non habitauit, sed pertransiuit*
Act. 10. *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo,*
quoniam Deus erat cum illo; numquam nos habitaturos
cum Seon Rege promittimus, sed via tantummo-
do regia processuros nos esse spondemus. Sed
quando nos Regi Seon ista promittimus? Quando
cohabitationi eius repudium dedimus? quando
diuisionis æternæ fœdus cum eo pacti sumus? Re-
colamus itaque diem sacri Baptismatis, ipsum
nouæ regenerationis exordium ad memoriam
reducamus; & ibi nos proculdubio renuntias- E
se diabolo, ac cunctis eius pompis, & operi-
bus inuenimus. Commemoret vnusquisque fide-
lium cum primùm ad fontem lauacri salutaris
accessit, cùm signacula Fidei prima suscepit. Non-
ne per catechismum sacerdotalis officij his vsus
est verbis, quibus se significaret letiferas mundi
huius cupiditates abiicere, ac diabolicæ socie-
tatis contubernium profiteretur à se funditus
abdicare? Et hoc est, quod in historiæ sermoni-
bus adumbratur: quia non declinabit Israël,
neque in agrum Regis Seon, neque in vineam,
neque de lacu eius se pollicetur aliquo modo
potaturum. Per agrum scilicet operis exerci-
tium: per vineam & lacum, vanarum artium in-
telligitur poculum, Astrologiæ scilicet, Magicæ,
Necromanticæ; & quicquid est, quod vanum ali-
quid, vel sacrilegum dogmatizat contra Catho-
licæ fidei pietatem. De quibus vtique pestilen-
tibus poculis contra peruersum populum per
Hieremiam Dominus conqueritur dicens: *Duo* Hier. 2.
mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ
viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas,
quæ continere non valent aquas. De quibus & per Sa Prou. 2.
lomonem dicitur: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Ha-
bet autem Israël fontes suos: *In Ecclesiis, inquit, be-* Esai. 12.
nedicite Deo Domino de fontibus Israel. Superbi ergo Psal. 73.
Seon aquas respuat, hæreticorum dogmatum Psal. 68.
fluenta contemnat, &, *Hauriat aquas in gaudio de*
fontibus Saluatoris. Qui enim disrupit fontes, & tor-
rentes hic in Euangelio dicit: *Qui biberit aquam,* Ioan. 7.
quam ego do, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.
Sed & via regia, sicut est pollicitus, gradiatur. *Via,*
inquit, *regia gradiemur.* Quæ est autem via re-
gia, nisi illa quæ dicit: *Ego sum via?* Qui etiam in Ioan. 14.
ipso passionis suæ articulo, se Regem perhibet,
dum ait: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Promisimus er- Ioan. 18.
gò superbo Regi Seon eius fluenta non bibere,
non in agros, vel vineas declinare, regia via nos
incedere, hoc est, ad Christum per ipsum prope-
rantes, ab omnibus diaboli pompis, & operibus
abstinere. Sed elatus ille Seon exercitum colligit,
& Israël per suos fines habere transitum non
permittit. Quis est autem populus ille, quem
Seon congregat aduersus Israël, nisi reprobi
quique, qui persequuntur Ecclesiam? Ex his sunt
Tyranni, Duces & Principes mundi, qui vel Ca-
tholicis viris per hæreticam prauitatem oppo-
nunt contradictionis obstacula, vel sanctis Mar-
tyribus moliuntur inferre tormenta. Sed quid Num. 21.
ad hæc facit Israël? Interrogemus historiam:
Venit, inquit, *in * Issar, & pugnauit contra eum.* * Iasa.
A quo percussus est Seon in ore gladij, & posses-
sa est terra eius ab Arnon vsque * Laboch. Ecce * Iebo.
superbus, ecce elatus, congressus est, sed contri-
tus, commisit & perdidit, in arma prosiluit, &
succubuit. Qui noluit dare viam, perdidit vitam;
& dum contempsit annuere publicæ viæ tran-
situm, amisit proprium regalia gloriæ princi-
patum. Israël autem, qui transitum non obtinuit,
ad hæreditariæ possessionis iura peruenit; & cui
transire non licuit, de via patriam fecit. Sed vbi,
quæso, fratres mei, vbi hæc est peracta victoria?
Felix scilicet locus, qui tantæ gloriæ meruit
videre triumphum. Vbi, inquam, superbum Re-
gem obtinuit Israël? In Issaar. Issaar autem in-
terpretatur, mandati adimpletio. Et nos si ad
hunc locum Deo duce pertingimus, diabolum
proculdubio, qui caput, & origo est superbiæ,
superamus. Tunc enim diabolum vincimus,
cùm Redemptoris nostri mandata complemus;
quamquam, quod est diabolum vincere, hoc
ipsum sit diuina mandata complere. Nam dum
carnis illecebras frangimus, dum prauis visce-
rum passionibus reluctamur, dum diuinæ ius-
sionis imperio subdimur, & non nostra vota, sed
illius iussa seruamus, tunc absque dubio mundi
principem, & totius nequitiæ debellamus au-
ctorem. Tunc Apostolica illa oratio completur
in nobis, quando dicitur: *Deus autem pacis conterat* Rom. vlt.
Satanam sub pedibus vestris. Et illud nobis Domi-
nus, quod promisit impertit: *Ecce dedi vobis po-* Luc. 10.
testatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & su-
per omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Sed
cum Seon exprimat antiquum hostem, populus

autem eius quoſque reprobos, vel Eccleſiæ per- A
ſecutores, qui armis ab Iſraël, hoc eſt, a ſanctis
Prædicatoribus ſunt proſtrati. Quo mucrone
perfoſſi, quo denique gladio ſunt perempti: Sed
audi Apoſtolum, ſpiritualis vtique militiæ du-
cem, & ſtrenuum inteſtini prælij bellatorem:
Hebr. 4. *Viuus eſt*, inquit, *ſermo Dei*, *& efficax*, *& pene-
trabilior omni gladio ancipiti*, *pertingens vſque ad di-
uiſionem animæ*, *ac ſpiritus*; *compagum quoque*, *ac me-
dullarum*, *& diſcretor cogitationum*, *& intentionum
cordis.* Hunc diuiſionis gladium euaginabat Dux
& Auctor ille certaminum, ac Dominus bellato-
Matt. 10. rum, cum dicebat, *Nolite putare*, *quia veni mit-
tere pacem in terram*; *non enim veni pacem mittere*,
ſed gladium. Audiſti gladium diuidentem, audi
conſequenter & ipſam diuiſionem: *Veni*, inquit; B
ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, *& filiam
aduerſus matrem ſuam*, *& nurum aduerſus ſocrum
ſuam*, *& inimici hominis domeſtici eius.* Hoc itaque
gladio & Seon eſt peremptus, & omnis eius
exercitus communi cæde proſtratus. Quia ni-
Epheſ. 6. mirum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, &
diabolus corruit, & ſubiectus ſibi populus ſub
infidelitatis ſuæ vita defecit. Cum itaque Scri-
ptura perhibeat, quòd illi in ore gladij ſunt pe-
rempti, de iſtis non incongruè dici poteſt, quo-
niam interfecti ſunt gladio oris. Et cùm Domi-
Ioan. 12. nus dicat: Quia *Princeps mundi eijcietur foras*;
mox vt Seon eijcitur, illico per omnem mundi
latitudinem Iſraël, id eſt, ſancta Eccleſia propa-
gatur. Mox enim vt cum Principe ſuo infideli-
tas extincta collabitur, Fides triumphantis Ec- C
cleſiæ dilatatur. Et qui fuerant hactenus exules,
fiunt poſt victoriam poſſeſſores. Vnde & eidem
Eſai. 65. Eccleſiæ per Eſaiam dicitur: *Populus autem tuus*,
omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram. De quo
Eſai. 54. populo & poſtmodum dicit: *Et habitabunt & plan-
tabunt vineas*, *& comedent fructus earum.* Adhuc
etiam idem Propheta, quod ſancta debet Eccle-
ſia per fines Gentium dilatari, manifeſtè denun-
tiat: *Dilata*, inquit, *locum tentorij tui*, *& pelles
tabernaculorum tuorum extende*; *ne parcas*, *longos
fac funiculos tuos*, *& clauos tuos conſolida.* Cur au-
tem hæc agere debeat, aperit, cum ſubiungit: *Ad
dexteram enim*, *& ad læuam penetrabis*, *& ſemen tuum* D
gentes hæreditabit. Omnis ergo terra Seon cecidit
in hæreditatem Iſraël: qui dum Princeps mundi
huius gladio diuini verbi confoſſus egreditur,
ſancta vniuerſalis Eccleſia per eiuſdem mundi
terminos dilatatur. Nec prætereundum arbitror
eſſe, quod dicitur: Quia poſſeſſa eſt terra eius
* Iaboc. ab Arnon vſque * Laboch. Arnon itaque, quæ
eſt initium regni Seon, interpretatur, ma-
ledictiones eorum. Omnis enim mundus, qui ante
Saluatoris aduentum ſub diaboli premebatur im-
perio, maledictionis habebat originem, quia be-
nedictionis ignorabat Auctorem; de quo nimirum
per Prophetam dicitur: *Benedictionem dabit qui le-
Pſal. 83. gem dedit.* Vnde & Apoſtolus ait: *Quicumque enim* E
Gal. 3. *ex operibus legis ſunt*, *ſub maledicto ſunt.* An non ma-
ledictionis habebamus initium, de quibus dicitur:
Epheſ. 2. *Eramus*, inquit, *natura filij iræ*, *ſicut & cæteri.* Finis au-
tem regni illius eſt Laboch, quod interpretatur,
luctamen. Neceſſe eſt enim omnes, qui volunt
exire de regno diaboli, & eius fines euadere, ten-
tationum ingruentium certamina tolerare. Quod
ſi quiſquam legitimè certauerit, & viriliter oblu-
ctatus euicerit, iam non erit Laboch ciuitas Seon,
ſed ciuitas Iſraël; non ſcilicet, qui in carne ſit Iſ-
raël, nec in manifeſto Iudæus: ſed qui in Chriſto ſit
Iſraël, circumciſus corde, non carne.

CAPVT XII.

In Epiſtola ad V. Epiſcopum, & eius Canonicos, de quinque ſenſibus corporis cohibendis.

PRæcipua quidem vrbs regni Seon vocatur
Eſebon, quæ nimirum cogitationes inter-
pretatur. Per quod datur intelligi, quia ma-
xima pars diabolicæ poteſtatis in cogitationi-
bus regnat. Per Seon quippe nequitiæ ſpiritus
figuratur; ſed Eſebon ex ditione Seon in Iſraë-
litarum iura transfertur, cum cogitatio noſtra,
quæ ſuperbiæ peſte tumuerat, ad reprehenſio-
nis ſuæ iudicium, per gratiam ſe veræ humilita-
tis inclinat, vt quæ ſe dudum arroganter extule-
rat, iam ſua facta diiudicans, ac diligenter exa-
minans, humiliter reprehendit. In Cades ergo,
qui eſt fons iudicij, Amalechitas, & Amorrhæos
gladio vorante deiicimus; quia tunc vitiorum
omnium barbariem ſternimus, tunc poteſtates
aëreas inuictiſſimè debellamus, ſi & innocen-
ter viuimus, & tamen reos nos, ac peccatis
obnoxios iudicamus, dicentes cum Apoſtolo: *Si
1. Ioan. 1. dixerimus quia peccatum non habemus*, *noſmetipſos
ſeducimus*, *& veritas in nobis non eſt.* Et tunc E-
ſebon; quam cogitationes interpretari diximus,
in Iſraëlitarum cogitur tranſire dominium: cùm
mens noſtra de ſuperbia, vel omni terrena con-
cupiſcentia transfertur in amorem regni cœlo-
rum. Cogitationum quippe certamen numquam
C Chriſti poteſt deeſſe militibus, quoniam operis
noſtri nos rectitudo non liberat, ſi prauis ſuis
cogitationibus mens armata virtutibus non re-
ſultat. Sufficiebat quidem legis antiquæ culto-
ribus, vt recta dumtaxat extrinſecus agerent:
nobis autem Euangelio terribiliter intonante
præcipitur, vt dum operibus prauis exuimur,
etiam cogitationibus peruigiles obluctemur. *Au-* Matt. 5.
diſtis, inquit, *quia dictum eſt antiquis*: *Non mœ-
chaberis. Ego autem dico vobis*, *quia quicumque vi-
derit mulierem ad concupiſcendum eam*, *iam mœ-
chatus eſt eam in corde ſuo.* Hinc eſt, quod Ioan-
nes Baptiſta, per quem lex vetus exprimitur, Matt. 3.
D zonam pelliceam in lumbis habuiſſe perhibe-
tur. Saluator noſter, qui auctor eſt Euangelij,
inter ſeptem candelabra aurea viſus eſt à Ioan-
ne, veſtitus podere, & præcinctus ad mamil- Apoc. 1.
lam zona aurea. Quid eſt ergo zona pellicea
circa lumbos, niſi quod antiquis dictum eſt: *Non
mœchaberis*? Et quid eſt zona aurea ad mamillam,
niſi quod Chriſtianæ fidei cultoribus dicitur:
Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, *iam
mœchatus eſt eam in corde ſuo*? Hinc etiam per
Prophetam diuina voce præcipitur: *Laua Hie-* Hier. 4. & 8.
ruſalem à malitia cor tuum; *vſquequo morabuntur in
te cogitationes noxiæ*? Et alibi: *Attendi*, inquit, *&
auſcultaui*, *nemo quod bonum eſt*, *loquitur.* Et Salo- Sap. 4.
E mon ait: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*,
& auferet ſe à cogitationibus, *quæ ſunt ſine intellectu.*
Arripiamus ergo gladium ſpiritus, & contra cogi-
tationum nos infeſtantium cuneos infœderabiliter
dimicemus.

In eadem Epistola.

CAPVT XIII.

CVm Israeliticus ille populus initiatus esset Beelphe-
Num. 23. gor in deserto, & in scorta Moab turpiter cornmis-
set, iratus furore Dominus aduersus Israël dixit ad Moy-
sen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos in pa-
tibulis contra solem, vt auertatur furor meus ab Israel.
Quid est, quòd populus in luxuriæ voraginem la-
bitur, & in eorum Præpositos vindicatur? Subditi
delinquunt, & Principes in patibulis suspenduntur?
Scilicet alius est qui peccat, alius ille qui vapulat.
Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in Præposi-
torum redūdat opprobrium; & quod ab ouibus er-
ratur, negligentiæ Pastoris adscribitur? Et vide
quàm formidolosa sit conditio præsidentium, vt
non modò pro suis, sed & pro subditorum punian-
tur offensis. Arguit eos Moyses, quia lex Dei ne-
gligentiæ illos ac torporis accusat. Qui suspendit
eos ad solem, quoniam ad examinandum producun-
Ioan. 3. tur, & arguuntur à luce. *Omnis enim*, vt Dominus
ait, *qui mala agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt
non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit
ad lucem.* Ad lucem quippe venit, qui occulta sua
per puræ confessionis aditum pandit.

CAPVT XIV.

*In Epistola ad Albertum, in qua de mansionibus
Israëlitarum scribit.*

Num. 16. HIc est numerus filiorum, qui descriptus est à Moyse,
& Eleazaro Sacerdote: inter quos nullus fuit eorum,
qui antea numerati sunt à Moyse, & Aaron in monte
Sinai. Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur
in solitudine. Quibus videlicet historiæ verbis pa-
tenter ostenditur, quia cæteris in deserto prostratis,
ad repromissionis terram Leui Tribus incolumis,
& illibata peruenit. Quisquis ergo se potuerit in
Sacerdotum, vel Leuitarum ordine constituere,
quisquis noluerit cum reliquis hominibus in terra
sortem hæreditariæ portionis acquirere, sed solùm
cum tribu Leui contentus sit Dominum possidere,
iste profectò in huius mundi deserto non moritur,
sed terram repromissionis ingredi viuus, & incolu-
mis promeretur. Qui ad promissiones ergo Patrum
peruenire desiderat, hæreditatis in terra funicu-
lum cum Tribu Leui possidere contemnat. Nam
qui se pro terrenis in terram deiicit, qui sese vbi
cum amaritudine Pascha cebrandum est, ac velo-
citer transeundum, diutius gaudere confidit: *Ani-
ma*, inquiens, *habes multa bona reposita in annos multos;
requiesce, comede, bibe, epulare*; non sine causa mere-
tur audire: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te;
quæ autem parasti, cuius erunt?* Hic itaque non die,
sed nocte perimitur, sicut primogenita Ægyptio-
rum. Nimirum qui non spreuit Ægyptum, sed ob-
sequium præbuit rectoribus tenebrarum, qui &
ipsi nocte animam eius repetunt, quoniam odiuit
lucem, nec iustitiæ consecutus est veritatem.

CAPVT XV.

*In Epistola ad V. Episcopum, & eius Canonicos, quæ est
de quinque sensibus corporis cohibendis.*

QVisquis per iniunctæ prædicationis offi-
cium ad pugnandum alios incitat, sed ipse
non pugnat, illi similis est, qui buccinæ clango-
A ribus obstrepit, sed congredi cominus non præsu-
mit. Hic itaque non virilem generat sexum, dum
sit pater ignauus. Quero profectò Salphaath ille
signauit, qui non filium, sed quinque filias mo-
riés dereliquit. Salphaath siquidem interpretatur, Num. 27.
vmbra in ore eius. Quisquis enim fortia prædicat,
& eneruiter viuit, ne turpis appareat, quasi sub fo-
liis se honesti sermonis occultat: sum vmbra se
proprij sermonis abscondit abscōdit, dum in cam-
pum certaminis per sui torporis ignauiam non
procedit. Hic itaque quantum ad sexum virilē, sed
muliebrem sobolem, & hanc sub quinario numero
generat, dum sequaces suos non ad robur spiri-
tualis audaciæ, sed ad otium educat ignobilis vi-
tæ. Quos vtique dum non curat industria spiritua-
lis pugnæ imbuere, cogit exterioribus negotiis
B quasi quinque corporis sensibus deseruire.

CAPVT XVI.

*In Epistola ad V. Episcopum & suos Canonicos; quæ est de
octo festiuitatibus veteris Testamenti.*

OCto præcipuas sollemnitates per vnum-
quemque anni circulum in Lege veteri
Dominus instituisse legitur. Quæ profectò fe-
stiuitates & nobis sunt & illis pro temporum
diuersitate communes, Illorum quippe sunt per
carnalis obseruantiæ ritum: nostræ quoque ni-
hilominus sunt per spiritualis intelligentiæ sacra-
C mentum.
Prima siquidem eorum festiuitas est iuge sa- Num. 28.
crificium, quod vtique per continuos dies, ma- & 29.
tutinis, ac vespertinis horis iubetur offerri. Ille
nimirum iugis sacrificij solemnitatem Domino
celebrat, qui in cælestis eloquij meditationibus
assiduè perseuerat. Et quia mane lucis nostræ
Lex est & Prophetæ; vesperum autem lucis hu-
ius, quantum ad ordinem temporum, Euangelium
est; sicut dicit Apostolus: *Nos, in quos fines sæcu-* 1. Cor. 10.
lorum deuenerunt. Et ipse Dauid: *Eleuatio manuum* Psal. 141.
mearum sacrificium vespertinum. Matutinum sem-
per & vespertinum offert Domino sacrificium,
qui semetipsum à sæcularibus negotiis mactans,
D versatur assiduè in nouarum ac veterum medi-
tationibus Scripturarum: Siue matutinum, ac ve-
spertinum Domino sacrificium iugiter immola-
mus, cùm & dignas ei gratiarum actiones de no-
stra redemptione referimus, eiúsque terribile indi-
cium formidantes, iam quasi tribunalibus præsi-
denti trementes adstamus.
Post iuge verò sacrificium Sabbatum ponitur,
videlicet, vt ab omni operis seruilis executione
vacetur. Christiano verò spirituale Sabbatum
agere, est à laboriosa rerum temporalium cu-
piditate quiescere, solis orationem ac lectionum
studiis insudare, sæcularium negotiorum pon-
E dus de mentis ceruice proiicere, ad contem-
planda cælestia, tota cordis intentione vacare;
carnis oblectamenta contemnere, de sola spe
cælestium spirituali iucunditate gaudere. De
hoc enim dicit Apostolus; *Relinquetur ergo Sabba-* Hebr. 4.
tismus populo Dei. Ille porro Sabbatum Domini
veraciter celebrat, qui sic ab his, quæ mundi
sunt, operibus vacat, vt à spiritualibus tamen
actibus non quiescat. Vnde Veritas ait: *Aut non* Matt. 12.
legistis, quia sacerdotes in templo Sabbatum violant, & Ioan. 8.
sine crimine sunt? Qui ergo ab actionum sæcula-
rium laboribus cessat, & diuinæ seruitutis ope-
ribus vacat; ille Christianæ religionis Sabbatum
celebrat. Iste non seruile opus facit, quia se à

peccati perpetratione custodit. *Qui enim facit* A
peccatum, seruus est peccati. Iste non in domo sua
ignem accendit; quia omnes vitiorum fomites,
& iræ, & simultatis igniculos ex domicilio suæ
mentis extinguit, ab illo cauens igne, de quo
scriptum est: *Ite in lumine ignis vestri, & in flam-*
ma quam accendistis. Hic denique pondus in
via non portat, quoniam incuruantium se ini-
quitatum ruderibus cor per pœnitentiam leni-
Psal. 37. gat. De quibus per Prophetam dicitur: *Quoniam*
iniquitates meæ superposuerunt caput meum, & sicut
onus graue grauatæ sunt super me, Et paulò post:
Ibid. *Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque.* Iste
præterea in loco suo residens, longiùs non pro-
cedit, quia Christum sibi fundamentum ponit,
in quo scilicet firmissimum suæ quietis habita-
culum construit. Ipse quippe locus est, de quo B
Psal. 101. scriptum est: *Filij seruorum tuorum habitabunt ibi.*
Ipse fundamentum, de quo dicitur: Quia, *Fun-*
1. Cor. 3. *damentum aliud nemo potest ponere præter id, quod posi-*
tum est Christum Iesum.

Tertia verò festiuitas est Neomeniæ, id est,
nouæ Lunæ. Tunc autem innouari Luna dicitur,
cùm Soli coniungitur, & ab eo ad concipien-
dum splendorem velut amissi luminis reparetur.
Sol iustitiæ Christus. Luna autem primò sancta
vniuersalis Ecclesia, deinde quæque fidelis est
Matth. vlt. anima, eius, qui splendor est gloriæ, & figura
Hebr. 1. substantiæ radiis illustrata. Cùm ergo sancta
quælibet anima Redemptori suo veraciter in C
amore coniungitur, cùm ei denique velut in
sponsali thalamo per oblectationis intimæ glu-
tinum copulatur, tunc proculdubio solemnita-
tem Neomeniæ celebrat, dum reformatam se à
superno lumine fratrum suorum aspectibus re-
præsentat, sicut dicit Apostolus: *Qui adhæret Do-*
1. Cor. 6. *mino, vnus spiritus est.* Nam si in his omnibus solùm
exterior ille solemnitatum ritus accipitur, non
jam ex his vtilitatis aliquid nobis videtur posse
conferri, sed superstitiosa potius exigent, ac
friuola iudicari. Hinc est quod Apostolus ait:
Coloss. 2. *Nemo diiudicet vos in cibo, aut potu, aut in parte diei fe-*
sti, aut Neomenia, aut in Sabbato, quæ sunt vmbra futu-
rorum. Quod ergo tunc erat vmbra futurorum D
Iudæo, tunc est exhibitio præsentium Christia-
no: & quod illis datum est sub exterioribus cæ-
remoniis, nobis factum est instrumentum intel-
ligentiæ spiritualis. Tunc enim Neomeniam, hoc
est, nouæ Lunæ colimus ortum, cum veterem de-
ponimus hominem, & sanctæ conuersationis in-
duimus nouitatem.

Quarto loco Paschalis apud illos festiuitas
ponitur, in qua nunc apud nos Agnus ille, *Qui*
Ioan. 1. *tollit peccata mundi*, pro totius sæculi salute ma-
1. Cor. 5. ctatur. Nam *Pascha nostrum immolatus est Christus.*
Huic continuatur festiuitas, quæ dicitur Azy-
morum, in qua præcipitur, vt à cunctis domibus E
abiiciatur omne fermentum: quam vtique fe-
stiuitatem, quæ videlicet vnà cum Pascha di-
cenda est, nos veraciter celebramus, si fermen-
tum malitiæ & nequitiæ de tabernaculo nostri
cordis abiicimus, & sinceritatis ac veritatis azy-
ma custodimus. Cauendum est ergo ne sit in
mentibus nostris adumbratio fuci, corruptela
fermenti, cauerna mendacij, sed potius in domo
nostri pectoris vigeat & puritatis integritas, & so-
liditas veritatis.

Post hanc, illa festiuitas sequitur, quæ dicitur
Nouorum, cùm primitiæ scilicet de nouis fru-
gibus offeruntur. Dùm enim ad maturitatem
segetum peruenitur, tunc in perfectione bono-
rum fructuum auctori bonorum Deo festiuitas
agitur. Nos quoque Nouorum sollemnia geri-
mus, si priùs agrum nostri cordis disciplinæ vo-
mere proscindentes, virtutum germina spargi-
mus, vt boni postmodum operis frumenta me- Hier. 4.
tamus. Vnde per Prophetam dicitur: *Nouate vobis* Eccl. 20.
nouale, & nolite serere spicas. De bono scilicet
agricola Salomon ait: *Qui operatur terram suam*
inaltabit aceruum frugum, & qui operatur iustitiam,
ipse exaltabitur. De negligenti quoque operario
idem dicit: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vi-* Prou. 24.
neam viri stulti, & ecce totum repleuerunt vrticæ: ope-
ruerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum de-
structa erat. Et iterum. *Præpara, inquit, foris opus tuũ,* Ibid.
& diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domũ
tuam. Sed quisquis interiorem hominem suum de
die in diem; secundùm Apostoli sententiam, re-
nouat; quisquis cor suum diuini terroris ligo-
nibus sulcat, iste non super spinas, sed super
Noualia seminat, vt centesimi prouentus sege-
tem metat. Vnde dicit Apostolus: *Quia qui semi-*
nat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Qui Galat. 5. & 6.
verò fructus & in hac vita de spiritu colligantur,
idem alibi diligenter enumerat dicens: *Fructus*
autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia,
longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides,
modestia, continentia, castitas Quisquis igitur hos
fructus intra suæ mentis horreum colligit, hic pro-
culdubio sollemnitatem Nouorum salubriter
colit,

Deinde sequitur festiuitas mensis septimi, quæ
dicitur Clangoris, siue Tubarum. Sic enim in-
ter dies, septimus quisque dicitur Sabbatum; ita
nihilominus & inter menses, qui septimus est,
dicitur Sabbatum mensium, vt etiam Sabba-
tum Sabbatorum. Quis est autem clangor ille tu-
barum, cui debeamus annua festa persoluere, nisi
Euangelica simul & Apostolica doctrina, quæ
tanquam cæleste tonitruum, ac terribilis bucci-
na nos ad procinctum spiritualis militiæ prouo-
cat; atque vt pro castris Imperatoris æterni con-
tra nequitiæ spiritus infœderabiliter dimicemus,
instigat? Quis est ergo, qui tubarum, siue clan-
goris festum legitimè celebret, nisi qui Scripturas
veteris ac noui Testamenti studet in armario suæ
mentis includere, ac præcepta cælestia tenaci
semper memoriæ commendare? Hæc itaque fe-
sta celebrantibus ritè per Prophetam dicitur:
Canite initio mensis tuba, in die insigni sollemnita- Psal. 80.
tis vestræ.

Post hanc est & illa festiuitas, quæ celebratur
decima die mensis septimi; in qua videlicet ani-
mas suas Iudæi præcipiuntur affligere. Nos etiam
hanc ritè sollemnitatem colimus, cùm carnem
nostram maceratione castigamus inediæ, cùm
nosmetipsos reprimimus sub arctæ custodia di-
sciplinæ; cùm denique petulantes carnalium
passionum illecebras crucifigimus; cùm cor-
pus nostrum pro Domino laboribus & ærumnis
atterimus, cùm interiorem hominem per com-
punctionis, ac fletuum lamenta mactamus.
Hanc igitur nobis hoc modo festiuitatem ce-
lebrantibus, repropitiatur ille, quem propo-
suit Deus propitiatorem per fidem in sanguine
suo.

Octaua verò, quæ & vltima sollemnitas est,
dicitur Scenophegia, hoc est, tabernaculorum,
quæ videlicet quintodecimo die eiusdem septi-
mi mensis incipit celebrari. Lætatur enim Deus
in te, cum te quasi peregrinum cernit & exu-
lem: & non in patriæ domibus, sed in exilij ta-
bernaculis

Hebr. 13. bernaculis conspicit habitantem. *Non enim hic* A. *habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Cum enim hic cernimus per molem corporis, habitamus autem in cœlo per studium intentionis; cum tamquam viatores quidam, & aduenæ per despectum mentis præsentia cuncta transcurrimus, ad supernam verò patriam anxiis desideriorum gradibus festinamus, tunc à nobis spiritualiter Scenophegia colitur, quæ dudum apud illos per legitimi ritus cærimonias carnaliter agebatur. Hæc porro festiuitas quintodecimo die septimi mensis incipit; & quia per octo dies colitur, decimo Kalendarum Octobris proculdubio terminatur. Dicitur enim Num. 29. in libro Numeri: *Quintadecima die mensis septimi, quæ vobis erit sancta & venerabilis, omne* B *opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus.* Et aliquanto Ibid. post subiicit: *Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis in eo.*

CAPVT XVII.

In Epistola ad V. Episcopum & eius Canonicos, de quinque sensibus corporis.

Num. 13. ARmate, inquit Moyses, *ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Cumque pugnassent contra Madianitas,* vt sacra narrat Historia, *atque vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum, Eui, & Recem, & Sur, & Bur, & Rebe, quinque Principes gentis.* C Eui, planè belluinus, siue ferinus interpretatur. Hunc itaque Regem in nobis spirituali mucrone transfigimus, cùm ferinos à nobis mores absciudimus; cùm bestialis iracundiæ rabiem a nostro pectore detruncamus. Nam cum Matth. 5. Dominus dicat: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, quomodo poteris mansuetorum obtinere beatitudinem, nisi belluini spiritus in te cohibeas feritatem? Recem verò, siue, sicut in veteri translatione dicitur, Rocon, interpretatur inanitas. Et quid est aliud quicquid in mundo pro mundi concupiscentia geritur, nisi Eccles. quod Scriptura loquitur: *Vanitas vanitatum &* D *omnia vanitas?* Vanitas siquidem efficit vanitates, & ipsæ vanitates faciunt vanitatem; dum & mundus, qui transitorius est, homines quos decipit, vanos efficiat: & homines mundum, quem insanè diligunt, in vanitatem vertant. Hunc ergo Regem Dei miles perimit, verus Israëlita concidit, si nil superfluè, nil inaniter, vel quod ad rem non pertinet, gerat: sed grauiter, & rationabiliter diuinæ legis implere mandata contendat. Tertius autem Madianitarum Rex, Sur dicitur; quod profectò murus, siue robustus, vel etiam angustia interpretatur. Quid verò per murum, siue robustum, nisi duræ mentis obstinatio, vel peruicacia debet E intelligi? Quod verò & angustia interpretari dicitur, neque hoc longius à vitio duritiæ separatur; quoniam quisquis ad dimittenda proximo debita durus & obstinatus est, angustia constringitur mentis, dum nulla dilatatur amplitudine charitatis. De qua nimirum charitate per Psal. 118. Prophetam dicitur: *Latum mandatum tuum nimis.* Siue etiam hoc valeat intelligi, quia duritiam mentis sequitur angustia damnationis. Vnde per Prou. 28. Salomonem dicitur: *Beatus vir, qui semper est pauidus; qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* Quartus præterea Madianitarum Rex, A. Bur dicitur, quod irritatio interpretatur. Vides ergo, quia nomina Regum vmbræ sunt, & imagines vitiorum. Qui enim onera grauia per portas suas inferunt, profectò forinsecus obstrepentia per sensuum suorum aditus in pectorum suorum arcana transfundunt, Deum indubitanter irritant, quem videlicet bis ad inferendam vltionis sententiam prouocant. Vnde scriptum est: Iob. 36. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei.* Et de quibus sæpè ad Ezechielem dicitur: *Quia do-* Ezech. 2. *mus exasperans est.* Et Psalmista: *Vt quid Deus* Psal. 73. *improperauit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem?* Rebe verò, qui ordinatus dicitur, non aliter hic procedit, nisi vt per ironiam, vel antiphrasim dictum intelligatur; quatenus qui B ordinatus dicitur, è contrario inordinatus sit & confusus. Vitiosus enim quisque, & si superficietenus quasi rectè viuendi prætendat ordinem, confusæ tamen & inordinatæ cogitationis versat in corde caliginem. Per quinque ergo Reges Madianitarum, quinque signantur corporis sensus; quia omne vitium, quod regnat in corpore, ab istis quinque sensibus corporis pendet. Ij ergo tunc à nobis extinguendi sunt, & gladiis obtruncandi, cùm aduersum nos in bellum consurgunt, cùm nos scandalizare non desinunt. An non istos Reges extingui, & spiritus mucrone occidi præcipit Dominus, cùm scandalizantem oculum eruì, cùm manum, vel pedem iubet abscindi? *Melius est*, inquit, *eum vno oculo, vel debilem ad vitam ingredi, quàm* Matth. 5. C *duos oculos, pedes ac manus habentem in inferna demergi.* Ij planè sunt Reges Madianitarum, Madian autem interpretatur, de iudicio. Quicumque enim Reges spiritu non reguntur, sed sensibus carnis obediunt, non ad misericordiam, sed ad iudicium se pertinere testantur. Sicut de quolibet incredulo dicitur: *Qui au-* Ioan. 3. *tem non credit, iam iudicatus est.* At contrà de eo, qui verbum Saluatoris audit, dicitur: *Quia in* Ioan. 5. *iudicium non venit, sed transit de morte in vitam.* Illud potius vnicuique studendum est, vt se in operibus sanctis exerceat, vt sese in omnibus purificare ac sanctificare contendat. Hoc D tantummodò semetipsum insuggillare, & diiudicare non desinat. Nam qui semetipsum perfectè diiudicat, iudicium non expectat. Perfectè autem semetipsum diiudicare est, & reprehendenda non agere, & quæ irreprehensibiliter acta sunt, timidè retractare. Porro autem quisquis hoc agit, ille verè Madianitarum Reges perimit: ille Amalechitarum Principes sternit, & omnes à se vitiorum pestes excludit.

CAPVT XVII.

In eadem Epistola.

E HInc est, quòd eadem sacra testatur historia: Quoniam *egressi filij Israël venerunt ad fontem iudicij, hoc est, Cades: & interfecerunt omnes principes Amalech, & Amorrhæos, qui habitabant in Tharansem* Cades autem, sanctificatio interpretatur. † Asason Thamar. In Cades ergo, qui fons est iudicij, Amalechitas simul & Amorrhæos spiritualiter interficimus, cùm & vitam nostram piis operibus sanctificare satagimus: & tamen ipsi nos tamquam nocentes, ac reprehensibiles iudicamus. Cùm elaboramus semper irreprehensibiliter viuere, per sollicitudinem tamen districtè exa-

minis opera nostra non desistimus excusare. Et notandum, quoniam & fons iudicij, & Cades, qui sanctificatio dicitur, vnus idemque locus est: qui nimirum iustus quisque semetipsum, dum sanctè viuit, accusat, & se diiudicando vel accusando, magis, magisque sanctificat. Hoc itaque modo vita sanctorum & in propriis cogitationibus reprehenditur, & tamen in operibus irreprehensibilibus inuenitur.

CAPVT XIX.

In Epistola ad Albertum.

Ad Epist. 7 ad Hildebrand. l. 2. Num. 33.

IN *quadraginta duabus mansionibus peruenerunt filij Israel vsque ad principium capiendæ hæreditatis.* Principium verò capiendæ hæreditatis fuit, vbi Rubeo. & Gad, & dimidia tribus Manasse, accipiunt terram Galaad in possessionem. Porro autem sicut illi ascenderunt per quadraginta duas mansiones, ita Saluator noster in Ægyptum mundi huius descendit per totidem [illegible]. Quod si iam intelligimus quantum sacramenti numerus iste contineat, humanæ scilicet ascensionis, & diuinæ descensionis, incipiamus iam per ea, quæ descendit Christus, ascendere; & primam eam nobis mansionem, quam ipse nouissimam habuit, ædificare. Si quis enim ad nos per loca quælibet veniat, vt mox rediens per loca nos C eadem ducat, vbi definit ille, nos iter incipimus, & vbi ille cœperat, nos finimus. Prima scilicet generatio Christi cœpit ab Abraham; vltima verò velut postrema mansio terminauit in Virginem. Et quoniam Abraham interpretatur, pater excelsus, nos hoc iter incipimus à Virginis partu, vt peragrantes sequentia deinceps mansionum loca, postremò ad Deum, Patrem videlicet, perueniamus excelsum. Partus ergo Virginis nobis ex Ægypto exire volentibus in primis occurrit, cùm Verbum Dei carnem factum in hunc mundum venisse credentes, relictis omnibus caducis & transitoriis, in illo loco requiescimus, in illo nostræ quie- D tis, & spei habitaculum collocamus. Post hæc iam si perficere, & ad singulos quosque fidei & virtutum gradus ascendere nitimur, tamdiu debemus immorari, donec valeant virtutes in consuetudinem verti. Et tunc non quasi transcurrere spiritualis vitæ deserta conspicimur, sed mansiones facere, vel etiam habitare in ipsis virtutum profectibus iudicamur. Nam qui bonum opus non perseueraturus incipit, quasi viam properando transcurrit: qui verò in ea, quam semel arripuit, permanet sanctitate, ibi quodammodo ædificat mansionem. Et notandum, quia cùm ire, & manere, ac per hoc iter, & mansio à se sint penitus disso- E na, nec sibimet inuicem congruant, vtrumque tamen in illo Israëlitico procinctu conuenisse Scriptura confirmat, vt illi per desertum & iter habuisse dicantur, & mansiones. Quia nimirum nos, qui terram viuentium intrare contendimus, & manere debemus per fixum professionis nostræ propositum, & ire semper per meliorandæ conuersationis, & cumulandi profectus augmentum.

I. Mansio. In primis ergo proficiscuntur filij Israël de Ramese. Ramese, sicut nonnullis videtur, in nostra lingua commotio turbida, vel commotio tineæ dicitur. In quo datur intelligi, quòd om- A nia, quæ mundi sunt, in commotionibus, & perturbationibus constituta, & corruptelæ, quam tinea designat, probantur obnoxia. In quibus vtique non oportet animam residere, sed incunctanter exire. Quidam verò Ramese interpretari commotionem, vel tonitruum putauerunt. Quod vtique nobis aptari non incongruè poterit, quia dum ad prædicationem Euangelicæ tubæ commoti fuerimus, velut ad tonitruum cœlestium nubium excitati, ex Ægypto mundi huius eximus. Exierunt autem illi mense primo, quintadecima luna, in ipso scilicet plenilunio, ac veris exordio. Et nos cùm summæ lucis radiis illustramur, cùm in nobis bonæ voluntatis B flores erumpunt, cùm omnia renouantur, tum prata denique nostrorum cordium superni solis fomite recalescunt, tunc ex Ægypti tenebris egredi festinamus.

II. Mansio. Secunda mansio fit in Sochot. Sochot autem interpretatur, Tabernacula. Primus igitur animæ profectus est, vt à terrenis se commotionibus diuidat, sibique tamquam peregrinæ, & incolæ non habitaculum figat, sed exilij tabernaculum struat, lugens cum Propheta. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* Psal. 119.

III. Mansio. Deinde veniunt in Ethan, siue, vt septuaginta Interpretes dicunt, Buthan, quæ est in extremis finibus solitudinis. Ethan, fortitudinem C sonat. Qui ergo iam pro Deo peregrinantur in mundo, qui se incolas & exules recognoscunt, necesse est, vt quantò magis se præbent in terrenis actibus debiles, tantò sint in humilitate, ac patientia fortiores. Buthan autem, vallis interpretatur, quod ab eodem sensu nequaquam discrepat. Oportet enim, vt quisquis ad terram viuentium properat, ad perferenda tentationum iacula, in humilitatis, & patientiæ conualle persistat.

IV. Mansio. Inde profecti sunt in Phiairoth, quæ respicit Beelphegor, & castrametati sunt ante Magdalum. Phiairoth interpretari dicitur, os nobilium, per quod exprimitur lingua Doctorum. In conualle quippe patientiæ constitutus, quò D grauius vel persecutionum, vel carnalium tentationum flagellis atteritur, eò magis necesse est, vt ei ab ore nobilium, idest, à sanctorum Doctorum exhortationibus succurratur. Si verò non Phiairoth, sed Osirath, proferendum est, vt alia testatur editio, sciendum est, quod Irath, vicus interpretatur. Ad hos ergo, hoc est, ad primum vici huius venitur ingressum; quod significat nouæ conuersationis initium. Vnde non ad vrbem, sed ad vicum veniunt; quia necesse est, vt nouitij quique interim se intra suburbanæ vitæ cohibeant modum, nec præcipitanter adhuc audeant senatoriæ perfectionis E attentare fastigium. Vnde benè dicitur, quoniam Airoth respicit Beelsephon. Beelsephon siquidem interpretatur, ascensio speculæ, siue turris. A paruis enim ad magna conscenditur. Non enim hæc mansio fuit in ipsa specula, sed respiciebat speculum. Quia nouitius quisque, & si ad speculatiuam vitam iam per desiderium tendat, necdum tamen ad speculatiuæ perfectionis culmen aspirat. Quamobrem illic aptè subiungitur: *Et castrametati sunt ante Magdalum.* Magdalus, magnificentia dicitur. Nouiter enim quis ad Dei seruitium veniens, ascensionem speculæ, & magnificentiam iam quidem in conspectu suo per intentionem tenet, sed per effectum

virtutis nondum possidet. Quia licet spe contemplationis, & perfectionis iam pacatur, & Patriatur, necdum tamen consummatæ munditiæ, vel supernæ gratiæ nitore perfruitur. Vt si Beelsephon interpretatur, Dominus Aquilonis, sicut à quibusdam dicitur, quid per hunc Aquilonis dominum, nisi antiquus hostis exprimitur, qui frigidis & ab amore Dei alienis cordibus principatur? Ante hunc ergo, id est, contra hunc castrametamur, cùm aduersus eum insœderabili dimicatione confligimus. A

V. Mans. Inde profecti per mare rubrum venerunt in Mara, quæ interpretatur, amaritudo. Rectus scilicet ordo est, vt qui ad terram properant melle manantem, in deserto vitæ huius, laboris, B & tentationis amaritudinem hauriant: & per disciplinæ præsentis asperitatem perueniant ad remunerationis internæ dulcedinem. Vnde dicit Apostolus: *Omnis*, inquit, *disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris: post autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*. (Hebr. 12.) In procinctu siquidem spiritualis militiæ constitutis, modò amara dulcibus, modò dulcia miscentur amaris; vt per hæc experiatur humana conditio, & quid à se patiatur infirmitatis, & quid à Deo debeat sperare virtutis. Sicut eidem populo dicitur: *Afflixi te, & cibaui te manna in deserto, quod nesciebant patres tui, donec dignosceretur quod esset in corde tuo.* (Deut. 8.)

VI. Mansio. Vnde sequitur: Qui profecti de Mara venerunt in Elim, vbi duodecim erant fontes aquarum, & septuaginta palmæ. C Vides post tentationis amaritudinem, ad quantam deueniunt & dulcium pomorum, & aquarum profluentium amœnitatem. Per tentationis itaque pugnam, perducuntur ad palmas, & per sitis intolerandæ penuriam, ad irriguam veniunt aquarum viuentium affluentiam. Animarum quippe medicus omnipotens Deus sic omnia ordinatè dispensat; vt tamquam melle pigmentis infuso, & tristibus læta, & lætis tristia misceat: quatenus mens infirma, & aliquando percussa, numquam de prosperitate superbiat; & aliquando tesota, in aduersitatibus non succumbat. Elim præterea interpretatur, arietes, qui nimirum D sunt gregum sequentium duces. Qui verò sunt duces rationalis gregis, hoc est, populi Christiani, nisi sancti Apostoli? Hi nimirum sunt duodecim fontes, ariditatem mentium doctrinæ cælestis fluoribus irrigantes. Verùm quia non illos duodecim dumtaxat Apostolos Saluator noster elegit, sed & alios septuaginta constituit, idcirco non solùm duodecim fontes, sed & septuaginta describuntur illic arbores fuisse palmarum. Nam & ipsi Apostoli nominantur, sicut & in B. Pauli verbis agnoscitur. Cum enim de resurrectione Saluatoris ageret: *Visus est*, inquit, *Cephæ, & post hæc illis vndecim; deinde apparuit Apostolis omnibus*. (2. Cor. 15.) Ex quibus verbis manifestè colligitur, quòd præter illos duodecim, & alij discipuli non inconuenienter Apostoli nominentur. E

VII. Mansio. Sed egressi de Elim, iuxta mare rubrum fixêre tentoria. Nota, quia non mare rursus ingrediuntur, sed iuxta mare tabernaculum figunt: vt mare tantùm, & procellarum cumulos procul aspiciant, nequaquam tamen motus eius, aut impetus pertimescant. Nos etiam post tentationum fluctus, post vndisoni maris formidolosa naufragia, eadem sæpè mala, quæ pertulimus, ante oculos ponimus; vt iam velut in littore constituti, dignas ereptori nostro Deo gratias referemus.

XIII. Mansio. Profecti quoque de mari rubro, applicuerunt in desertum Sin. Sin interpretatur, rubus, siue tentatio. Incipit ergo Christiano militi iam prosperitatis spes arridere, & collocutionis diuinæ verba promittere. De rubo siquidem Dominus apparuit, & Moysi ad filios Israël perferre mandata præcepit. (Exod. 13.) Illic ergo tibi datur sperandæ clementiæ signum, vbi factum est Israëliticæ visitationis initium. Sed non otiosè Sin, etiam tentatio dicitur. Solet enim sæpius & in visionibus interuenire tentatio, dum nonnunquam spiritus iniquitatis transfigurat se in Angelum lucis. (2. Cor. 11.) Et ideo subtiliter est agendum, vt discernantur genera visionum. Sicut & Iesu Naue cùm Angelum cerneret, & tentationes aliquando huiusmodi visionibus inesse nullatenus dubitaret, protinus ab eo, qui apparebat, requisiuit, dicens: *Noster es, an aduersariorum?* (Ios. 5.) Nam & per Apostolum discretio spirituum inter dona sancti Spiritus enumeratur. (1. Cor. 12.) Quòd autem Sin etiam odium interpretari dicitur, neque hoc quidem à spirituali exorbitat intellectu. Quisquis enim peruenit ad visionem, vel allocutionem Dei, confestim concipit odium mundi.

IX. Mansio. Sed & inde progressi venerunt in Depheca, siue, vt alia translatio perhibet, Raphaca. Depheca, denique pulsatio dicitur. Et nos postquam pertingimus ad Ecclesiam, quam videlicet rubus ille significat, vbi Dei meretur homo colloquium, vbi visio conspicitur Angelorum, tunc incipimus petere, quærere ac regni cælestis arcana pulsare; Domino præcipiente, & pollicente, qui ait: *Pulsate, & aperietur vobis.* (Exod. 8.) (Matt. 7.) (Luc. 11.) Si vero Raphaca quis malit admittere, quæ sanitas dicitur; hoc nomen animæ iam dudum languidæ, sed iam per donum sanctæ Ecclesiæ languoris nexibus absolutæ conuenienter aptatur. Hæc est enim anima cui dicitur: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius.* (Psal. 102.) Quem, quæso, Dominum? *Qui sanat*, inquit, *omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam.* (Ibid.) Languor scilicet animæ, vitia sunt; mors animæ, peccata criminalia sunt. *Peccatum enim cùm consummatum fuerit, generat mortem.* (Iacob. 1.)

X. Mansio. Deinde veniunt in Halus. Halus interpretatur, labores, siue fermentum. Et certè sanitatem labores sequuntur; quoniam ad nil aliud sanitatem secta anima debet concupiscere, nisi vt labores pro Deo valeat pressurasque perferre. Ideo nempe socrus Petri de febre conualuit, vt Domino per sedulitatis obsequium ministraret. (Matth. 8.) Ideo per Ananiam sanatus est Paulus, vt continuis postmodum laboribus insudaret. Hinc est, quòd eidem Ananiæ de illo dictum: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* (Act. 9.) Quòd autem Halus etiam fermentum interpretari dicitur, & hinc nobis congruæ significationis intellectus offertur. Hoc est enim fermentum illud, quod tollens mulier commiscuit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum, id est, sanctum Euangelium. (Matth. 13.) In hac siquidem solitudine populus murmurauit, & manna simul & coturnices accepit. Et cum non modò fermentum, sed & manna, sacrum significet euangelium,

A nito modo hæc simul in decima mansione conueniunt, vt post legis præmissæ decalogum, panis Euangelij succedere videatur.

XI. Mansio. Post hæc veniunt in Raphidin. Interpretatur itaque Raphidin, laus iudicij. Et certè satis congruit, vt & labor antecedat laudem, & laus proueniat post laborem. Verùm non cuiuscumque rei, sed laus iudicij, videlicet de rationis iudicio prodeat; non laus, quæ de superbiæ vanitate procedat.
1. Cor. 2. *Spiritualis enim homo iudicat omnia, & à nemine iudicatur.* Reperiuntur & aliæ horum nominum interpretationes; Sed si cuncta, quæ nobis in hac materia suggeruntur, amplectimur, iam non seruabitur epistolaris ordo compendij, sed onerosi consurget enormitas libri. Israëlitatum ergo mansiones succinctè transcurrimus, non vt earum B scrutemur arcana cubicula, sed vt in earum nominibus, tamquam exteriora parietum, simpliciter ostendamus.

XII. Mansio. Deinde veniunt in desertum Sinai. Sin quam superius diximus, & Sinai, vnum non ambigitur esse desertum: Sed Sin dicitur ipsa planities: Sinai verò, mons est in eadem supereminens solitudine. In quo nimirum Dominus legis edi-
Exod. 24. 25. & 26. cta promulgat, & Moyses Tabernaculum fabricat. Et hoc aptissimè congruit, vt postquam rationabilis anima rectum, ac per hoc laudabile cœperit habere iudicium, tunc in se Deo suo construat tabernaculum, & digna iam Creatoris alloquio cælestium percipiat mysteria mandatorum.

XIII. Mansio. Post hæc profecti sunt ad sepulchra concupiscentiæ, vbi scilicet pulcher ordo contexitur. Nam cùm felix anima suo fit tabernaculum C Creatori, cùm mandatis diuinæ legis intenta iam cœperit cælestia contemplari, mox æstuantium vitiorum ardor extinguitur, & omnis carnalis illecebræ concupiscentia sepelitur; vt non iam caro se aduersus spiritum moueat, non aduersus carnem spiritus concupiscat.

XIV. Mansio. Inde transitur in Aseroth, quod interpretatur, atria perfecta, vel beatitudo. Et, ô quàm pulcher ordo mysterij, quàm decora series spiritualis incrementi! Vt postquam sepelieris concupiscentias carnis, præstò peruenias ad atrium perfectionis, & præmium beatitudinis. Felix anima, quæ nullis iam vitiis carnis vrgetur, quia mox ad beatitudinem percipiendæ remunerationis ingreditur.

XV. Mansio. Post hæc venerunt in Rethma, siue Pharam. Rethma, vt opinamur, interpretatur, visio consummata: Pharam verò, visibile os. In quibus quid aliud intelligitur, nisi vt sancta quælibet anima post sepultas iam carnis concupiscentias, perducta iam ad atrium perfectionis, secura de D præmio beatitudinis, ad consummatam mox Dei visionem veniat, eiusque visibile os, hoc est, præ-
1. Cor. 13. sentem Dei speciem cernat? *Nunc enim videmus eum*, sicut dicit Apostolus, *in speculo, & in ænigmate, tunc autem facile ad faciem: & nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Quæ tamen omnia, quia sancti quilibet in carne constituti, habere nequeunt pleniter in re, iam habent in spe; quam scilicet spem iam firmissimam tenent; quia Spiritum sanctum, qui eos in vitæ huius laboribus roborat, pignus habent. Vnde & illa interpretatio, qua Rethma, sonitus, siue iuniperus dicitur, non incongrua iudicatur. Ferunt enim lignum hoc ignem in se longo tempore conseruare, adeo vt si prunæ eius fuerint cineribus adopertæ, vsque ad annum ignitæ perueniant. Quia ergo Spiritus sanctus,
Sap. 1. sicut legitur, scientiam habet vocis: Et in Apo-
Act. 2. stolos missus est in specie ignis. Hæc interpretatio, qua Rethma sonitus, vel iuniperus dicitur, aptissime Spiritui sancto conuenire videtur.

XVI. Mansio. Hinc itaque digressi, castrametati sunt in Rhemon Phares: quod apud nos, excelsa intercisio dicitur Nam cùm animæ redeuntis ad Deum intellectus augetur, mox ei datur perfecta notitia, qua scilicet excelsè, atque sublimiter nouit & terrena à cælestibus intercidere, & caduca quælibet, ac transitoria à perpetuis separare. Si verò Rhemon Phares, vt alibi reperitur, mali punici diuisio dicitur, per hoc proculdubio sancta designatur Ecclesia, quæ tamquam multa grana vno cortice contegit, dum omnem credentium turbam inseparabili Catholicæ fidei vnitate concludit.

XVII. Mansio. Deinde transeunt in Lebna, quod interpretatur, dealbatio. Non autem ignoramus, dealbationem aliquando pro crimine poni, sicut dicuntur monumenta dealbata, & paries dealbatus; sed hîc illa dealbatio debet intelligi, de
Esai. 1. qua per Esaiam dicitur: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, vt lana alba erunt.* Et in Psal-
Psal. 67. mo: *Nive dealbabuntur in Selmon.* Et in Apoca-
Apoc. 1. lypsi: *Capilli Iesu tamquam lana albi referuntur.* Quapropter hic dealbatio conuenienter intelligitur de veræ lucis splendore prodire, & de summæ visionis claritate descendere. Quod si Lebna, vt quidam dicunt, in laterem vertitur, in quo videlicet opere Israëliticus in Ægypto populus coactus est laborare, hoc datur intelligi, quia sicut illi post tam sublimia loca rursus in laterem veniunt; ita nos, quamdiu in huius mundi deserto peregrinamur, necessitate compellimur aliquando à summis ad ima descendere, & à spiritalibus ad terrenæ actionis opera transmigrare.

XVIII. Mansio. Post hæc veniunt in Ressa, quod in frænos vertitur, & non incongruè. Si enim post perfectionis culmen ad opera lutulenta descendimus, disciplinæ nexibus, & pœnitentiæ loris infrænandi sumus, ne vagemur per abrupta præcipites, sed citò redeamus ad consuetæ munditiæ puritatem. Interpretatur etiam Ressa, visibilis, siue laudabilis tentatio. Quamuis enim mens cuiuslibet iusti viri iam ad alta proficiat, tentatione tamen adhuc in ima deprimitur, ne per tumorem superbiæ de virtutibus extollatur. Stimulus enim tentationis ad custodiam adhibetur humilitatis. Vn-
2. Cor. 12. de dicit Apostolus: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, vt me colaphizet.* Hæc ergo tentatio visibilis est, quia manifesta; laudabilis, quia salutifera.

XIX. Mansio. Inde progressi, veniunt in Ceelatha, quod interpretatur, Ecclesia; vt videlicet instabiles quique, qui se per vitiorum abrupta præcipitanter impellunt, sacræ Scripturæ frænis ad Ecclesiam retrahantur: Siue quod alia tenet editio, Machebat, quod est, principatus virgæ. Quod vtrumque potestatem videtur exprimere. Carni quippe qui tentatur, necesse est vt præsidens spiritus principetur; vt cum illa abjiciat pugnam, iste quasi desuper intentet minaciter virgam, dum rigidè terroris adhibet disciplinam.

XX. Mansio. Exinde venitur in montem Sepher, siue Sephar, quod tubicinatio appellatur. Tuba signum est belli. Equus enim Dei odoratur bellum, & cùm audierit buccinam, dicit, vah; Et miles Christi cùm se persenserit vitiorum ingruentium tentatione vallatum, virtutum protinus arma corripiens, procedit ad bellum: & cominus in bella congreditur, ne degeneri torpore solutus, ab aduersariis facilè perimatur; & tunc poterit gloriosiùs tuba canere, hoc est, ad spiritualia certamen & alios prouocare.

XXI. Mansio. Vnde illic dicitur: Quia inde profecti venerunt in Harada, siue quod alibi dicitur, in Charadath, quod in nostra lingua sonat, idoneus effectus; vt ipse nimirum iam Prædicator factus, meritò valeat cum Apostolo dicere: Quòd *idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.*

XXII. Mansio. Sed & inde proficiscentes, veniunt in Maceloth, quod interpretatur, ab initio. Quisquis enim ad perfectionis summam contendit, omnium rerum contemplatur initium, dum cuncta viscerum suorum vota conuertit ad Deum. Et dum cor ad auctorem suum iugiter dirigit, à rerum omnium initio non recedit. Vel, si Maceloth, vt quidam sentiunt, dicatur esse conuentus, per hoc Ecclesia intelligitur, in qua videlicet à cunctis fidelibus conuenitur. Vnde canitur: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Psal. 132.

C

XXIII. Mansio. Deinde venitur in Thaath, vel sicut alibi legitur, in Caath, quod est patientia, vel confirmatio. Quisquis enim desiderat terrarum viuentium per præsentis vitæ labores ingredi, necesse est eum ad toleranda mundi pericula per patientiam confirmari. Vel si Thaath, vt à quibusdam dicitur, vertitur in pauorem, dicatur vnicuique certanti, vel iam fortè per diuinam gratiam triumphanti: *Noli altum sapere, sed time.* Rom. 11.

XXIV. Mansio. Sed inde profecti, veniunt in Thare, quod Græcè quidem ecstasis interpretatur: in nostra verò lingua dicitur contemplatio. Consequens est enim, vt quisquis antea probatur per patientiam, proinde ad contemplationis perueniat gratiam: & qui prius in tribulatione deprimitur, postmodum ad visionis intimæ lætitiam sustollatur. Sin autem Thare, sicut quidam putant, astutia, vel malitia debet intelligi, hoc ad Ecclesiarum præpositos non immeritò videtur posse referri; vt ipsis suis auditoribus timeant, qui in tentationum tribulatione laborant. Astutia enim, & malitia illius cauenda est, de quo dicitur: Quoniam *aduersarius noster tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Pet. 5.

D

XXV. Mansio. Deinde procedunt in Methca, vel, sicut alibi legitur, Maathica, quod interpretatur, mors noua. Numquam tam perfectè diabulica canetur astutia, quàm si Christo commorimur; vt tamquam insensibiles ad hostis callidi tentamenta redeamus. Quam nouam mortem contemplatio parit; quæ scilicet & mundum nobis, & nos mundo mortuos efficit. Quòd si Methca, vt quibusdam placet, in dulcedinem vertitur; quid mirum si de contemplatione ad dulcedinem veniatur, cùm ipsa contemplatio nihil aliud sit, quàm inestabilis, & immensa dulcedo?

E

XXVI. Mansio. Post hæc venitur in Hesmona, quæ festinatio dicitur. Nam postquam pertingimus ad dulcedinem contemplationis, moram non fe-

A timus tarditatis. O quàm molestè moram patiebatur ille, qui dicebat: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, & liquefierent montes à facie tua!* Esai. 65. Quam grauiter hanc moram ferebat ille, qui dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo,* Philip. 1. multò magis meliùs. Sin autem à Senna dicatur, quod ossa significat, hoc ad robur constantiæ pertinet; quod necesse est, vt Christi amator habeat, ne per amorem nimium impatiens fiat.

XXVII. Mansio. Hinc iam transitur in Moseroth, quod significare putatur, excludens. Anima quippe, quæ ad perfectum Sponsi sui amorem peruenit, tentationes à se callidi corruptoris excludit. B Vnde & Apostolus: *Nolite,* inquit, *locum dare diabolo.* Ephes. 4. Quòd si Moseroth, iuxta quosdam, interpretatur vincula, sanus per omnia & congruus intellectus elucet. Nimirum sancta quælibet anima, quæ cælesti Sponso in amore coniungitur, necesse est vt ei assiduis Scripturarum meditationibus, quasi quibusdam vinculis insolubiliter connectatur. De quibus vinculis Christo per Esaiam dicitur: *Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt colligati vinculis.* Esai. 45.

XXVIII. Mansio. Vnde non immeritò iam venitur in Banaeim, quod significat fontes, vel excolationes, id est, vbi diuinarum Scripturarum fontes anima bibit, & excolat; hoc est, subtiliter tractat, ac ruminat. Excolat, inquam, cum illud Euangelicum seruat: *Vt ne vnus quidem apex, aut vnum iota de lege prætereat, quin omnia fiant.* Matth. 5. Si verò Bene Isacan, sicut quidam dicunt, transfertur in filios necessitatis, siue stridoris, hoc significat, quia quisquis diuinis eloquiis eruditus est, & affluenter instructus, necesse est vt post se & alios trahat, ac filios gignat: quibus nimirum dum fletus, & stridorem dentium minaciter obiicit, quodammodo necessitatem eis, vt ad Deum conuertantur, imponit. Ij sunt ergo filij necessitatis, vel stridoris, de quibus prophetìcè canitur: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Psal. 28.

XXIX. Mansio. Post hæc ascendunt in montem Gadgad, quod interpretatur, nuntius, vel accinctio, vel certè concisio. Quibus enim verba Dei annuntiamus, eos proculdubio commonere debemus, vt & se virtutum armis accingant, & inuisibilium hostium spiritualibus gladiis terga concidant. Quod cùm eos agere non segniter edocemur, cum eis simul ad montana conscendimus. Quòd si Gadgad, vt quidam putant, tentamenta significat; datur intelligi, quoniam his, qui ad cælestem patriam tendunt, tentationes deesse non possunt. Et sæpè tentatio virtutibus admiscetur, vt laborioso Christi militi merces vberior acquiratur.

XXX. Mansio. Et quia per mala tentationum ad præmiorum bona transitur, congruè sequitur: Quoniam inde profecti venerunt in Ietebatha, siue vt alibi legitur, Iatbatha, quod interpretatur, bonitas, siue bonum. Ergo per experimenta tentationum, ad bonitatem, quæ proculdubio Christus est, peruenitur.

XXXI. Mansio. Inde profecti sunt in Ebrona, quod transitus appellatur. Animo quippe transeunda sunt omnia, & in eum solùm debes obtutum mentis infigere, cum quo sine transitu valeas permanere.

XXXII. Mansio. Post hæc veniunt in Asiongaber, quod inter-

pretatur, consilia viri. Postquam enim nos in A
Christum omnino proijcimus, postquam in eum
omnem cordis nostri fiduciam collocamus, esse
pueri sensibus vlterius non debemus, imitantes
Apostolum, qui dicit: *Cum autem factus sum vir,*
2. Cor. 13. *euacuaui quæ erant paruuli.* Et iterum: *Nolite pueri*
1. Cor. 14. *effici sensibus.*

Sed quoniam qui apponit scientiam, apponit
XXXIII. Mansio. dolorem, iterum veniunt in desertum Sin, quæ
est Cades. Sin autem, tentationem interpretari
Psal. 67. iam iam superiùs diximus. Sicut enim vas au-
reum, vel argenteum sæpè malleus percutit, sæ-
pe lima hinc inde poliendo circumdat, vt clarius
fiat, sic iterata tentatio constantis, & non ce-
dentis animæ rubiginem purgat. *Vas enim figuli*
probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. B
Eccli. 27. Et quia Cades, fructificatio sancta dicitur, vides
quoniam tentationum sulcos sancta fructificatio
subsequatur.

Sed & hinc applicuerunt in montem Hor in
XXXIV. Mansio. extrèmis finibus Edom. Hor, montanus inter-
pretatur. Quisquis enim tentatus non labitur,
sed de tentatione fructificat, consequens est vt
ad montem, qui Christus est, victor ascendat.
Hic est enim mons ille coagulatus, mons pin-
guis, de quo per Prophetam dicitur: *Erit in*
Esai. 2. *nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in*
vertice montium, & eleuabitur super colles, &
fluent ad eum omnes gentes. Hic mons dicitur mon-
tanus, quia vbi Christus, ibi & proculdubio
Ioan. 12. Christianus: *Vbi sum,* inquit, *ego, illic & minister*
meus erit.

Deinde veniunt in Salmona, quod interpre-
XXXV. Mansio. tatur, vmbra portionis. Et meritò postquam in
montem, qui est Christus, ascendimus, vitio- C
rum fugientes ardorem, sub defensionis eius
vmbraculo residemus. De qua videlicet vmbra
per Hieremiam dicitur: *Spiritus oris nostri Christus*
Thren. 4. *Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In*
vmbra tua viuemus in gentibus. Et Angelus ad
Luc. 1. Mariam: *Virtus,* inquit, *Altissimi obumbrabit tibi.*
Salmona etiam, vt alicubi reperitur, imagun-
cula dicitur: quod vtique loco illi non absur-
dè congruit, dum ibi æneus ille serpens appen-
sus sit, qui crucifixi repræsentat imaginem Sal-
uatoris.

XXXVI. Mansio. Fit præterea transitus in Phinon, quod in-
terpretatur, os, vel oris parsimonia. Et os qui-
dem, quia mox vt passionis Christi sacramenta
cognoscimus, quod corde credimus, ore pro-
nuntiamus; sicut scriptum est: *Credidi, propter*
Psal. 115. *quod locutus sum.* Et Apostolus: *Corde creditur ad*
Rom. 10. *iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Oris ve-
rò parsimonia dicitur: quia dum tam profunda
redemptionis humanæ mysteria penetrare non D
possumus, quasi ori nostro digitum superponi-
mus, vt Diuinitatis Christi celsitudinem maio-
ribus relinquentes, de sola tantùm eius cruce
1. Cor. 2. tractemus, sicut dicit Apostolus: *Nihil iudicaui*
me scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc cru-
cifixum.

XXXVII. Mansio. Post hæc profecti sunt in Oboth, quod vtique
vertitur in Magos, siue Phitones. Propter quod
datur intelligi, quia post imaginem Dei, quæ
in cordis ratione concipitur, post acceptam fi-
dem, quæ oris confessione profertur, consurgunt
aduersum nos hæretici, errorem venenatæ per-
fidiæ dogmatizantes, tamquam Phitones, &
Magi malefica incantationum carmina con-
spergentes.

Hinc transitur in Gebarim, quæ est in fini- XXXVIII. Mansio.
bus Moabitarum. Gebarim significat aceruos
lapidum transeuntium. Isti porrò sunt lapides
viui, sancti scilicet, ex quibus non modò Hie-
rusalem superna construitur; sed & præsens Ec-
clesia tamquam margaritis coruscantibus ador-
natur. Qui meritò transeuntes dicuntur, quia
terrena quælibet ac transitoria mente calcant,
atque ad cælestia transire festinant. Si verò non
Gebarim, sed Gai dicatur, quod alia testatur
editio, & hoc ab intellectu transeuntium non
aberrat. Gai siquidem interpretatur, Chaos.
Dicit autem Abraham diuiti: Quia *inter nos, &* Luc. 16.
vos, chaos magnum firmatum est. Ad illum ergo
sancti semper transire desiderant, vt in eius si-
nu, sicut & beatus ille Lazarus, feliciter re-
quiescant.

Vnde satis aptè consequitur, vt post chaos XXXIX. Mansio.
Phitonum, atque Magorum, quod est tenebro-
sa calliditas hæreticorum, præstò veniant in Di-
bongad, quod significare dicitur apiarium tenta-
tionum. Apes enim ore mella ferunt, sed aculeis
pungunt; sic & hæretici verbis quidem mani-
festè blandimenta prætendunt; sed quasi post se
erroris aculeos contegunt. Primò distillant ore
dulcedinem, sed postmodum spargunt aculeatæ
falsitatis errorem. Vnde Propheta conqueritur,
dicens: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt* Psal. 117.
sicut ignis in spinis.

Inde profecti sunt in Helmondeblathaim, XL. Mansio.
quod vertitur, in contemptum palatarum, hoc
est, ficum, siue contemptus opprobrij. Fi-
cus autem deliciosus est fructus: per quod in-
telligitur necessarium esse, vt qui iam donis
C cælestibus appropinquant, cuncta carnalis il-
lecebræ blandimenta contemnant. Quòd si
contemptus opprobrij magis admittitur, per
hoc indubitanter instruimur; vt si quando vel
hæreticorum, vel reproborum quorumlibet
dehonestamur iniuriis, non turbemur. Per
quod scilicet vtrumque salubriter edocemur,
vt nos nec inhonesti contemptus irrisio mo-
ueat, nec vlla terrenæ, dulcedinis oblectamen-
ta resoluant, quatenus de hoc mundo valeamus
dicere cum Propheta: *Sicut tenebræ eius, ita &* Psal. 138.
lumen eius.

Inde commigrant ad montes Abarim contra XLI. Mansio.
Nabo. Abarim, transitus; Nabo, abscessio in-
terpretatur, vbi scilicet anima quasi per omnes
itineris mansiones, ita per cunctas fuerit pro-
gressa virtutes: quia iam ad culmen perfectionis
ascendit, mente mox transit ex hoc sæculo, &
abscedit. Quæ nimirum & si adhuc manere vi-
deatur in mundo, in carne tamen, non secundùm
D carnem ambulans, iam recessit è mundo. Sicut
de Enoch dicitur: *Et non inueniebatur, quia tran-* Gen. 5.
stulit illum Deus. Ita quisquis sanctitate perfectus,
& mundo iam mortuus pertransiit mundum, &
habitat in regione virtutum.

Postrema verò mansio est in campestribus
Moab super Iordanem contra Iericho. Ad hoc XLII. Mansio.
enim tam longi itineris transitus agitur, ad hoc
totus ærumnis, ac laboribus per vastam huius
mundi solitudinem suspiratur, vt applicemus
ad Iordanem, hoc est, accedamus ad ines-
haustam cælestis sapientiæ plenitudinem. Iuxta
quam peregrinationis nostræ tabernaculum
construentes, eius fluentis à cunctis nos Ægypti
squaloribus properemus abluere, vt purificati
terram repromissionis valeamus intrare; Vt si-

Cant. 5. inus, sicut de Sponsa in Canticis dicitur: *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Et notandum, quòd profectiò ista non in montibus, sed in campestribus desinit; quoniam Sancti quique quantò celsiori perfectione sunt præditi, tantò maiori A sunt humilitate fundari. Qui etiam contra Iericho mansiones ædificant, quoniam aduersus mundum, qui per eam designatur, intolerabiliter pugnant. Quibus dicitur: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15.

Expliciunt Testimonia Libri Numeri.

Incipiunt Capitula Libri Deuteronomij.

1. *Quòd Lex in monte Horeb data sit.*
2. *Ait Dominus Moysi: Vade, & dic populo: Reuertimini in tentoria vestra; tu verò hîc sta mecum.*
3. *Ait Moyses populo: Dedit tibi Dominus cibum, manna, quod ignorabas tu, & Patres tui.*
4. *Non est (inquit Moyses) terra, quam ingredimini possidendam, similis terræ Ægypti, de qua existis: sed de cælo pluuiam expectans.*
5. *Quòd præcepit Dominus, vt appropinquante iam prælio, Sacerdos ante aciem staret, & exhortaretur populum.*
6. *Vt homo formidolosus, & corde pauido non egrederetur ad bellum: sed reuertatur in terram suam, ne alios pauere faciat.*
7. *Vt mulieri in bello captæ, & in coniugium victoris electæ, corporis superfluitas abscindatur.*
8. *Quòd si filius odiosæ coniugis primogenitus fuerit, non possit dilectæ filius ei præferri, vt primogeniti locum teneat.*
9. *Vt si acceperit homo vxorem, & illa non inuenerit gratiam ante oculos eius, scribat ei libellum repudij, & dimittat eam de domo sua.*
10. *Vt si eum, qui peccauit, iudices dignum viderint plagis, prosternant, & coram se faciant verberari.*
11. *De iusto pondere, & æquali modio habendis.*
12. *Moyses de Aser: Ferrum, inquit, & æs calciamentum eius.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Deuteronomij.

CAPVT I.

In Epistola ad Alexandrum Papam, vbi de insolentia malorum.

Mens humana terrenis obtenebrata negotiis, frustra se in contemplationis culmen attollere nititur, dum actionum sæcularium merito quasi congestis lapidum ruderibus aggrauatur. Sicut enim aluta postquam per limosa luti fluenta transierit, non admittit aruinam; sic mens humana nisi ab humore fuerit curæ sæcularis exsucca, non percipit supernæ pinguedinis gratiam. Pellis enim sicca pinguedinem cōbibit, humefacta repellit. Et humanum cor, donec curarum sæcularium madore turgescit, saginas internæ gratiæ
Exod. 20. non admittit. Vnde & lex in monte Horeb data legitur, quod videlicet siccitas interpretatur. Illa denique mens, quæ per amorem spiritus in alta sustollitur, mons est, in quo lex Domini irreprehensibilis, quæ proculdubio charitas est, diuinitus promulgatur. Et hic mons veraciter est Horeb, qui siccitas dicitur: in quo videlicet omnium vi-B tiorum humor excoquitur, & ad radios solis iustitiæ cunctum libidinis, atque carnalis illecebræ rheuma siccatur. Hinc est; quòd vasa templi in argillosa terra, quæ videlicet aquam sitienter imbibit, Hiram ad Salomonis imperium fabricauit: 3. Reg. 7.
ex quibus nimirum vasis, & illud est, quod imbre cælesti concupiscit impleri dicens: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*; ad quod ideo æstuans clamat: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Psal. 142. Psal. 41.

C

CAPVT II.

In Epistola ad fratres Cluniacenses.

Caueant hi, qui prodire fortassis adhuc in publicum concupiscunt, ne dum inania cernere liberis obtutibus inhiant, dextrum oculum, hoc est, vim intimæ contemplationis extinguant. Nec Num. 11.
pruriat eorum gula cum illo carnali Israël, porros, cepas & allia: quarum videlicet herbarum vehemens acrimonia oculos turbat, & ad lacrimas prouocat. Quia nimirum, sæcularis actio dum

A multis preſſurarum anguſtiis cingitur, dum laborum ingruentium crebra perturbatione vexatur, quibus gaudere promiſit, ſæpe flere compellit. Planè ſi laboris delectat exercitium, habet ſancta quies laborem ſuum. Vnde Dominus ad Moyſen: (Deut. 5.) *Vade*, inquit, *& dic eis: Reuertimini in tentatoria veſtra; tu verò hic ſta mecum, & loquar tibi omnia mandata, cærimonias, atque iudicia.* Cæteris quippe in carnis ſuæ tentorio delectabiliter quieſcentibus, ſeruus Dei non reſidere iubetur, ſed ſtare cum Domino: vt quò remotiùs a mundi laboribus ceſſat, eò vigilantiùs in diuinis obſequiis ipſe ſe ſanctæ quietis feruore exerceat.

CAPVT III.

In eadem Epiſtola.

(Matt. 4. & Luc. 4.) *DEdit tibi Dominus cibum manná, quod ignorabas tu, & patres tui, vt oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur ex ore Domini;* vbi & præſtò ſubiungit: *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus. En quadrageſimus annus eſt, vt* (Deuter. 8.) *recogites in corde tuo, quia ſicut erudit homo filium ſuum, ſic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.* In quibus verbis illud eſt ſolertius attendendum, quod ait: Dedit tibi manna, vt oſtenderet, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei. Vbi luce clarius conſtat, quia illud manna, quo illi carnaliter alebantur, C hoc diuini verbi ſignificabat pabulum, quo nunc in anima recreamur. Et notandum, quod de hoc manna in libro Exodi legitur: *Quod cum vidiſſent*, inquit, (Exod. 16.) *filij Iſrael, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc?* Illi ergo manna, id eſt, quid eſt hoc, veraciter comedunt; qui dum legunt, vel audiunt, diuini verbi myſterium ſolerter inquirunt. Qui nimirum intra litteralis paleæ thecam, dulcem intelligentiæ ſpiritalis ambiunt enucleare medullam. Hic certè quid eſt hoc, veraciter veſcitur, qui aſſiduè in Scriptura ſacra ſolerti meditatione verſatur.

CAPVT IV.

In Sermone de S. Bartholomæo.

(Deut. 11.) MOyſes myſticè de ſancta dicit Eccleſia: *Non eſt*, inquit, *terra, ad quam ingredimini poſſidendam, ſimilis terræ Ægypti, de qua exiſtis; vbi iacto ſemine, in hortorum morem aquæ deducuntur irriguæ, ſed de cælo pluuias expectans, quam Deus ſuus inuiſit omni tempore.* Sæcularis enim prudentia, quaſi coluber per humum ſerpit, & huc, illucque lubrica varietate declinat; diuina verò ſapientia de cæleſtibus intonat. Hortus etiam hic ſiniſtram habet ſignificationem. Nam carnalis ſcientiæ videtur deſignare laſciuiam; ſicut & illic, vbi Achab petiit vineam Naboth: (3. Reg. 21.) *Da mihi*, inquit, *vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Ille quippe in hortum conatur vineam vertere, qui rigorem virtutis iucunda carnalis illecebræ vult amœnitate mutare. Et Pſalmiſta reprobos oleribus comparat, dicens: (Pſal. 36.) *Tanquam fœnum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum citò cadent.*

CAPVT V.

In Sermone de S. Anaſtaſio.

APpropinquante, ait Dominus, *iam prælio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum:* (Deut. 20.) *Audi Iſrael: Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos; quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.* Et notandum, quod Sacerdos, qui imminente iam bello concionatur, non alibi, ſed ante aciem ſtare præcipitur; vt videlicet eos ad pugnam, quos adhortationibus B prouocat, ipſe quoque præuius antecedat, ne dum alios ad bellum impellere nititur, ipſe degeneri corporis otio per negligentiam reſoluatur. Sicut de quibuſdam magna quidem prædicantibus, ſed deſidioſè viuentibus, per Prophetam dicitur: *Filij Ephrem intendentes arcum, & mittentes ſagittas ſuas,* (Pſal. 77.) *conuerſi ſunt in die belli.*

CAPVT VI.

In Sermone de S. Georgio.

HOmo formidoloſus, & corde pauido non egrediatur ad bellum; ſed vadat, & reuertatur ad terram ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut & ipſe perterritus eſt. (Deut. 20.) Quibus nimirum verbis liquidò perdocemur, quia pro defenſione fidei dimicare fortiter & idoneè nequeunt, qui adhuc nudari terrenis opibus pertimeſcunt: tolerabilius enim eſt, vt domum quodammodo redeuntes, ignobiliter, & imbelles viuant, quàm ſecum & alios à triumphandi gloria per degeneris exempla timoris auertant.

CAPVT VII.

In libro de perfectione Monachorum.

D PEr Moyſen Lege decernitur: vt mulieri in bello captæ, & in coniugium victoris electæ, corporis circumfluitas abſcindatur: *Quæ radet*, inquit, *cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in quâ capta eſt, ſedenſque in domo ſua, flebit patrem, & matrem vno menſe, & poſtea intrabis ad illam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* Mulieri quippe cæſariem radimus, cùm rationali diſciplinæ ſenſus ſuperfluos amputamus. Vngues etiam circumcidimus, cùm ab ea mortua quæque ſuperſtitionum opera deſecamus. Quæ etiam veſtem deponere, in qua eſt capta, præcipitur, vt ſuperductam fabularum, & quorumlibet figmentorum exuat ſuperficiem ac ſolidam veræ rationis exhibeat veritatem. Patrem verò, & matrem deflet: quia liberalium auctores artium mens noſtra mortuos deputat, & eos in errore periiſſe compatiendo deplorat. Conſuetudo autem fœminarum eſt, per vnumquemque menſem ſui ſanguinis effuſione purgari: poſt menſem itaque ad hanc mulierem intrare præcipimur vt artem cuiuſlibet diſciplinæ omni ſuperſtitionum contagio defæcatam velut in coniugium ſortiamur: quatenus iam Iſraëlitica facta, conſequenter in Iſraëlitæ coniugium tranſeat, & benè fœcundam ſpiritualium operum ſobolem reddat.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Bonifacium, quæ est de eo, quod exteriori prudentiæ spiritualis sapientia debeat præferri.

Deut. 21. *SI habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia; iste enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* Duæ scilicet hominis vxores sunt, virtus, & voluptas, liuoris & odij inter se inuicem, velut quadam zelotypia diffidentes: & voluptas quidem ad hanc vitam, virtus ad æternam pertinet gloriam. Illa planè dilecta B est, quia virum suum, hoc est, fragilem cuiusque spiritum malesuada iucunditate demulcet: ista verò dicitur odiosa, quia per arctam, & angustam viam homines ire constituit, & aspera semper ac dura proponit; sed filius odiosæ nobis primogenitus est, quia virtutem Conditor noster nobis originaliter indidit: voluptas autem, & quælibet carnalis illecebra ex vitio nostræ prauitatis emersit. Sed quia non est istius temporis per singula verba huius præcepti figuram enucleanter exponere, sufficiat hoc ad compendium dicere; vt si non possumus dilectam vxorem, quæ nobis proculdubio noxia est, à thalami nostri societate repellere, studeamus saltem quæ sobria est, & honesta, in primogeniti dignitate præferre, quatenus si nobis C difficile est quantulamcumque saltem huius vitæ dulcedinem non sentire, prærogetur tamen dominij palma virtuti, relinquatur seruitus voluptati: illius filius in primogeniti dignitate præcellat, istius autem filius in subsequela ordinis, & sub disciplinæ semper refrænatione supersistat. Vis fortassis addiscere qui vxoris odiosæ sunt Galat. 5. filij? Paulus inquiratur Apostolus: *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Vis enim consequenter D audire quæ sit soboles dilectæ? ausculta quod subdidit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia castitas.* Hic ergo filius tanquam primogenitus duplicia debet habere substantiæ, videlicet vt fructus Spiritus, corpus simul & animam regat, atque vtriusque substantiæ, interioris scilicet, & exterioris hominis iura possideat.

CAPVT IX.

In Epistola ad Cincium Præfectum.

Deut. 21. *SI acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non* E *inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo sua.* Hæc igitur vxor nostra, carnalis scilicet vita, vtinam in oculis nostris gratiam numquam prorsus inueniat, sed eius abominabilis fœditas mentium nostrarum nares, vt dignum est, semper offendat. Quæ libello repudij per legem pœnitentiæ semel accepto, sic à connubij nostri liminibus excludatur, vt in nostros denuò non reuertatur amplexus. Vnde & vir Eccl. 9. sapiens ait: *Auerte faciem tuam à muliere compta, & non circumspicias speciem alienam*: quæ quoniam aliena A dicitur, meritò cum Agar, non vxor, sed concubina intelligitur. Agar enim peregrina, vel accola interpretatur. Et quia per Salomonem hæc eadem impudica mulier dicit: *Aspersi cubile meum* Prou. 7. *myrrha, & aloe, & cinamomo*, meritò cum altera concubina Abrahæ poterit comparari. Cethura siquidem dicitur, odorifera. Vita quippe carnalis spirat odoramenta mendacij. Vnde & in Prouerbiis dicitur: *Custodi te à muliere mala, & à blanda* Prou. 6. *lingua extraneæ; non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum.* Hæc enim blanda lingua, videlicet carnalis vitæ, miseros homines dicere persuadet: *Venite, perfruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura* Sap. 2. *tamquam in iuuentute celeriter: vino pretioso & vnguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis*, &c. At contrà de muliere, quæ religiosam signat vitam, scriptum est: *Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum illius duplex: Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.* Eccl. 26. Quomodo est numerus annorum hominis duplex, nisi quia & hic viuit in conuersatione sancta, & illic est victurus in gloria? Hæ planè duæ vitæ, spiritualis scilicet, atque carnalis, quadam inter se inuicem quasi zelotypia diffident, & ad diuersum viuendi finem corda hominum trahunt. Ista siquidem cohibet gulæ pruriginem, ne modum sobriæ refectionis excedat: illa ventres ingurgitat, & per immoderata ciborum oblectamenta relaxat. Ista suspiriis, ac gemitibus pascitur: illa cachinnis, & ineptis lusibus delectatur. Ista sursum spiritum erigit, & in cælestis desiderij arce suspendit: illa curis sæcularibus, & opibus congerendis incumbit. Ista quicquid iniuriarum, quicquid aduersitatis ingeritur, æquanimiter tolerat: illa grauiores potius violentias accipit, iudicia, quæ tolerentur, importat.

CAPVT X.

In Epistola ad Petrum Monachum.

SI eum, qui peccauit, iudices dignum viderint plagis, Deut. 25. *prosternent, & coram se facient verberari*; vbi & mox additur: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus: ita vt quadragenarium numerum dumtaxat non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Quod videlicet illi populo legale præceptum, nobis est allegoriæ mysterium. Quadragenarius siquidem numerus humanæ vitæ significat cursum. Hinc est, quod Israël annis quadraginta graditur per desertum. Hinc Moyses, & Elias, insuper & Num. 14. ipse Dominus, tot diebus protraxêre ieiunium: qui & 32. etiam sicut horis quadraginta in sepulchro mortuus Exod. 24. iacuit, ita nihilominus post resurrectionem suam 3. Reg. 19. diebus totidem cum discipulis fuit; quatenus nos Matth. 4. sua membra pius magister edoceat, vt per capitis nostri vestigia gradientes, & mortui mundo, & velut peregrini hospitemur in sæculo. Mysticè quoque E peccator in lege dum vapulare præcipitur, excedi quadragenarius plagarum numerus prohibetur; quia quisquis in hac vita perfectam egerit pœnitentiam, nullam postmodum pro suis excessibus sentiet pœnam.

CAPVT XI.

In Sermone de sancto Anastasio.

NOn habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum, & verum: & modius æqualis, & verus Deut. 25.

erit tibi. Enimuero tunc in sacculo diuersa pondera non habemus, si intra secretum conscientiæ nostræ, non aliter nobis, atque aliter aliis iudicantes, easdem legalium præceptorum mensuras appendimus. Nimirum, vt nos aliis regulam districtæ seueritatis indicere, nosmetipsos verò studeamus remissionis indulgentiæ lege tractare. De qua videlicet fraude & Salomon dicit: *Abominatio est Domino pondus duplex, & statera dolosa.* Necesse est ergo fruges verbi nequaquam diuersis, sed eisdem metiri ponderibus; vt quæ aliis agenda præcipimus, ipsi etiam viuis operibus efficaciter impleamus. Prou. 20.

CAPVT XII.

In Sermone de sancto Bartholomæo.

ÆS aliquando sanctis congruere reperitur Apostolis; de quibus sub Aser specie per Moysen in Deuteronomio dicitur: *Ferrum, & æs calceamentum eius.* Calceamentum quippe in Scriptura sacra, munimentum prædicationis accipitur, sicut scriptum est: *Calceati pedes in prædi-* Deut. 33 Ephes. 6.

A *catione Euangelij pacis.* Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem perseuerantia longanimitatis exprimitur, ferrum, & æs Apostolorum dicitur esse calceamentum, necnon & Prædicatorum quorumlibet sanctorum. Per ferrum scilicet aduersantia mala patienter tolerant; per æs verò bona præposita longanimiter seruant. De quibus Apostolis, siue Apostolicis viris, Prædicatoribus scilicet sanctis ad eundem Aser cum præmisisset: *Ascensor cæli auxiliator tuus*, illico subdidit: *Magnificentia eius discurrunt nubes.* Quis enim est ascensor cæli, nisi Saluator noster, qui postquam B mortis imperium moriens perdidit, cælum, Angelis comitantibus, & discipulis suspicientibus, penetrauit? Huius magnificentia nubes discurrunt; quia eius auctoritate Doctores sancti per mundum saluiferæ prædicationis imbrem pluunt. De quibus & Propheta: *Qui sunt*, inquit, *isti, qui vt nubes volant?* Istæ nubes resoluuntur in aquam, cùm terram cordis nostri doctrinæ suæ fluentis inebriant; vt eam ad proferenda pij operis germina fertilem reddant. Esa. 60.

Expliciunt Testimonia Libri Deuteronomij.

Incipiunt Capitula Libri Iosue.

1. *QVòd aquæ Iordanis diuisæ sunt dum Israël, Iosue ducente, transiret.*
2. *Quòd præcepit Dominus, vt tollerent duodecim lapides de medio Iordanis, vbi Sacerdotes steterant, & ponerent in medio castrorum.*
3. *Quòd Iosue Dominus præcepit, vt transiret in Galgala cum populo, & illic eos cultris lapideis circumcideret.*
4. *Quòd præcepit Dominus, vt arcam fœderis viri bellatores armati præcederent, & Sacerdotes septem buccinis clangerent, & sic Iericho septem diebus circumirent.*
5. *Quòd in arca tria continebantur: Vrna aurea cum manna: & tabula testamenti: & virga Aaron.*
6. *Ait Iosue ad populum: Vos autem cauete, ne de facultatibus Iericho quidpiam contingatis.*
7. *Quòd subuersa Iericho, domus Rahab meretricis, de qua funiculus coccineus dependebat, euasit.*
8. *Subuersa Iericho, Iosue imprecatus est, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit Iericho, in primogenito suo.*
9. *Quòd Gabaonitæ pacis fœdus ab Israelitis fraudulenter extorserunt in terra Pherezæi, & Raphaim.*
10. *Dixit Iosue filiis Ioseph: Si populus multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia ad habitandum.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Iosue.

CAPVT I.

In secundo Sermone de S. Ioanne Euangelistâ.

Iosu. 3. CVm *populus ingrederetur Iordanem, iubente Iosue, aquæ superiores ad instar montis intumescebant, inferiores verò in mare mortuum delabebantur.* Quia profectò ex eis, qui baptizantur, alij in accepta cælestis gratiæ dulcedine perseuerant, alij in peccatorum amaritudinem defluere reprobè viuendo non cessant, & velut in maris mortui salsuginem corruunt, dum sapiendo terrena, per prauæ vitæ decliuia ad mortem tendunt. Nos autem non sic, dilectissimi, non sic, sed ad veram sapientiam animum transferentes, sic per Dei misericordiam in virtutum studeamus alta pro-

ficere, vt in vitiorum pudeat voraginem declinare. Sic perseueremus semper ad superna properare, quò tendimus, vt diuini amoris dulcedinem in nostris iugiter mentibus consecuemus.

CAPVT II.

In eodem Sermone.

Iof. 4. ELige (inquit Dominus ad Iosue) *duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præcipe eis vt tollant de medio aluei Iordanis, vbi fixerunt sacerdotes pedes duodecim lapides durissimos, quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Vt autem non omnia, licet plena mysteriis, verba discutiam, quid per hoc factum nobis innuitur, nisi vt postquam mystici Iordanis fluenta transimus, postquam de lauacri salutaris fonte consurgimus, durissimos duodecim lapides, id est, firmissima Apostolorum exempla ad imitationem nobis proponere studeamus? Lapides quippe vbi Sacerdotes pedes fixerant, in loco castrorum ponimus, si in procinctu spiritualis militiæ positi, Apostolorum vestigia constanter & firmiter teneamus. Prou. 18. Nam iuxta Salomonis sententiam: *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Nimirum qui in moribus suis molles, ac fluidi sunt, more aquæ præcipites ad ima defluunt: qui verò constantes, ac firmi, in arcem C quotidie virtutis excrescunt.

CAPVT III.

In Sermone primo de S. Bartholomæo.

Iof. 4. 1. Cor. 10. POst hæc autem protinus Iosue iubetur, *vt in Galgala cum populo transeat, atque illic eos cultris lapideis circumcidat.* Petra, vt ait Apostolus, *erat Christus.* Per cultellos ergo lapideos circumcidimur, cum per Christum à nobis omnes carnis & spiritus illecebras amputamus. Et hac circumcisione, sicut illic dicitur, Ægyptiorum propulsamus opprobrium, quoniam deludentium nos elidimus petulantiam vitiorum. Iof. 1. *Hodie* (inquit Dominus D ad Iosue) *abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* Nec prætereundum, quod Galgala, reuelatio interpretatur. Vita quippe carnalis oculos mentis excæcat, spiritualis illuminat: Psal. 118. *Reuela*, inquit, *oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Cum enim à suis homo vitiis circumciditur, ad diuinæ legis consideranda mysteria mentis acies reuelatur. Iosu. 5. In quo scilicet loco ab Israëlitico populo Pascha celebratur, & typicè Agnus ille comeditur, qui tollit peccata mundi. Et nota ordinem rerum, ac salutis humanæ perpende mysterium. Postquam de baptismo, quasi de gurgite Iordanis eximus, Apostolicæ virtutis, & constantiæ lapidea E nobis in exempli testimonium constituimus, quos æmulationis studio contemplantes, à prauitatis nostræ præputio circumcidimur: sicque dimota procul, atque detersa caligine vitiorum, reuelata facie spiritalis lætitiæ Pascha celebramus in luce virtutum. Illic primùm populus de frugibus terræ comedit azymos panes: & manna, quo eatenus ali consueuerant, vlterius non apparuit. Ioan. 6. Quia postquam panis ille viuus, qui de cælo descendit, ex agro virginalis vteri prodiit: postquam Ioan. 12. granum tritici cadens in terram, mortuum est, ac plurimos fructus attulit, mox typicæ legis manna defecit. Terra quippe repromissionis, venter est Virginis. De qua terra per Esaiam di- A citur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Esai. 45. Cum ergo ad hunc panem peruenitur, legis veteris vlterius manna non quæritur.

CAPVT IV.

In Sermone de sancto Andrea.

PRæcepit Dominus Iosue, *vt arcam fœderis viri bellatores armati præcederent; Sacerdotes autem septem buccinis clangerent; sicque per septem nihilominus dies Iericho mœnia circuirent. Septimo itaque die dum vociferatio populi clangentibus admiscetur, Iericho protinus à fundamento collapsa subuertitur.* Iof. 6. B Quid est autem, quod ad capiendam vrbem non gladius educitur, non tela vibrantur, non iaculum mittitur, non aciei militaris cunei ad irruptionis impetum constipatur, sed tubis dumtaxat sacerdotalibus clangitur, & sic victoria, non iam iure belli, sed virtute potius sacramenti de superatis hostibus obtinetur? Deliramenti sanè videretur ineptia, si euidens non fuisset victoria subsecuta. Sed per Iericho, quæ dicitur Luna, non incongruè mundus innuitur: qui sic per labentium momenta temporum, tanquam per menstrua detrimenta finitur. Arca autem sancta erat Ecclesia; tubæ verò Apostoli sunt, vel quique C sancti Doctores Ecclesiæ; quorum videlicet admonitionibus dum pugnare semper contra carnis illecebras, & antiqui hostis insidias nitimur, velut ad conflictus aciem, & conserenda bella, tubarum clangoribus incitamur. Quæ nimirum tubæ septem fuisse referuntur; quia Prædicatores sancti septiformis Spiritus gratia sunt repleti. Septem quoque dierum vicissitudine omne tempus nostræ mortalitatis euoluitur. Vrbem ergo Iericho Sacerdotes arcam ferentes, & clangentes septem diebus circumeunt, & muri eius per arcæ præsentiam, & tubarum sonitum cadunt; quia in huius mortalis vitæ decursu, dum circumquaque per orbem terrarum sancta mouetur, & dilatatur Ecclesia, per sanctæ prædica- D tionis instantiam omnis elati mundi superbia frangitur, & cuncta infidelitatis obstacula subruuntur. Et notandum, quod armati milites cum Sacerdotibus ire iubentur: nimirum vt ij, quibus non est iniunctum promendi clangoris officium, nequaquam se remotos intelligant à congressione bellorum; quatenus & ij, qui non prædicant, contra occulti hostis insidias armati nihilominus, & circumspecti semper incedant. Huius itaque belli duces, ac principes, sancti Apostoli sunt, qui arcam fœderis Ierichontinis mœnibus cum tubarum clangore circumferunt; E quia per totius mundi circulum sanctæ prædicationis officio Ecclesiæ sacramenta diffundunt. *In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. Euolutis autem sex diebus, septimo tandem die Rex Iericho cum omni populo, gladio deuorante, consumitur; quia in die nouissimo diabulus, qui est Rex superbiæ, cum omnibus suis sequacibus quasi quodam diuinæ sententiæ gladio morti perpetuæ condemnatur. Tunc nempe fiet, quod per Apostolum dicitur: Quia, *cùm euacuauerit omnem principatum, & omnem potestatem, & virtutem, nouissimè inimica destruentur mors.* 1. Cor. 15.

CAPVT V.

In Sermone de S. Bartholomæo.

ARca verò illa ex imputribilibus lignis Sethim, myſtica fuerat arte compoſita, auro quoque puriſſimo reſplendebat, intus, & extrinſecus inaurata. In ea quoque erat vrna aurea, in qua manna ſeruabatur, tabulæ nihilominus teſtamenti, & virga Aaron, quæ fronduerat. Quid eſt autem vrna aurea, niſi caro Chriſti munda, nitida, ſincera, abſque omni reatus contagione puriſſima? Quæ reconditum habet manna, Angelicum videlicet panem, hoc eſt, diuinitatis æternæ dulcedinem. Duæ verò lapideæ tabulæ inuiolabilem B vtriuſque teſtamenti ſignant firmitatem. Quid autem Aaron virga, niſi ſummi veri Pontificis noſtri ſalutare vexillum, & viuificæ Crucis exprimit ſacramentum? Quæ etiam in eo quod germinaſſe perhibetur, præfigurauit ſanctam Crucem immortalis memoriæ viriditate vernantem. Hæc ſunt ſacramenta vniuerſalis Eccleſiæ; hæc etiam ſalutaris inſtructio cuiuſcumque fidelis animæ Chriſtianæ. Quod enim arca per adumbratam prætendebat imaginem, hoc nunc Eccleſia, vel quæque mens iuſti per efficaciſſimam, & apertam poſſidet veritatem. Hæc beati Apoſtoli myſticæ refectionis alimenta portabant; hæc tanquam panem paruulis exponendo frangebant. Nam poſtquam Euangelicus ille ſermo prorupit: Quo-
Luc. vlt. niam *aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas*, prophetica querela ceſſauit, qua dicitur:
Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Hic eſt panis ille quotidianus, fratres C mei, quem nos Veritas docuit inhianter expetere: hoc cæleſtis ſapientiæ pabulum, quod debemus iugiter eſurire.

CAPVT VI.

In Sermone de S. Andrea.

Ioſ. 6. AIt *Ioſue ad populum: Vos autem cauete, ne de facultatibus Iericho quippiam contingatis.* Vetat & noſter Ieſus, verus vtique Saluator, vt ne-
Matth. 6. mo ea, quæ mundi ſunt, diligat: *Nolite*, inquit, *theſaurizare vobis theſauros in terra*; Et per Apo-
1. Ioan. 2. ſtolum ſuum: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ*
Ioſ. 7. *in mundo ſunt.* Non ergo ad exemplum infelicis Achan de anathemate Iericho aliquid deſtaudemus; vt videlicet nihil ex diſſolutis mundanæ conuerſationis moribus, diſciplinis Eccleſiaſticis inferamus. Non auferamus pallium, vt poſt indumentum fidei, cultum conuerſationum ſæcularium nullatenus induamus. Non argenti ſiclos, D vt qui æternum theſaurum in cælo recondimus, nullam temporalem pecuniam per ambitionem in ſudario reponamus. Non denique regulam auream, vt in Eccleſiam Chriſti non accurata introducamus hæreticorum dogmata, non trutinata Philoſophorum acutè diſputantium ſtudia, vel Poëtarum elaborata figmenta. Hæc eſt enim aurea illa regula, limato videlicet, atque polito ſermone directa, & velut aureo luculentæ facundiæ nitore veſtita. Hanc autem regulam furati ſunt Arrius, Marcion, & Apelles, aliæque peruerſorum hominum peſtes; qui dum Philoſophorum ſectas in Eccleſiam conati ſunt introducere, iram Dei quodammodo ſuper caſtra Iſraël viſi ſunt prouocare. Sed ij obruti ſunt cum Achan ſub aceruo lapidum, quia oppreſſi ſunt

A immaniſſimo pondere peccatorum. Nos autem, fratres chariſſimi, quia Philoſophia noſtra Chriſtus eſt, & hic crucifixus; atque ideo magiſtros habemus non oratores, ſed piſcatores; non verſutos & eloquentes, ſed mites ac ſimplices: deſpiciamus ſapientiam, quæ cæcat, appetamus ſtultitiam, quæ diſcentes illuminat. *Quia* enim, vt 1. Cor. 1. Apoſtolus ait, *non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.*

CAPVT VII.

In eodem Sermone.

C*Vncti autem habitantes Iericho, gladio trucidante* Ioſ. 6. *conſumuntur, ſola autem domus Raab meretricis euaſit, quam videlicet funiculus coccineus in feneſtra diſcreuit.* Domus autem illa vnicam præfigurat Eccleſiam, quæ purificata eſt à turpitudine fornicationis per feneſtram confeſſionis in ſanguinis remiſſione. Hæc planè à communi pereuntis mũdi liberatur excidio, quia in feneſtra domus ſuæ coccineum ligat funiculum, dum in ore corporis ſui portare non deſinit paſſionis dominicæ ſacramentum *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem* 1. Rom. 10. *confeſſio fit ad ſalutem.* Porro autem funiculus ille ad domum erat ligatus, ſed exterius videbatur; quia dominicæ Crucis fides in corde retinetur, quæ oris confeſſione depromitur. Reliquis quidem pereuntibus, omnes, qui in domo illa reperti ſunt, mortis euaſere periculum; quia ſicut intra Eccleſiam omnes ſaluantur electi, ita extra Eccleſiam nemo poterit ſaluus inueniri. Sed fortaſſe quæritur: Quomodo & arca, quæ vrbem circumiens obſidebat; & domus Raab, quæ ipC ſius mœnibus inhærebat, vtraque nimirum res vnam deſignet Eccleſiam; cùm arca videlicet obſideat, & expugnet, domus autem videatur obſeſſa? Sed hæc quæſtio facilè ſoluitur, ſi in membris Eccleſiæ, quæ ſit diuerſitas, ſubtiliter attendatur. Eccleſia namque expugnat Eccleſiam, cùm Prædicatores, magiſtri & diſcipuli præſidentes & obtemperantes ex vno diuinæ regenerationis fonte procedere, vnum denique corpus Eccleſiæ tamquam diuerſa videantur membra complere. Cui nimirum Eccleſiæ per Pſalmiſtam dicitur: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi* Pſal. 44. *filij*; ipſi ſanè Apoſtoli, qui ad capiendam humanæ ſuperbiæ Iericho tam valida, tam robuſta fulminea prædicationum ſuarum iacula contorſere, vnius eiuſdemque Eccleſiæ & patres quodammodo videntur, & filij: filij videlicet Patriarcharum, & Prophetarum: patres verò ſubſequentium omnium deinceps electorum. Hinc eſt enim, quod Moyſi diuina voce præcipitur: *Vt & baſes argen-* Exod. 26 D *teas fundat, & tabulas inauratas deſuper erigat.* Quid autem per baſes argenteas, niſi Prophetarum videtur ordo ſignari, qui dum primi de ſacramento Eccleſiæ ſunt locuti, quaſi quaſdam baſes eos aſpicimus à fundamento conſurgere, & ſuperpoſita fabricæ pondera ſuſtinere? Quid verò per tabulas niſi ſancti figurantur Apoſtoli, qui extenſa per mundum prædicatione ſunt ampliſſimè dilatati? Apoſtolorum namque doctrina quaſi quibuſdam baſibus propheticæ prædicationis innititur, eorumque auctoritate ad ſtatus ſui robur firmiter ſolidatur. Vnde & coniunctæ binæ baſes in ſingulis tabulis ſupponuntur: quia dum Prophetæ ſancti in verbis ſuis inuicem de futuræ tunc Eccleſiæ ſacramento concordant, ſubſequentes Apoſtolos ædificantes ædificant; & cum à ſemetipſis in

nullo

nullo dissentiunt, illos in se robustius figunt. Nec immeritò bases, quibus Prophetæ signantur, vt ex argento debeant fundi, præcipitur. Argenti quippe claritas ex vsu seruatur, sine vsu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta antequam Apostolica prædicatione clarescerent, quia in vsu spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant: at postquam Apostolicæ prædicationis manus vaticinia obscura detersit; quidquid lucis in eis latebat, inclaruit, sensusque eorum mysticos in vsum dedit, quia verba iam rebus esse exposita perspicuè nuntiauit. Iure igitur præcipiuntur fieri & bases argenteæ, & tabulæ deauratæ; quia videlicet Apostolica præcepta Prophetarum oraculis longè sunt clariora. Vt ergo ad superiora redeamus, non incongruum est, si & arca, & domus meretricis, quæ obsidetur, vnam, eandemque exprimere videantur Ecclesiam; cùm eiusdem Ecclesiæ, sicut dictum est, diuersa sint membra: alia videlicet per sanctæ prædicationis ambitum obsidentia; alia à suæ infidelitatis, vel prauitatis munimine salutaris doctrinæ iaculis obruenda, alia iam domestica, alia adhuc per auersionem praui operis aliena. Hunc in testimonium spiritualis pugnæ conflictum Esaias iam odorauerat, cùm postquam Saluatoris aduentum perspicuè descripsisset, protinus addidit: *Et cor Ægypti tabescet in medio eius; & concurrere faciam Ægyptios aduersus Ægyptios; & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, & ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnum: & dirrumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius.* Cum igitur per Apostolicæ prædicationis obsidionem, fratres charissimi, de pereuntis Iericho simus internecionibus eruti, immò de subuersæ gentilitatis excidio diuinitus liberati, non grauemur duces nostros subsequi, quo præcedunt: non videatur onerosum quidquid nobis pro nostra salute præcipiunt.

Esa. 19.

CAPVT VIII.

In Epistola ad B. Causidicum, vt exteriori prudentiæ spiritualis sapientia præferatur.

Ios. 6. *SVbuersa verò Iericho, Iosue imprecatus est, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho; in primogenito suo fundamenta illius iaceant, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Nam quia per Iericho, quæ in lunam vertitur, hæc vita signatur, ille ciuitatem Iericho in primogenito suo suscitat, qui bona præsentis vitæ principaliter amat. Et quia Veritas in Euangelio præcipit: *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis;* meritò maledictione damnatur, quisquis ab hoc præcepto declinare conuincitur; Propheta attestante, qui ait: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* At contrà ille portas Iericho ponit in nouissimo liberorum, qui sic vtitur temporalibus bonis, vt hæc non cum amore possideat, sed ad cælestis gloriæ præmium medullitus inardescat. Qui cælestibus in amore suo terrena supponit, transitoria floccipendit. Hoc itaque faciens, & odiosæ vxoris filium, iuxta mandata legis, efficit primogenitum: & secundùm Iosue sententiam, portas Iericho in nouissimo suscitat liberorum. Quo contrà Caïn in primogenito suo Henoch con-

Matth. 6. Psal. 118. Gen. 4.

A didit ciuitatem, quia futuram non sperabat hæreditatem: & quia se quasi in Iericho huius sæculi præpropere dedicauit, elogium perpetuæ maledictionis incurrit. Vnde scriptum est: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Prov. 26.

CAPVT IX.

In libro de perfectione Monachorum.

NOnnulli namque (quod sine gemitu dicere nequeo) sic ad nouæ religionis transeunt ordinem, vt tamen præteritæ vitæ nunquam deserant vetustatem. B Hi nimirum Gabaonitæ sunt, non Israëlitæ. Notum quippe est, quòd Gabaonitæ mortis timore perterriti, ad Israëliticum populum cum fraude, & calliditate venerunt: ita vt se veteribus vestimentis induerent, panes etiam siccos, vtres, saccos, calceamenta, atque omnia simul inueterata portarent. Quibus scilicet postquam impetrato fœdere, vita donatur, consequenter etiam fraus patefacta cognoscitur. Quos Iosue, comperto dolo, sub maledictione damnauit, & aquæ gestatores, lignorumque cæsores perpetuo iure constituit. Qui sunt autem Gabaonitæ, qui ad Israëlitas mortis formidine transeunt, nisi ij, qui ad seruitutis diuinæ militiam non perfectionis amore, sed tremefacti scelerum suorum immanitate confugiunt? C Sed eorum nonnulli veste, non mente mutati, siccos panes ad esum portant; quia azyma adhuc sinceritatis, & veritatis ignorant. Vetustis vestibus conteguntur, quia in veteri adhuc homine constituti, nouum induere nesciunt, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Postremò omnia videntur inueterata, quæ gestant, quia in præteritæ vitæ vitiis perseuerant, non obtemperantes præcipienti Apostolo: *Renouamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ.* Nec illa eis sententia congruit, qua dicitur: *Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua.* Ad nouitatem quippe superficietenus venientes, ipsi in vetustate persistunt, D quia emendationem, & nouam conuersationem in suis moribus non ostendunt. Tales itaque maledictione plectuntur, nec ad sortiendam cum Israëlitis hæreditatem aliquatenus admittuntur. Non enim ex illorum numero sunt, quibus dicitur: *In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* Aqua autem insipida est, & ligna dura. Ligna ergo cædere, & aquas vectare iubentur; quia gustus intelligentiæ spiritualis ignari, duris, atque insensibilibus exterioris exercitij negotiis occupantur. Sic igitur aliquam quidem in exterioribus videntur vtilitatem Ecclesiæ seruiendo conferre: E Sed quia seruiliter viuunt, hæreditatem inter Israëlitas nequeunt possidere.

Ios. 9. 1. Cor. 5. Ephes. 4. Ibid. 2. Cor. 5. 1. Pet. 3.

CAPVT X.

In Epistola ad fratres Gamugni.

DIxit Iosue filiis Ioseph: Si populus multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi, & Raphim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Cumque ibi conquererentur, & dicerent: Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terra campestri. Respondit Iosue: Populus multus Ios. 17.

es, & magnæ fortitudinis; non habebis sortem vnam, A *sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia; & poteris vltra procedere, cum subuerteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.* Quæ nimirum multis indigentia verbis exponerem fortassis, si non mihi meta compendij epistolaris obstaret; hoc tantùm quasi summotenus perstringendo sufficiat: Quia cùm Iosue præcipit populo siluarum condensa succidere, hoc innuit quod noster Iesus, eiusdem scilicet nominis, sequentibus se iubet malè pullulantes siluescentium vitiorum frutices extirpare. Hortatur vt non fœdera, sed bellum contra Chananæos gerant, vt montana conscendant; quatenus & vitiorum elaborent debellare barbariem, & arduum virtutum festinent obtinere cacumen. Porrò autem, quòd illi pusillanimiter conqueruntur aduersus eos, qui ferreis vtebantur curribus, se non posse consurgere; hoc est, quod nos imbecilles, & fragiles sæpè diffidimus; tamquam ferreos currus, sic aduersantes malignorum spirituum impetus sustinere. Nam cùm petulantia gulæ, vorago luxuriæ, omniumque vitiorum pestes, tamquam frementium Chananæorum acies, constipatis aduersum nos cuneis conglebantur, quid aliud quàm Chananæi nos ferreis curribus impetunt, & ne de carnalis vitæ campestribus, ad virtutum valeamus excelsa conscendere, salutis nobis aditus intercludunt? Sed bonus militiæ nostræ dux imbecillitatem nostram ad fortiter agendi constantiam erigit, & contra hostium impetus, vt in altiora progrediamur, impellit. Sed quomodo de inimicis nostris triumphare possumus, qui semper in epulis, semper in poculorum affluentium volumus ingurgitatione iacere? De quibus vtique Salomon ait: *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* (Prou. 21.) Et iterum: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas; qui his delectatur, non erit sapiens.* (Prou. 20.) Ventrem namque vino & escis assuescere, quid est aliud quàm hostibus animæ, vt ingrediantur, aditus aperire? Vnde & idem Salomon: *Qui delicatè,* inquit, *à pueritia nutrit seruum, postea illum sentiet contumacem.* (Prou. 29.) Benè hunc seruum loris cohibebat inediæ, qui dicebat: *Castigo corpus meum, & seruituti subijcio.* (1. Cor. 9.) Aduersus hunc seruum disputabat cum diceret: B *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & illas destruet.* (1. Cor 6.) Hunc seruum sub calcibus esse frænandum significabat, cum diceret: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis: nunc autem & flens dico: Inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, & quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum.* (Philip. 3.) Notandum autem & hîc duo terribilia dici, & in inimicos crucis Christi tremendam depromit idem Apostolus sententiam, dicens: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha.* (1. Cor. 6.) Qui verò ventrem pro Deo veneratur, Deum quodammodo negare conuincitur; ac per hoc duo hæc terrore plenissima, vnum videntur; videlicet, quod absit, & Christi inimicum esse, & vnum Deum alium colere.

Expliciunt Testimonia Libri Iosue.

Incipiunt Capitula Libri Iudicum.

1. *QVòd Adonibezech, manuum ac pedum summitates, dum capitur, amputantur.*
2. *Erat Debbura Prophetes Vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore.*
3. *Quod Gedeon præcipitur, Vt cum trecentis tantùm, qui aquam manibus lambuerant, ad bellum contra Madianitas pergat.*
4. *De eo, qui in castris Madian socio referebat se per somnium vidisse subcinericium panem ordei.*
5. *Quòd melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer.*
6. *Abimelech filius Ierobaal occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem vnum.*
7. *Stetit Ioathan in vertice montis Garizim, eleuataque voce clamauit: Audite me, viri Sichem: ita Vt audiat vos Deus.*
8. *Abimelech audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo.*
9. *Quòd dum Abimelech turrim, quæ erat in medio Thebes, amoto igne ianuis, succendere conaretur, mulier molæ fragmentum desuper iaciens, eius capiti illisit.*
10. *Quòd quidam de populo Ephraim olim venientes ad vada Iordanis, dum nescirent exprimere Sebboleth, Galaaditarum gladiis cæsi sunt.*
11. *Cepit Samson trecentas vulpes, caudasque earum vinxit, adiunxit ad caudas, & faces in medio ligatas succendit.*
12. *Quòd Samson mandibulam asini arripiens, mille viros in ea Philistinorum interfecit.*
13. *Quòd Dominus interrogatus bis ad ineundum contra Benjamin prælium, dedit assensum, & tandem Israel Benjamin gladiis sternitur.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri Iudicum.

CAPVT I.

In Epistola ad V. Albacem.

Iud. 1. *FVgiente Adonibezech coram filiis Israël, persequentes comprehenderunt eum, cæsis summitatibus manuum eius, ac pedum.* Adonibezech nempe manuum, ac pedum summitate præciditur, dum malignus inter sanctos viros spiritus & incedendi, & operandi virtute priuatur. Qui nimirum dum sua vulnera patitur, hæc eadem sese aliis intulisse gloriatur. Septuaginta, inquit, Reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Septuaginta scilicet Reges, septuaginta sunt linguarum discrepantium nationes, quibus vsque ad Saluatoris aduentum, antiquus hostis & rectè gradiendi, & bona faciendi prorsus abstulerat facultatem. Cui nimirum vtrique gemino vulneri medetur animarum medicus

Hebr. 12. Paulus, cùm dicit: *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris; ne claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Adonibezech quippe Dominus fulminis, vel Dominus contentus vani interpretatur. Fulmen mox vt micare incipit, subitò desinit. Per quod Iudaicus potest intelligi populus: qui nimirum quodam quasi fulgore micant, cùm di-

Deut. 4. cerent: *Omnia quæ præcipit nobis Dominus, & audiemus, & faciemus*; sed mox deficiens lux illa cadebat, cùm ceruices suas tenebrosis dæmonibus inclinabant. Per id verò, quod dicitur, contentus vani, Gentilitas designatur, quæ contenta visibilibus Idolis, non curabant reuerti ad misericordiam Creatoris: & dum veritatis ignorabant cultum, vanis inhiabant cerimoniis Idolorum. De quibus dicit Aposto-

Rom. 1. lus: *Quia Deum non glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Horum igitur duorum populorum ex maxima parte dominatus est Adonibezech, id est, reprobus nequitiæ spiritus; quia & iste quasi fulmen micare cœpit, & desiit; & ille dum vanitate dæmonum contentus extitit, proprij Creatoris auxilium non quæsiuit.

CAPVT II.

In Sermone de S. Cassiano.

Iud. 4. *ERat autem Debora Prophetes, vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore; & sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel, in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filij Israël in omne iudicium.* Sed sic ad exitum celerius peruenitur, si, dum historia texitur, per partes interim exponatur. Per Deboram sanè, quæ loquela, siue apis interpretatur, prophetia non inconuenienter accipitur. Apis quippe mellificat; & de prophetia per Psalmistam dicitur:

Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum ori meo!* Interim nolò vos lateat, dilectissimi, quia historia hæc, quam tractandam

A ex occasione suscepimus, pluribus indiget verbis, quia multis est repleta mysteriis: sed eam idcirco sub breuitate contrahimus, vt dilectionem vestram prolixitatis tædio non grauemus. Consideremus itaque, vbi sedem habere prophetia describitur, videlicet sub palma; quia quos prophetica doctrina suis institutionibus erudit, ad palmam supernæ vocationis adducit; dumque per eam homines viuendi ordinem discunt, vitiorum rebellantium victores fiunt. Nec prætereundum, quod inter Rama & Bethel sedisse perhibetur, Rama siquidem, excelsa; Bethel, domus Dei, sicut iam diximus, interpretatur. Rectè igitur prophetia inter Rama & Bethel habitare describitur: quia quisquis propheticis studet inuigilare doctrinis; quisquis sacrarum Scripturarum lucere vacat eloquiis, sic in domo Dei per desiderium mentis inhabitat, vt

B non infima & momentanea, sed excelsa potius atque cælestia semper inquirat. Hæc vocauit ad se Barach. Porro Barach interpretatur, coruscatio. Coruscatio autem habet quidem lucem, sed non diutius permanentem; mox enim vt lucere incipit, illico deficit. Barach igitur iste Israëlitici populi figuram tenet; qui primus omnium propheticis instructus oraculis, aliquantulum quidem in accepta lege refulsit, sed breui tempore conticuit. In lege quippe, de qua dictum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis*; antiquus ille populus lucere Psal. 118. cœpit, sed desiit. Coruscum quasi claræ vitæ protulit, sed in lucidis operibus non permansit. Nam dum dicerent: *Omnia, quæ præceperit nobis Dominus, & audiemus, & faciemus*; ecce quasi lux corusca-

C tionis exorta: Sed dum repente curuarent genua ante Baal, ecce coruscatio videbatur extincta. Dixit ergo Debora ad Barach: *Præcepit tibi Dominus Israël: Tolle tecum decem millia pugnatorum, & vade in montem Thabor; ego autem adducam ad te in locum torrentis Cison Sisaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, omnemque multitudinem, tradamque eos in manu tua.* Tamquam si per propheticam doctrinam priori populo Deus omnipotens dicat: Decem præcepta legis assume, & virtutum culmen ascende; sicque reproborum principem ac totius iniquitatis auctorem, me tibi vires administrante prosterne. Nec prætereundum, quod princeps ille militiæ Sisara, qui perditioni proximæ erat obnoxius, ad torrentem Cison promittebatur antea deducendos. Quid enim per torrentem Cison, nisi baptismum de-

Ind. 4.

D bet intelligi? Nam cùm catechumenus lauacro sacri fontis immergitur, tamquam Sisara cum suo exercitu, sic nequissimus spiritus cum his, quæ sibi militant vitiis omnibus, necesse est perimatur. Respondit autem Barach ad Deboram: *Si veneris mecum, vadam; si nolueris venire, non pergam.* Ac si carnalis ille Israël prophetiæ respondeat: Nisi iuxta litteras, & quasi secundùm muliebrem intellectum, te mecum semper habuero, spirituale certamen aggredi non præsumo. Cui Debora: *Ibo quidem tecum, sed tibi victoria non reputabitur: quia in manum mulieris tradetur Sisara.* Velut si vetustus ille populus audiat: Tecum

quidem erit exterior, vt postulas, prophetia; A sed spiritualem et antiquo hoste triumphum, non tu, sed sancta potius obtinebit Ecclesia. Illi certè, illi prouenier iure victoria, quæ in Scripturæ mysteriis dum spiritualis intelligentiæ medullam quærit, occidentis litteræ paleas magnupete non attendit. Commisso itaque bello, tandem fugit Sisara in domum Iahel, alienigenæ videlicet mulieris. Quæ profectò sitienti vtrem lactis aperuit, & potum dedit; deinde clauum incerebrum eius per tempus vtrumque defixit, sicque in hominis specie, peruersorum hominum caput, diabolum in- B terfecit. Quid enim Iahel, quæ ascensio interpretatur, nisi sanctam designat Ecclesiam; per quam videlicet solam beatitudo cælestis ascenditur? Vnde & Synagoga de eadem Ecclesia dicit in Canticis: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (Cant. 8.) Hæc mulier alienigena fuit, quia sancta Ecclesia de gentilitate processit. Hæc Israëlitarum hostem prius lacte potauit, postea pilum capiti eius infixit; quia humani generis inimicum, quem sancta prius Ecclesia carnaliter viuendo lactauit, postmodum spiritualiter conuersando quodam acumine, ac virtute Crucis extinxit. Nisi enim insatiabilis homicida perditionem humani generis inexplebili prorsus auiditate sitiret, de illo certè Scriptura non di- C ceret: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* (Iob. 40.) Lac verò fructus est carnis, & blandimenta carnalis significat voluptatis. Quamdiu ergo gentilis populus iuxta legem carnis voluptuosè vixit, tamquam lac, ita vitæ suæ mollitiem sitienti mortem nostram Diabolo propinauit. At postquam sub spiritus se disciplina constrinxit, inuictæ mox Crucis arma corripuit, hostemque salutis humanæ, quem dudum voluptatis lacte potauerat, nunc pœnitentiæ munita præsidio, ligno transfixit. Sic itaque quem Israëlitica plebs superare non potuit, peregrina mulier, hoc est, gentilis Ecclesia, solo Crucis signo prostrauit.

D

CAPVT III.

In Sermone de Exaltatione S. Crucis.

(Iud. 7.) HOc Crucis nempe vexillum & Gedeon sibi, suisque commilitonibus typicè protulit: qui contra arma, arma deseruit: inermis armatos inuasit, & ad debellandum Madianitarum multitudinem, dimissa multitudine, cum paucis venit. Diuina siquidem sibi admonitione præceptum est, vt ad fluuium veniens, omnes, quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, à bellorum congressionibus amoueret. E Factumque est, & trecenti viri tantummodò, qui stantes manibus aquas hauserunt, remanserunt. Quid est autem, quod Gedeon trecentis contentus militibus, ad bella progreditur, nisi quia hic numerus in Thau littera, quæ videlicet Crucis exprimit speciem, continetur? Cui profectò litteræ si super transuersam lineam id adderetur, quod in Cruce superiùs eminet, non iam Crucis species, sed potius ipsa Crux esset. Quia igitur trecentenarium numerum Thau littera continet, quæ figuram Crucis exhibet, non immeritò in his trecentis Gedeonem sequentibus, illi omnes designati sunt, quibus dicitur: *Si quis* A *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* (Luc. 9.) Qui nimirum sequentes Dominum, tantò veriùs Crucem tollunt, quantò & ipsi acriùs affliguntur, & erga delinquentes proximos vel egentes piæ compassionis incendio concremantur. Vnde per Ezechielem dicitur: *Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Hierusalem.* (Ezech. 9.) Vel certè in his trecentis, qui Thau littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium Crucis ligno superetur.

B

CAPVT IV.

In Sermone de sanctis Virginibus.

(Iud. 7.) CVm Gedeon auscultandi gratia ad castra Madian, Domino præcipiente, dirigitur, Madianitas quispiam, alter ad alteram vidisse se somnium confitetur. *Videbatur, inquit, mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad Tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit aduitor: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Madian, & omnia castra eius.* Per Gedeon, qui non circuitus, sed circuiens in vtero dicitur, ille meritò designatur, qui dum virginali clau- C deretur in aluo, totam mundi machinam suo circumdabat, ac dispenebat imperio. Per Madian autem, qui de iudicio interpretatur, populus infidelis accipitur; de quo Dominus ait: *Qui non credit, iam iudicatus est.* (Ioan. 3.) Porrò autem vsque ad Saluatoris aduentum, more hordei, sub paleis litterarum, & legis præcepta, & Prophetarum tegebantur oracula; sed postquam ille veniens, panes hordeaceos fregit, deditque discipulis, vt turbis apponerent. Cuius etiam operis expositio est, quod Euangelista dicit: Quoniam, *aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*; (Luc. 24.) iam ex hordeo, quod brutis videbatur animalibus congruere, panem facere dignatus est animarum. Sicut enim hordeum inter molam vtramque conteritur, vt à D farinæ farragine cantabrum secernatur; ita velut inter duos (legis scilicet, & Euangelij) lapides, sanctæ Ecclesiæ doctrina commolitur, vt litteræ superficies à medullibus spiritus discernatur. Sed vt in his verbis non diutius immoremur, hæc hordei farina, sacri baptismatis aquâ conspersa, siue conflata, & sancti Spiritus igne percocta, fit panis: qui videlicet Madian castra subuertit; quia cunctas infidelium machinas destruit. Hic panis, iuxta veri illius interpretis coniecturam, Gedeonis est gladius, quia sicut Apostolus ait: *Gladius spiritus est verbum Dei.* (Ephes. 6.) Hoc sancti Spiritus gladio E Rex exercituum Christus suos armat milites; hoc etiam suas præcingit ac roborat bellatrices. Ex vtroque siquidem sexu militiæ suæ cuneos instruit, aciesque componit; quia viros, ac fœminas ad præmium beati certaminis indifferenter admittit.

CAPVT V.

In Sermone de S. Matthæo.

Iud. 8. N*Onne* (inquit Gedeon) *melius est race-*
mus Ephraim vindemiis Abiezer? Nam quia
Ephraim, quod fœcunditatem sonat, Ecclesiam
exprimit, quid per racemum Ephraim nisi Chri-
stum? quid per vindemias Abiezer, nisi Iudaico-
rum multitudinem Sacerdotum? Siue etiam per
racemum paruus fidelium numerus primitiuæ
Ecclesiæ: per vindemiam verò multitudo in-
telligenda est Synagogæ. Melior est ergo race- B
mus Ephraim vindemiis Abiezer; quia beatior
fuit primitiua Ecclesia, quæ vsque in finem sæ-
culi renascentium sobole fœcundatur; quàm
Synagoga, quæ paulatim quotidie defectura mi-
Esai. 54. nuitur. Vnde & per Esaiam dicitur: *Lauda steri-*
lis, quæ non paris, decanta laudem & hymnos, quæ non
pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius,
quæ habet virum: dilata locum tentorij tui, & pelles
tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac
funiculos tuos, & clauos tuos consolida, ad dexteram
enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes
hæreditabit. Hæc sanè, cuius semen gentes hære-
ditat, Ecclesia est, quæ quotidie genus humanum
per suos filios ad fidei voitatem vocat. Hæc est,
de qua dicitur in Psalmis, pro ea, quæ consequi- C
In Tit. tur hæreditatem. *Hæc est vinea quæ laudem decan-*
Psal. 5. *tare præcipitur;* sicut & apud eumdem Prophetam
Esai. 27. alibi reperitur: *In illa die vinea meri cantabit ei:*
Ego Dominus, qui seruo eam. De hac vinea beatus
Matth. 21. quoque Matthæus Dominum dixisse comme-
morat: Quia *homo erat paterfamilias, qui plantauit*
vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcu-
lar, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, &
peregrè profectus est. Hæc vinea ex illo prodiit bo-
tro, qui pedibus Iudæorum, atque Gentilium in
crucis calcatus est prælo, ex quo pretiosi sangui-
nis vnda profluxit; quæ mentes hominum malè
sobrias vino spiritualis gratiæ salubriter debria-
uit. De quo scilicet vino cùm diuersis linguis per
Spiritum sanctum loquerentur Apostoli, dictum D
Act. 2. est: *Musto pleni sunt isti.*

CAPVT VI.

In Epistola ad Petrum Archipresbyterum, de inconti-
nentia Clericorum.

Iud. 8. & 9. A*Bimelech filius Ierboal,* (quem Scriptura
genitum refert de concubina, quam habue-
rat in Sichem) *occidit fratres suos filios Ierboal, se-*
ptuaginta viros super lapidem vnum. Quid enim per
septuaginta viros, nisi Prædicatorum Ecclesiæ
libra signatur? de quibus ait Lucas Euangeli- E
Luc. 10. sta: Quia *designauit Dominus septuaginta, & misit*
illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem &
locum, quò erat ipse venturus. Hic etiam prædican-
tium ordo iam figurabatur in illis, de quibus ad
Moysen Dominus ait: *Congrega mihi septua-*
Num. 11. *ginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd*
senes populi sint & magistri, & duces eos ad ostium
tabernaculi fœderis. Quid verò per Abimelech,
qui eorum frater erat, sed spurius, nisi luxu-
riosi atque carnales intelligendi sunt Clerici,
qui Catholicorum, sanctorumque Pontificum,
& fratres quidem sunt per acceptum Ecclesia-
sticum ordinem, & tamen spurij iudicantur

A per degeneris vitæ, & ignobilium operum
prauitatem? Hi fratres suos occidunt, cum san-
ctorum Patrum iudicia destruunt; cum sanctio-
nes eorum, atque decreta peruersè viuendo con-
fundunt. Et hæc interfectio fit super lapidem
vnum. Lapis iste Saluatoris est Ecclesia, de qua
per Zachariam dicitur: *Ecce ego adducam seruum* Zachar. 3.
meum orientem; quia ecce lapis, quem dedi coram
Iesu; super lapidem vnum septem oculi sunt. La-
pis iste vtrobique vnus aptissimè dicitur, vt vni-
tas Ecclesiæ commendetur; de qua Sponsus ait
in Canticis: *Vna est columba mea, vna est genitri-* Cant. 6.
cis suæ. Quid sunt autem septem oculi super la-
B pidem vnum, saluo tamen, si est, altiori myste-
rio, nisi illi septuaginta viri, hoc est, Doctores
sancti in Ecclesiasticæ pacis vnitate coniuncti,
& septiformis sancti Spiritus charismatibus il-
lustrati? Per hos enim oculos sancta videlicet
Ecclesia, per hos conspicit vbi recti operis pe-
dem ponat, ac per viam mandatorum Dei
gradiens, normam rectitudinis non offendat.
Abimelech ergo manzer & spurius septuagin-
ta legitimos fratres super vnum lapidem pe-
rimit, quando pars Clericorum ab Ecclesiasti-
cæ castitatis nobilitate degenerans, obscœnæ
se luxuriæ legibus subiicit; & dum sacros Ca-
nones reprobandos iudicat, eorum conditores,
sanctos videlicet viros, ac per hoc nobiles, Ge-
C deonis, id est, Saluatoris & Ecclesiæ filios im-
pia quodammodo crudelitate trucidat. Quam-
quam non ignoremus, non absurdè signi-
ficari posse per Ieroboal, Christum: per Abi-
melech, Antichristum. Qui nimirum sicut il-
le concubinæ, sic & iste est reiectæ filius Syna-
gogæ. Per septuaginta verò fratres, quos Abi-
melech occidisse narratur, septuaginta lingua-
rum gentes, quas Antechristus in sæculi fine
persequitur,

CAPVT VII.

In Epistola ad Bonifacium Episcopum, de Curialibus
Episcopis.

D S*Tetit Ioathan in vertice montis Garizim, eleuatá-* Iud. 9.
que voce clamauit: Audite me, viri Sichem, ita
vt audiat vos Deus, Ierunt ligna, vt vngerent super
se Regem, dixeruntque oliuæ: Impera nobis. Quæ
respondit: Numquid possum deserere pinguedinem
meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire, vt
inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem
ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ re-
spondit eis: Numquid possum dulcedinem meam de-
serere, fructusque suauissimos, & ire, vt inter cæte-
ra ligna promouear? Locuti sunt quoque ligna & ad
E *vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit: Num*
possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum,
& homines, & inter cætera ligna promoueri? Deinde
Scriptura subiungit: *Dixeruntque omnia ligna ad*
rhamnum: Veni, & impera nobis. Qui respondit eis:
Si verè Regem me vobis constituitis, venite, & sub
vmbra mea requiescite. Longum est, si dicamus
Gedeonem typum tenere Saluatoris. Per plu-
rimas eius vxores, diuersas debere nationes
intelligi, quæ sibi cohæsere per fidem. Per se-
ptuaginta filios, totidem linguarum popu-
los. Per concubinam, Synagogam. Per Abime-
lech, Antichristum, qui Synagogæ filius erit.
Vnde & in Apocalypsi his, qui credituri sunt
dicitur: *Qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt,* Apoc. 2.

sua sunt Synagoga Satanæ. Et sicut ille peremit A septuaginta fratres: sic iste persecutus est omnes, quæ sibi non consentient, nationes. His, inquam, omissis, quæ longioris styli videntur egere tractatu, in quantum patitur epistolare compendium, ita dumtaxat cœptæ disputationi congruere videatur, prolixæ historiæ figuram succinctè perstringimus. Quid ergo per Ioathan, qui interpretatur, consummatus, siue perfectus, nisi sanctum, & doctum quempiam Prædicatorem debemus accipere? Hic in montem Garizim ascendit, & voce magna clamauit. Priùs ascendit & postmodum clamauit. Antè consurgit in montem, & sic eleuat vocem. Quia nisi Doctor virtutum priùs culmen B ascendat, inaniter clamat; sicut per Esaiam dicitur: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.* Per Garizim autem sancta designatur Ecclesia, quæ virtutum omnium est schola, & cœlestium segetum vbertate fœcunda. Hic est enim mons, qui dandis per Moysen benedictionibus deputatus est. Et Ecclesia mons benedictionis est, cuius filiis per Apostolum dicitur: *In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* Hanc hæreditatem à vidua matre suscepimus, pro qua vit eius mori dignatus est, de qua & per Psalmistam dicitur: *Viduam eius benedicens benedicam.* Et congruè Garizim, qui interpretatur, diuisio, vel aduena, sanctam figurat Ecclesiam, quoniam C Ecclesia gentium, quæ priùs extitit funditus à lege Dei diuisa, in prima vocatione facta est adueua, iamque per incrementum gratiæ facta est omnino domestica. Vnde iam firmiter radicatis, & velut in vrbe compositis, Paulus ait: *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Sed vt omittentes plurima, quod propositum est, transiliendo celeriter percurramus. Ligna siluæ sunt homines vani, & infructuosi, ac flammis vltricibus merito suæ sterilitatis obnoxii. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quid per oliuam verò, quæ & signum pacis ostendit, oleisque pinguedinem fundit, nisi illi designantur, qui Spiritus D sancti pinguedine delibuti, euangelizando pacem, reconciliant homines Creatori? *Quàm,* inquit, *speciosi pedes euangelizantium pacem.* Ficos autem sacræ Legis imaginem tenet. Vnde & in Euangelio dicitur: Quia, *quidam paterfamilias plantauit vineam, in qua scilicet plantauit & ficum.* Vinea quippe Domini Sabbaoth, domus est Israel; in qua nimirum plantauit diuina manua Decalogum legis. Sed hæc ficus priorem populum quasi grossos suos, acidos scilicet & inutiles protulit, & abiecit; nouum verò Christianæ fidei germen ad maturitatem internæ pinguedinis, suauitatemque perduxit. De quibus Hieremias ait: *Video ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde: quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ.* Per E ficus ergo illi possunt non inconuenienter intelligi, qui sacræ Legis eruditione sunt sufficienter instructi. Vitis etiam idipsum penè videtur significare quod ficus. Dicit enim Dominus: *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Et quia de palmitibus fiunt vites, quid mirum si & sancti Doctores asserantur vites; vt quod Saluator mundi per naturam, hoc illi glorien-

Esai. 40.
1. Pet. 3.
Psal. 131.
Ephes. 2.
Matth. 3.
Rom. 10.
Matth. 21.
Esai. 5.
Hier. 24.
Ioan. 15.

tur habere per gratiam? Qui nimirum dum triumphum Dominicæ passionis prædicare non cessant, quasi per doctrinæ suæ botros arentia corda nostra vino beati cruoris inebriant. De hoc vino per Iacob super Saluatore nostro allegoricè dicitur: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine pallium suum.* Stola Christi fuit in Apostolis, & cæteris credentibus Synagoga; cuius etiam pallium gentilis est populus. De quibus sibi per Prophetam dicitur: *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.* Hos itaque Christus in sanguine suo lauit, quem de semetipso contritus in prælo Crucis expressit. Vnde & Ioannes ait: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Cùm igitur oliua, ficus, ac vitis, hoc est, spirituales viri lignis præesse siluestribus, id est, terrenis hominibus, atque carnalibus, nullatenus acquiescant, offert se rhamnus, & ab eis consumendus, & eadem, vel prauæ conuersationis exemplo, vel erronei dogmatis incendio consumpturus. Rhamnus enim spinia crebrescentibus horret: per quem scilicet quilibet peruersus innuitur, qui sic peccatorum tamquam veprium asperitate densatur. Vnde & primo homini dictum est: *Terra tua spinas, & tribulos germinabit tibi;* id est, corpus tuum aculeatis vitiorum punctionibus subiacebit. Et per Prophetam Dominus: *Spinis,* inquit, *peccatorum suorum circundederunt me.* Lignis itaque petentibus Regem, id est, prauis quibusque carnaliter eligentibus præsulem, rhamnus accedit in medium, quilibet videlicet reprobus, qui & ignem damnationis in se ea eorum prauitatibus augeat, & eos peruersè viuendo, vel docendo reciproca combustione consumat. Vnde & illic dicitur: *Egrediatur ignis ex eo, vt consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello, egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.* Hæc autem Ioathas constitutus in vertice montis eloquitur; quia per sanctos in Ecclesia Prædicatores addiscimus, quomodo quibusque peruersis, ac reprobis vana petentibus resistamus.

Esai. 49.
Esai. 49.
Apoc. 1.
Gen. 3.
Thren. 3.
Iud. 9.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Petrum Archipresbyterum, de incontinentia Clericorum.

Abimelech audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta securi præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, citò facite. Deinde sequitur: *Igitur certatim eamos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem: quibus circundantes præsidium succenderunt: atque ita factum est, vt fumo & igne mille hominum necarentur, viri pariter & mulieres habitatores turris Sichem.* Non est huius loci sacræ figuras historiæ soleter exponere; sufficit nobis, quantum ad propositum attinet, tenui summotenus prælibate. Rami arborum sunt sententiolæ Scripturarum, quas dum impudici quique ad allegationia suæ robur violenter inflectunt, fumo simul & igne numerosas hominum cateruas extinguunt; fumo, scilicet erroris, & igne libidinis, vt deceptas male discentium mentes & luxuriæ flamma succendat, & praui dogmatis caligo confundat,

Iud. 9.

Hæ sunt enim merces, quæ de Sodomis, & Gomorrha prodire visæ sunt post excasum. (A) *Abraham*, inquit Scriptura, *consurgens mane, vbi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum.* (Gen. 19.)

CAPVT IX.

In eadem Epistola.

PORRO autem dum & Thebes cum suis agminibus obsideret oppidum, eundem contra castitatem Abimelech, videtur figurasse conflictum. (Iud. 9.) *Erat autem turris excelsa*, vt Scriptura testatur, *in medio ciuitatis, ad quam confugerant viri simul ac mulieres, & omnes principes ciuitatis, clausa* (B) *firmissimè ianua, & super turris tectum stantes per propugnacula.* Ciuitas, vniuersalis Ecclesia: turris, castitatis est eminentia: ad quã confugerant viri simul ac mulieres, fortes scilicet & infirmi. Principes etiam ciuitatis, ordo videlicet Clericorum, qui tenet Ecclesiæ principatum. Accedens itaque Abimelech iuxta turrim, cœpit instantiùs dimicare, & appropinquans ostio, ignem conabatur apponere. Hoc itaque modo Clerici petulantes & infruniti, turri castitatis moliuntur incendium, dum multos ad suæ libidinis & æstuantis insaniæ cohortantur exemplum. Ignibus armati turrim castitatis impetunt, dum incesti castos flamma pestiferæ persuasionis accendunt. Sed huic certamini qui finis imponitur? quos victoriæ titulos hæc pugna sortitur? Ecce, inquit, mulier fragmentum molæ desuper iaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit citò armigerum suum, (C) & ait ad eum: *Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sum.* Qui iussa perficiens, interfecit eum. Vt autem in his verbis non diutius immoremur, fragmen hoc molæ, quod Abimelech cerebrum fregit, nihil est aliud, quàm saxum illud, quod Daniel sine manibus abscissum de monte conspexit: (Dan. 2.) ipse videlicet Dominus, qui de se in Euangelio dicit: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.* (Matth. 21.) Mulier verò, de cuius manibus mittitur, sacra Lex est, quæ flagitiosis pudicitiæ contemptoribus, repentinum Christi iudicium comminatur. De quo per Hieremiam dicitur: (Hier. 23.) *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterens petram?* Armiger verò Abimelech, diabolus est, qui videlicet omnibus, qui turrim castitatis oppugnant, arma libidinis & acuta luxuriæ iacula subministrat: (D) De quibus iaculis dicit Apostolus: (Ephes. 6.) *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et Propheta: (Ezech. 32.) *Ibi*, inquit, *Assur cum armis suis.* Quem ergo mulier fragmine molæ percussit, armiger eius peremit; quia castitatis aduersarios, quibus Scriptura sacra iudicium diuinæ animaduersionis intentat, diabolus æternæ mortis internecione trucidat; vt quibus fuerat minister in pugna, eorundem sit postmodum tortor in pœna; quæque illis contra pudicitiam arma suggesserat, eadem exigentibus meritis in eorum tunc iugulum vertat.

CAPVT X.

In Sermone de Sancto Autimo.

QVorundam planè fides est vana, flaccida, (Iud. 12.) prætendens quidem in superficie similitudinem, non autem habens intrinsecus veritatem. Horum porrò tenuere figuram, qui olim de populo Ephraim venientes ad vada Iordanis, dum nescirent exprimere † Sebboleth, sed † Sibboleth potius, tanquam peregrina lingua proferrent, Galaaditarum gladiis cæsi sunt. († Schibboleth. † Sibboleth.) Quid enim per Iordanem, in quo Saluator noster baptizari dignatus est, nisi baptismus? Quid verò per Sebboleth, quod interpretatur, spica, nisi fides est in- (B) telligenda? sicut enim spica victum præbet hominibus, ita & de fide dicitur: *Quia iustus ex fide viuit.* (Abac. 2. & Rom. 1.) Et sicut spica multa in suis aristis grana recondit; ita & symbolum nostræ confessionis plurima in se fidei semina colligit. Venientes itaque ad Iordanem Ephrataei consuluntur à Galaaditis, quomodo spicam exprimant: Venientes etiam ad baptismi lauacrum catechumeni, inquiruntur à Sacerdotibus, qualiter credant. Et quoniam Galaad interpretatur, aceruus testimonij, rectè per Galaaditas, Sacerdotes Ecclesiæ intelliguntur, qui prædicationibus suis opera diuina testantur. Per Ephraim verò, quod fœcunditatem sonat, illi designantur, qui idcirco ad fidei perueniunt spicam, vt prouentum fœcunditatis per boni operis segetem proferant. Sicut ergo ij, qui ad Iordanem veniunt, spicam quidem intelligunt, sed quia exprimere nesciunt, moriuntur: ita & qui fontem baptismatis expetunt, à vita funditus decidunt, nisi fi- (C) dem ipsam, quam edocti sunt credere, studuerint etiam bonorum operum enuntiatione proferre. Ita nimirum alterum pendet ex altero, vt semen fidei exurgere debeat in spicam operationis. Quod & Saluator noster euidenter ostendit. Nam cum præciperet Discipulis dicẽs: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, (Matth. 28.) protinus addidit: *Docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Ac si apertè dicat: Semen fidei in cordibus hominum serite, & mox mandatorum germinantium spicam, qualiter operationis lingua exprimere debeant, edocete; ne solœcismum faciant in spica operis, qui se de monte Ephraim, hoc est, de celsitudine esse testantur Ecclesiasticæ fœcunditatis. Quapropter, dilectissimi, caueamus ne fides nostra superducto nos solius professionis (D) colore decipiat; & tanquam inanis spica, vacantibus culmis, absque dilectionis medulla follescat. Imitemur fidem Martyrum, per quam vincentes regna terrarum, adepti sunt præmia promissa cælorum. (Hebr. 11.) Sit ergo fides nostra solida, sit vera, sit robusta; vt nunc eundo per fidem perueniamus ad speciem: videndo per ænigmatis speculum, quandoque perducamur ad ipsius summæ veritatis obtutum. (1. Cor. 13.)

CAPVT XI.

In Epistola ad Adelaidem Comitissam, quæ eam confoederat Episcopo, propter incontinentiam Clericorum.

SIcut vetus narrat historia: *Cepit Samson trecentas vulpes, caudasque earum adiunxit ad caudas, & faces ligauit in medio; quas igne succendens, dimisit, vt huc, illucque discurrerent: quæ statim perrexerũt in* (Iud. 15.)

segetes Philistinorum; quibus succensis consumtatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipulâ concrematæ sunt, in tantum vt vineas quoque, & oliueta flamma consumeret. Hæc plane historia licet principaliter designet hæreticos, qui quasi trecentenario numero continentur, quia sanctæ Trinitatis fidem verbotenus confitentur: sed dum sub velamento orthodoxæ fidei in prima sermonis sui fronte se palliant, ignem prauæ doctrinæ in posterioribus, quo fruges omnium bonorum operum exurantur, occultant. Quamuis, inquam, per has vulpes designentur hæretici, his tamen incontinentes Clerici cum suis pellicibus possunt non inconuenienter aptari, qui quasi solutis pedibus gradiuntur, dum honestatis aliquando speciem simulatè prætendunt: sed cum accensis facibus combinantur in caudis; quia quasi postposito, &, in quantum valent, occulti igne impudici conglutinantur amoris. Hæ itaque vulpeculæ, igne interueniente coniunctæ, & libidinis facibus combinatæ, omnia Philistinorum sata consumunt: quia spirituales fructus Ecclesiæ destruunt, &, quantum ad se, bona opera fidelis populi diuinæ indignationis igne succendunt. De quo igne mysticè per Psalmistam dicitur:
Psal. 77. *Tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni.* Quoniam sicut boni Sacerdotes Deo quorumlibet fidelium oblationes, & vota commendant; ita plerumque qui sacris altaribus indigni sunt, horribiliter grauant. Quòd autem mali Sacerdotes vulpibus comparantur, Ezechiel quoque Propheta testatur, dicens:
Ezech. 13. *Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui erant Israel.*

CAPVT XII.

In Sermone de sanctis Virginibus.

SAluator noster in huius mundi campum potestates aëreas debellaturus adueniens, non elegit Rhetores, & Philosophos, sed simplices, ac litteralis industriæ prorsus ignaros; quoniam,
2.Cor.1. sicut ait Apostolus: *Quæ stulta sunt huius mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma, vt*
Iud. 15. *confundat fortia.* Hoc namque illa Samson victoria benè figurauit: qua mandibulam asini ferue factam arripiens, mille Philistinorum viros occidit. Quid enim per mandibulam asini, quod
A vtique simplex est animal, nisi imperita simplicium hominum ora signantur? Samson itaque non cum armis, non cum diuersis telorum generibus, sed cum mandibula asini mille viros occidit quia Redemptor noster, quem ille signabat, cum imperitis, & rudibus perfectum infidelium numerum à vita veteris erroris extinxit. Quid autem mirum, si sanctos Prædicatores per asini maxillam sacrum designet eloquium, cùm & ipsum prædicationis verbum per hordeum quandoque denuntiet, quod est vtique pabulum iumentorum. Quod certè non modò per Euangelicos quinque panes agnoscitur, sed per illud Iodn. 6.
quoque, quod ille, qui in castris Madian se somniasse perhibabat, socio referebat: *Videbatur,* inquit, *mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui,* Iud. 7.
B *& in Madian castra descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit.*

CAPVT XIII.

In Epistola ad Canonicos Fauenses.

QVi alios ad rectitudinis viam debet instruere, valde cauendum est ne ipse, quod absit, in aliquo videatur errare. Hinc est, quòd Israëliticus populus ad vlciscendum scelus † Benjamin zelo rectitudinis inflammatur, & tamen idem populus gladiis Benjamin ante prosternitur. Quẽ enim non moueat, quod Dominus bis interrogatus, bis ad ineundum contra Benjamin prælium dedit assensum, & tamen in primo certamine
C viginti duo millia de Israëlitis, in secundo verò decem & octo millia ceciderunt. Quid igitur in his intelligendum est, quid sentiendum, nisi quia prius curandi sunt à tumore proprij vulneris, qui ferire morbos alienæ gestiunt prauitatis: vt ipsi iam mundi per vltionem suimet veniant, qui aliorum percutere praua festinant? sicut in Euangelio dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, prius in* Ioan. 8.
illam lapidem mittat. Vnde rectè eum illi Dominum consulentes, dicunt: *Quis erit in exercitu nostro Princeps certaminis contra Beniamin filios* Iud. 20.
Respondit: *Iudas sit dux vester.* Quia enim Iudas, confessio interpretatur, rectè dux illius belli iudex constituitur; vt nimirum prius per confessionem propria studeat errata corrigere, qui aliis volunt errorem confitentibus subuenire.

Expliciunt Testimonia Libri Iudicum.

Incipiunt Capitula Libri 1. Regum.

1. *DE Heli, qui filiorum peccata non dignè corripuit.*
2. *Quòd dum ciues Iabes Galaad fœdus ab Naa Ammonite, qui eam obsidebant, expeterent, Naas respondit: In hoc se cum eis ferire fœdus, vt erueret omnium oculos dextros.*
3. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.*
4. *Quòd cum Saul regnare cœpit, faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel.*
5. *De Merob, & Michol filiabus Saul, quas ille fœderauit Dauid in vxores sed vna subtracta, alteram sibi Dauid vxorem coniunxit.*
6. *Quòd Dauid à facie Regis Saul fugiens, coram Achis Rege Geth se furere simulauit.*
7. *De Phitonissa, quæ Regi Saul bona pro malis reddens, vitulum coxit, & edulium praparauit.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri 1. Regum.

CAPVT I.

In Epistola ad Nicolaum Papam, de incontinentia Episcoporum.

Reg. 2. HEli, qui filiorum peccata cognouit, sed eos inuectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filiis a Philistiim in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit, fractisque ceruicibus expirauit. Quin & arca Domini ab hostibus capta est; & prius quidem quatuor millia, deinde triginta millia virorum sunt, Philistæo trucidante, prostrata. Et quidem redarguit, & quidem corripuit, sed leuitate & man- B suetudine patris, non seueritate, vel auctoritate Pontificis: *Quare*, inquit, *facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filij mei; non est enim bona fama, quam audio.* Audierat enim, Scriptura testante, quia dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Porro quos inimicos Dei vidit, in perniciem suam filios recognouit: & quos hostili ferire gladio debuit, paternæ blanditiæ lenitate palpauit. Non sic ille fidelis in domo Domini famulus Moyses, magister videlicet ingenui Phinees. Stans enim in porta castrorum ait: *Si* Exod. 32. *quis est Domini, iungatur mihi; congregatique sunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat gladium vir super femur suum; ite, & redite de porta vsque ad portam castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & proximum, & amicum suum. Cæsis itaque viginti tribus millibus hominum,* C *ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Planè sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt, ita nihilominus maledictioni obnoxij sunt, qui peccantibus blandiuntur. Sicut Hier. 48. per Prophetam dicitur: *Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine.* A sanguine quippe gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reproS. Greg. bis digna sententiæ animaduersione coercet. Facti siquidem culpam habet, qui, quod potest, ne1. Reg. 2. gligit emendare. Vnde & præfato Heli, vir Dei, qui & Phinees fuisse putatur, ait: *Hæc dicit Dominus: Quare calce abiicitis victimam meam & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo, & magis honorasti filios tuos, quàm me?* Si ergo Heli propter D duos dumtaxat filios, quos nō ea, qua digni erant, inuectione corripuit, cum eis simul & cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica, & solils iudicantium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni iudicis diuinæ legis mandata confundunt; & dum perditis hominibus amittendi honoris officium seruant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis auctorem crudeliter inhonorant? Vnde & eidem Heli, qui Deum, suos filios honorando, contempserat, diuina vox ait: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vbi mox subditur: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui*; ac si apertè dicat: Quia ego per pastoralis officij dignitatem con- A tra inimicos meos brachium tibi fortitudinis contuli, sed tu ad eorum vltionem illud exercere noluisti: iam brachium à te præcidam, id est, vigorem tibi sacerdotalis culminis auferam, vt qui manceps fueras ad pugnandum pro me, iam nec manum habeas ad tuendum te.

CAPVT II.

In Epistola ad fratres Cluniacenses.

FVgiendus est mundus, qui tenebras parturit; petenda remotio, vbi tanquam in deserto verum lumen erumpit. Prorsus à nostra repel- B lendus est amicitia, qui oimitum dum tenebrarum, in quibus semper est, caligines inserit, consentientibus sibi, atque obedientibus lumen extinguit; immo debemus ei semper infœderabile bellum, qui suorum oculos obruit amicorum. Hinc est quod sacra Regum historia narrante didicimus: Quia *cum Naas Ammonites ascenderet, vt Iabes Galaad cum suis agminibus expugnaret, omnes viri Iabes ad Naas vna voce dixerunt: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Quibus ille respondit: In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium vniuerso Israeli. Dixeruntque ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios in vniuersos terminos Israel; si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Audiens hæc Saul, exercitus multitudinem congregauit, arma corripuit, & ex* C *Ammonitis graui admodum cæde percussis, cum gloria triumphauit.* Quid itaque per Naas Ammonitem, superbum videlicet Regem, nisi vel mundum Creatori suo rebellem, vel diabolum eius intelligimus principem? De quo nimirum dicitur: Quia *ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Et quia Naas, serpens interpretatur, rectè per hunc venenosus ille, & lubricus anguis exprimitur. Quid verò per Iabes, quæ ciuitas erat Israëlitica, nisi anima innuitur Christiana, ad videndum Deum per studium contemplationis intenta? Et quia Iabes interpretatur, exsiccata, vel siccata, congruè per Iabes illa intelligitur anima, quæ supernæ gratiæ pinguedinem deserit, & in æstu concupiscentiæ carnalis arescit. Recedens quip- D pe ab inhiando diuini muneris rore, fit sicca, quem antea dum perciperet, vigebat salubriter irrigata; Domino per Esaiam dicente: *Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam.* Sed Naas cum Iabes fœdus aliter dedignatur inire, nisi oculum dextrum paciscatur eruere. Quia quisquis vel antiquo hosti, in peruersa suggestione subseruitur, vel mundi huius inquietis actionibus implicatur, dum se tanquam superbo Regi turpiter fœderat, necesse est vt dextrum oculum, hoc est, lumen contemplationis amittat: & sic opprobrium in Israël ponitur; quia dum à contemplationis arce ad terrena vel immunda quælibet exequenda deuoluitur, consequens est, vt in Ecclesia probrosæ derisionis obtrectationibus mordeatur. Petunt autem illi septem dies inducias; & quia Deus septimo die requieuisse à cunctis operibus legitur, quid per septenarium numerum, nisi requies designatur? Istum

Marginalia (right column): 1. Reg. 11. — Iob. 41. — Esa. 44. — Gen. 2.

numerum Saul inobediens ignorauit, cum per A eum se Samuel præstolandum esse præcepit. *Septem*, inquit, *diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.* Sed quis spiritualem requiem vir reprobus spreuit, exagitandum eum Spiritus malus arripuit. Per septenarium ergo dierum numerum ab iniquo Rege Iabes ciuitas liberatur: quia quælibet anima, quam, suadente diabolo, mundus ad se conatur attrahere, ac negotiorum sæcularium tenebris excæcare, illæsum contemplationis oculum seruat, si omnino resistens in suæ quietis proposito perseuerat: eamque Redemptor hostes de tentatione, quam patitur, eripit, cùm eam in remotionis suæ censura quiescere deprehendit. Vnde illic scriptum est: *Cum venisset*, inquit, *dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes, & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies.* Quid enim per Saul, qui Christus Domini dicebatur, nisi is, qui verus Rex est Israël, Dei, hominumque mediator innuitur? Quid est quod populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales animæ virtutes, Fides scilicet, Spes & Charitas? In trifariis itaque bellatorum partibus victoria certaminis obtinetur, quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. Porro nec ipse à mysterio vacat pugnatorum numerus, quem Scriptura pronuntiat: *Fuerunt*, ait, *filiorum Israël trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia;* Millenarius autem, atque denarius, quia perfecti C sunt numeri, sanctorum perfectionem; trecenti verò, vel triginta, quia à tribus oriuntur, diuinam significant Trinitatem. Quid itaque per trecenta millia, vel triginta millia bellatorum, nisi sancti Doctores intelliguntur Ecclesiæ, qui & fide sunt orthodoxi, & religiosis operibus consummati? Cum his ergo Saul hostiles Regis Naas acies superat; quia cum Doctoribus Ecclesiæ suæ Christus de veternosi serpentis versuta machinatione triumphat. Nam cum eorum præcepta, vel exempla subtiliter attenduntur, mox corda torpentia, quæ iam noxius tepor inuaserat, recalescunt, & ad obtruncandas impugnantium vitiorum acies, velut elato mucrone, spiritus in- D flammatur. Vnde & ipsi bellatores Israël, & Iuda, nuntiis, qui ad se venerant, dicunt: *Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit Sol.* Nam cùm mens per desidiam primitus tabefacta, iam in se reuersa ad Conditoris sui desiderium recalescit: cùm torporem negligentiæ deserit, & frigus insensibilitatis pristinæ flamma sancti amoris accendit, tunc velut incalescente Sole victoria de hostibus sumitur, & obsessa ciuitas de superbi Regis manibus liberatur. Hinc est quod de Abraham scriptum est: Quia *apparuit ei Dominus in conualle Mambre, in ipso feruore diei.* Hinc est quod Loth: *Sol*, inquit, *ortus est super terram, & Loth ingressus est Segor.* Re- E ctè igitur siue mundi, siue principis eius amicitias dedignamur, & cum eis simul societatis fœdus habere contemnimus; ne dum tenebris iungimur, luce priuemur. Et notandum quod iniquus Rex non duos inimicis eruere, sed vnum dumtaxat oculum flagitat, vt eos in Israël opprobrium ponat; quia sæpè malignus hostis consentienti sibi cuilibet reprobo homini potiorem partem sanctitatis, ac lucidi operis adimit: minorem verò artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit; vt in eo quod tollitur, sit occasio damni: in eo verò quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, vt peccator ad pœnitentiam non recurrat, sed ex ipsis sanctitatis amissæ reliquiis, quibus tanquam baculo transgressor innititur, ab his, qui eum cecidisse nouerunt, insanius laceratur, sicque pii operis detrimentum digna fit irrisionis opprobrium.

1. Reg. 10.
1. Reg. 16.
1. Reg. 11.
Ibid.
Gen. 18.
Gen. 19.

CAPVT III.

In Epistola ad Albericum; in qua ei super decem quæstionibus respondet.

B *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël.* Hoc nonnulli intelligi sic arbitrantur: Quia Regi Saul in exordio regni sui filius erat anniculus, qui teneram adhuc vnius anni vagiebat infantiam, scilicet Isboseth. & hic duobus annis post mortem patris regnauit super Israël. Sed quoniam hic à doctioribus viris sensus explodium, à nobis etiam alius inquiratur. Quod ita B. Hieronymus docet intelligi: Quoniam *sic erat innocens, tanquam puer vnius anni cum regnare cœpit, & duobus annis in eiusdem innocentiæ simplicitate permansit. Sed qui tunc erat ex humilitate liber, postmodum per superbiam factus est seruus.*

1. Reg. 13.
S. Hieron.

CAPVT IV.

C *In Epistola ad Aliprandum: qua est de correptione, quàm sit vtilis in sancti ordinis disciplina.*

SPiritualis planè quisque conuentus, si fraterni zeli frequenti correptione non vtitur, Israëliticæ plebis mystica laborat inopia: quæ videlicet incipiente Saul Regis imperio, fabrum ferrarium non habebat. Dicit enim Scriptura: *Quia faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël.* Porro sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, & quasi cudendo, rigidæ mentis duritiam frangit. Hinc est quod de ipso fabrorum D spiritualium Principe per Esaiam dicitur: *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunam, & proferentem vas in opus suum.* De ferro quoque Ecclesiastes dicit: *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum erit, multo labore exacuetur, & post industriam sequitur sapientia.* Sed Philistæi de terra Israël fabros ferrarios tollunt, cùm maligni spiritus falsæ pietatis obtentu, zelum correptionis de fratrum labiis auferunt. Vnde & illic subditur: *Cauerant enim Philistæi, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Vnde paulo post: *Retusa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & securium, vsque ad stimulum corrigendum.* Dum Philistæi timent gladios, tollunt fabros; vt E dum armorum fabricatura compescitur, non sit etiam qui cætera exercendi laboris vtensilia fabricetur. Apostolo quippe testante: *Gladius spiritus est verbum Dei.* Hunc gladium quia peruersi timent spiritus, fabros de terra Israël auferunt; dum eos, qui redarguere delinquentium errata debuerant, à tenenda censuræ disciplina compescunt: & hac negligentiæ dissolutione contingit, vt in seruorum Dei quibusque conuenientibus, non modò sacræ prædicationis sermo cesset audiri, sed & honestarum artium exercitia desinant frequentari. Nam quia districta magisterij eos disci-

1. Reg. 13.
Esai. 54.
Eccles. 10.
Ephes. 6.

plina non reprimit, propriis voluntatibus dediti, A scribere nesciunt e artis honestæ, ut iniuam exer- 1. Theff. 3. citia nulla condiscunt; cum Apostolus dicat: *Qui non laborat, non manducet.* Quæ nimirum cum ibi sint necessaria, sæcilares viros, vel etiam reprobos adeunt, quoniam hæc apud se reperire non possunt. Vnde illic dicitur: *Descendebat ergo omnis Israël ad Philistiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.* Israël ergo ad Philistæos non ascendit, sed descendit, vt vtensilia suæ necessitatis exacuat, cùm sancti ordinis viri ad sæcularium ima declinant, vt ab eis sibi commodum cuiuslibet vtilitatis acquirant. Vides ergo, quia si de sacro conuentu correptionum censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus eneruatur, & religio tota destituitur; quia dum vnusquisque propriæ sequitur volunta- B tis arbitrium, ad sæcularia rediens, spiritualis obseruantiæ violat institutum. Vnde quisquis est, cui regularis vitæ feruor inæstuat, correptiones libenter amplectitur: & tunc etiam, cùm innocens est, suis reprehensionibus delectatur; non vt eum conscientia peccasse remordeat, sed quoniam hoc prodesse cæteris audientibus sperat; vt vnde ipse innocens, & mundus arguitur, alij, qui vel lapsi, vel lapsuri fortè sunt, corrigantur.

CAPVT V.

In Epistola ad Hermisindim; de eo quod ædificium humanæ superbiæ citò destruitur.

1. Reg. 18. P*Actus quidem est Saul, maiorem filiam suam Merob, Dauid dare vxorem; sed cum tempus aduenisset quod dari sibi debuisset, non ei data est, sed alteri coniuncta est viro. Dilexit autem Michol filiam Saul alteram Dauid, tamque sibi vxorem coniunxit.* Merob quippe interpretatur, de multitudine: Michol autem, à qua, vel ex omnibus. Et quid per Merob, nisi illa dumtaxat infidelium turba signatur, quæ est de Matth. 20. multitudine, quæ repellitur? *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Quid autem per Michol, nisi sancta figuratur Ecclesia; à qua videlicet omnes oriuntur electi, vel quæ ex omnibus constat electis; quæ licet filium non genuerit, huic tamen intelligentiæ eius sterilitas non obsistit? Aliud quippe mysterium est, quia Regi Dauid est in coniugalitate coniuncta: aliud, quia persistit infœcunda: aliud, quia Christi Domini est sortita coniugium: aliud, quia fœcunditatis non meruit donum, sed pertulit in Israël sterilitatis opprobrium. Hanc sanè Dauid superbi Regis Saul sibi filiam iunxit; dum fortis manu Iesus, ac meritò desiderabilis, eam de superbi huius mundi principis obsequio sustulit, sibique confœderationis intimæ glutino coniunxit. Quam videlicet Michol, quæ sancta electorum est Ecclesia, superbus ille Saul, hoc est, malignus spiritus, eum Merob auferre minimè valet; quia fidelis custos irreuocabiliter eam suæ dilectionis obstrinxit amplexibus; qui in Euangelio clamat: Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

CAPVT VI.

In Sermone de S. Columba.

CVm Redemptor noster huius mundi campum pugnaturus ingreditur, cum ad debellandas aëris huius nequitias fortis præliator ar- A mitur, quia nouum debebat instruere prælium, nouum induit genus armorum; videlicet, vt quod infirmum est, superponeret; & quod robustum est, occultaret. Loricam siquidem imbecillæ carnis induit, & insuperabilem Diuinitatis fortitudinem occultauit. Sic sic per carnem diabolus à secundo homine perditur, qui per carnem dudum primum hominem superauit; eademque sibi nunc ruinæ facta est causa, quæ victoriæ fuerat de primo parente materia. Hoc per allegoriæ mysterium res illa præmonuit, quod Dauid à facie Regis Saul fugiens, in præsentia Achis Regis Geth se furere simulauit. Dicit enim Scriptura: *Quia defluebant saliuæ eius in barbam.* Sane quia 1. Reg. 21. barba viri est proprium; quid est per mysticum intellectum, nisi virtutis indicium? Quid ergo B per saliuas, quæ nimirum fluidæ sunt, & fluxæ, nisi carnis infirmitas? Quid verò per barbam nisi Diuinitatis innuitur fortitudo? Barba ergo saliuis defluentibus operitur; quia fragili carnis velamine Diuinitatis virtus induitur. Sed quod Dauid dispensationis agebat industria, hoc à nescientibus putabatur insania. Vnde Achis seruis suis ait: 1. Reg. 21. *Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? an desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, vt fureret me præsente?* Nunne etiam vero Dauid Redemptori nostro simile quid accidit, vt insanus ab insanientibus putaretur; & miracula per dæmones agere à dæmoniacis diceretur? Hinc est quod Marcus Euangelista dicit: *Et cum vidissent sui, exierunt tenere* Marc. 3. *eum; dicebant enim quoniam in furorem versus est.* Quibus verbis protinus addidit: *Et Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Porro autem, quia saliuæ frequenter ex C insanis more decurrunt, nonne velut infantilia videbantur verba, cum diceret: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,* Ioan. 6. *non habebitis vitam in vobis?* Quod audientes Discipuli dicebant: *Durus est hic sermo; & quis potest eum audire?* Et sicut Euangelista refert, *iam non cum illo ambulabant.* Sed istæ saliuæ barbam Dauid tegebant; quia sub his infantilibus verbis virtus diuina latebat. Factus est ergo Redemptor noster infirmus, vt nos fortes efficeret; visus est stultus, vt ad veram nos sapientiam reuocaret. Vnde dicit Apostolus: 1. Cor. 1. Quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Et paulò superius: *Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Nec indignum super Domino Saluatore nostro infirmitatem, vel stultitiam dici; cum etiam per leprosum, cum etiam per serpen- D tem non dedignatus sit mysticè figurari.

CAPVT VII.

In Epistola ad Desiderium Abbatem, qua dicitur: quòd maiori sit dignus honore, qui dignitatem proiicit, quam qui in ea persistit.

QVem non ædificet, atque ad perfectionem charitatis excitet; quem, inquam, non solùm ad officiosum piæ humanitatis studium exercendum, verùm etiam ad bona pro malis redhibendum, non prouocet hoc quod de Phitonissa illa magnæ profectò laudis digna præco- 1. Reg. 27. nio, legitur? Quæ videlicet ad imitationem Dei, Saul tam benè tractauit, non modò regio iam culmine desperatum, sed & in crastino Philisti-

norum gladiis perimeodum: & tamquam prudeos, iuxta Euangelium, serpeos, illi præstitit beneficium, à quo nullum se coosequi posse sperabat emolumeotum. Ille præterea, sicut ipsa conqueritur, omnes hariolos de terra Israël, & magos erasit; ac per hoc eidem mulierculæ omnem questum solitæ diuioatioois ademit. Illa vitulum paschalem, qui sibi de consumpta vix paupertate supererat, eoxit, & azymos panes de perexigua farioa commisceens, illi, vt vesceretur, apposuit. Quod cum ille lugubris, & conntigua morte perterritus speruerct, ac cibum capere funditus recusaret; è contrario illa precibus obnixis, & quibusdam velut argumentationibus ioeessabiliter insistebat, vt rolenti talionem redderet. Et sicut illa iubenti paruerat, sic iste supplicaotis precibus annuerat: *Ecce*, inquit, *obedinit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu tua, & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me: nunc ergo audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter facere.* Quis enim hoc eorusfcante facere Euangelio, quod hæc mulier sub vmbra legis egisse describitur? Præsertim cum vetus offerat instrumentum: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Euangelica verò tuba terribiliter iotonet: Quia *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Saul enim ita diuinaotibus, & hariolis inimicus extitit, vt passim omnes ioterficeret, & vix eorum quispiam, oisi hæc dumtaxat paupercula mulier remaosisset: hæc etiam, quæ supererat, tanta regiæ persecutionis erat immanitate constricta, vt dum nullatenus vti diuioatione præsumeret, consuctum propriæ artis quæstum funditus amisisset. Hæc tamen idipsum, quod remanserat, reddens, bona pro malis alacriter obtulit, & inimicum suum, velut Apostolo iam hæc præcipieote, cibauit. Et hæc eo tempore laudabilis mulier fecit, cum illum nosset illico moriturum: atque ideo nec speraret iam placidum, nec paueret iratum. Argumentis vtuntur homines, vt à propriis domibus hospitari volentes eiiciant, vt ad tabernas, vel emptoria vicina transmittant. Siquidem locus iste depreciatur, ille præfertur; Hic per inclementiam annotinæ tempestatis ægra seges negare fertur agricolis victum; ille feracium frugum dicitur exuberasse prouentus. Modò breoitas commendatur itioeris, modò sol altiora cæli tenere spatia perhibetur. Hac igitur accuratione verborum, nil aliud agitur, quàm vt superuenientes aliud sibi prouidere compellantur hospitium. Hæc autem prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, vt ita loquar, & oratorum orationibus vtitur; vt inimicus eius, dum respuit, ac resultat, ad edulium prouocetur.

Matth. 10. Leuit. 19. Matth. 6. Mar. 11. Rom. 12.

Expliciunt Testimonia primi Libri Regum.

Incipiunt Capitula secundi.

1. DE eo, quod Dauid imprecatus est, vt non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus tenens fusum.
2. Ista est lex Adam, ait Dauid, Domine Deus.
3. Fecit autem Dauid sibi nomen, cum reuerteretur, capta Syria, in valle salinarum, cæsis duodecim millibus.
4. Qui erant Celethi, & Pheleti.
5. De eo, quod filij Dauid Sacerdotes fuisse dicuntur.
6. Quòd Annon filius Naas, nuntiis Dauid ad consolandum eum super mortem patris directis, vestes scidit, & barbas medias rasit.
7. De pœnitentia Dauid, quæ suscepta est: Saul verò, reprobata.
8. De eo, quod Dauid Rabath ciuitatem, quam Ioab oppugnabat, victor obtinuit.
9. De eo, quod Dauid Absalon fugiens, decem concubinas ad custodiendam domum reliquit.
10. Quòd Absalon patrem persequens, concubinas, quas pater domi reliquerat, consilio Achitophelis fœdauit.
11. De eo, quod Sobi, & Machir, & Berzellai Galaadites obtulerunt Dauid in castris Madian stratoria, & tapetia, & vasa, & quæque ad cibos necessaria.
12. De eo, quod dicitur, plures fuisse quos consumpserat saltus de populo, quàm illi quos vorauerat gladius.
13. Quod Berzellai Galaadites vsque Iordanem cum Rege Dauid veniens, Hierusalem secum pergere recusauit.
14. Quòd Dauid decem concubinas, quas domi reliquerat, rediens in custodiam tradidit, nec est vltra ingressus ad eas.
15. Vnde suprà.
16. De eo, quod dicitur, tertium bellum in Gob contra Philisthæos fuisse, in quo percussit Adeodatus filius saltus polimitarius Bethleemites, Goliath Gethæum.
17. Dauid sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres; ipse quasi teuerrimus ligni vermiculus,

vermiculus, qui octingentos interfecit, impetu vno.
18. *Quòd Dauid aream Ornan Iebusæi, & boues in holocaustum offerendos, taxato pretio comparauit.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Lib. 2. Regum.

CAPVT I.

In libro Gomorrhiano.

2. Reg. 3. NEc deficiat, ait Dauid, de domo Ioab Gomorrhiam sustinens. Pro quo secunda translatio habet, fluxum seminis sustinens, & leprosus tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane. Lepra quippe perfunditur, qui grauis peccati labe fœdatur: fusum verò tenere, est virilis vitæ fortia facta relinquere, & fœmineæ conuersationis illecebrosam mollitiem exhibere. Gladio cadit, qui furorem diuinæ indignationis incurrit. Pane indiget, quem à perceptione Christi corporis,
Ioan. 6. proprij reatus pœna coërcet. *Ille est* enim *panis viuus, qui de cœlo descendit.* Si ergo post fluxum seminis leprosus factus, præcepto legis, extra castra manere compelleris, cur adhuc in eisdem castris etiam honoris primatum obtinere contendis? Numquid non Ozias Rex cùm superbè adolere incensum super altare thymiamatis voluisset, postquam se plaga lepræ cælitus percussum agnouit, non modò à Sacerdotibus de templo expelli patienter tulit, sed & ipse celeriter egredi festinauit? Scriptum quippe est: *Cumque*
2. Paralip. 26. *respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum.* Moxque subiungitur: *Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eo quòd sensisset illico plagam Domini.* Si Rex corporali lepra percussus, à Sacerdotibus eijci de templo non contempsit; tu leprosus in anima, cur tot sanctorum Patrum iudicio à sacris altaribus remoueri non pateris? Si ipse, dimisso Regiæ dignitatis imperio, habitare in domo priuata vsque ad obitum non erubuit; tu cur à sacerdotalis officij confundaris arce descendere, vt in pœnitentiæ sepultura conclusus, te inter viuos studeas quasi mortuum deportare? Et (vt ad illam Ioab mysticam recurramus historiam) si ipse gladio corruisti, quomodo alium per sacerdotalem gratiam suscitabis? Si ipse exigentibus meritis, indiges pane, id est, à Christi separatus es corpore; quo pacto alium poteris cælestis mensæ dapibus satiare? Si tu Oziæ lepra es percussus in fronte, hoc est, infamiæ nota dehonestaris in facie, quomodo alium poteris obducta per petrati criminis limione purgare? Erubescat ergo tumefacta superbia, nec super se extolli inaniter appetat, quam infra se proprij reatus sarcina non mediocriter grauat.

CAPVT II.

In Sermone de S. Matthæo.

CVm Dauid per Nathan Prophetam clementia diuina promitteret, ex eius semine nascitorum, qui suo sancto nomini construeret templum: & Christum manifestè denuntians adiecisset: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium;* 2. Reg. 7. moxque Ecclesiam, quæ corpus est Christi, qualis esset futura, depromeret, dicens: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* Ille gratias agens, inter cætera orationis suæ verba sic ait: *Sed & parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus meus, quia dilexisti me, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum;* moxque subiunxit; *Ista est enim lex Adam, Domine Deus.* Ac si perspicuè dicat: Sicut in terreni mundi huius exordio Adam constituisti posteritatis secuturæ parentem; atque ex hac radice totius humani generis decreuisti pullulare propaginem; ita nunc cùm mundum renouare disponis, me quasi nouum Adam facis, dum Christum ex meo semine nasciturum, qui est auctor, & caput Ecclesiæ, pollicetis. *Ista est*, inquit, *lex Adam*; quia sicut ille erat in filiis suis hunc mundum visibilem possessurus: ita & ego populi spiritualis in Christo pater efficior, cum illo, qui in cælis est, perpetuò regnaturus. Sicut enim de costa illius Gen. 2. formata est viuentium mater Eua; ita de latere Christi, qui ex me nasciturus est, victura perenniter egreditur Ecclesia. De hoc nouo, & spirituali mundo scriptum est: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Orbis enim 1. Reg. 2. super terræ cardines ponitur, cùm sancta Ecclesia tamquam super bases doctrinæ Euangelicis solidatur.

CAPVT III.

In Epistola ad B. quæ est, vt exteriori prudentiæ, spiritualis prudentia præferatur.

FEcit autem Dauid sibi nomen, cum reuerteretur capta Syria, in valle Salinarum, cæsis duodecim millibus. 2. Reg. 8. Verus enim Dauid Christus, fortis scilicet viribus, & pulcher aspectu, in valle Salinarum duodecim millia hominum strauit: quia per Apostolos suos de salsa, immo falsa huius mundi sapientia triumphauit. Qui enim duodecim spiritualis prælij bellatores habuit, quasi totidem per eos hominum millia trucidauit, dum stultè sapientes à friuolæ sapientiæ vanitate conuertit. Quorum videlicet bellatorum vnus ad Corinthios dicit: *In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus: nam arma militiæ nostra non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia corporis destruentes, &* 2. Cor. 10. *omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

CAPVT IV.

In Epistola ad Albericum : qua super decem quæstionibus respondet.

2. Reg. 8. & 20. Num. 11. QVæris: Qui erant Cerethi & Phelethi, qui bellatores dicuntur fuisse Dauid? Legitur in libro Numeri dixisse Dominum Moysi: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sunt ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facieśque ibi stare tecum: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Ex istorum itaque stirpe duæ processerunt cognationes; quarum vna Cerethi, altera dicebatur Phelethi. Et Cerethi quidem, dans iudicium, Phelethi, puniens interpretatur; vt quos illi adiudicarent morti promulgando sententiam, isti punirent irrogando vindictam. B

CAPVT V.

In eâdem Epistola.

2. Reg. 8. F*ilij autem Dauid Sacerdotes erant.* Cur filij Dauid Sacerdotes fuisse dicuntur; quia nullam cum filiis Aaron consanguinitatem, nisi ficut cæteræ tribus habuisse nesciuntur? Sed sciendum, quia dum Sacerdotes venerabiles, ac Magistri constituuntur in populo, aliquando nomine Sacerdotum designantur Principes, vel Do- C 2. Reg. 20. Ira Iairites. ctores, sicut alibi reperitur: *Ira Iarites erat Sacerdos Dauid*, id est, magister. Ita quoque cum dicitur: *Filij autem Dauid erant Sacerdotes*, sic intelligendum est, ac si dicat: Quia magistri erant fratrum suorum, vel certè principes inter cæteros, sicut habet antiqua translatio. Nam vbi noua dicit editio: Filij Dauid erant Sacerdotes; in veteri legitur: Filij autem Dauid principes erant aulæ Regiæ.

CAPVT VI.

In Epistola ad Cluniacenses Fratres.

2. Reg. 10. F*Aciam*, inquit Dauid, *misericordiam cum Annon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid consolans eum per seruos super patris interitu*, (vtque historiam compendiosa relatione succingam) *tulit Annon seruos Dauid, rasitque mediam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos.* Quid enim per Annon, nisi nequitiæ spiritus? quid per barbam, quæ virorum est propria, nisi sanctarum fortitudo virtutum? quid etiam per vestes, nisi sanctitatis intelligitur indumentum? Psalmista perhibente, qui ait: Psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Annon ergo fœdus amicitiæ reposcentibus, mediam barbæ partem radit; quia hostis antiquus aliquando fortiter operantis robur imminuit; sed postquam barbam rasit, etiam vestimenta præcidit; quia mox, vt malignus spiritus interiorem adimit fortitudinem, consequenter etiam exteriorem conspicuæ conuersationis exuit honestatem. Quid est enim vestes hominum ad nates vsque præcidere, nisi eos à superducto velamento iustitiæ vsque ad obsceni, & inuerecundi operis turpitudinem denudare?

CAPVT VII.

In Epistola ad Marinum.

CVm Dauid perpetrati reatus arguitur, mox vt in vocem confessionis erupit, dicens: 2. Reg. 12. *Peccaui Domino*; ex ore Prophetæ protinus audiuit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Et quia se occasio præbuit, hoc etiam te fraudari non patiar, quia nonnulli à pueris in religionis ordine constituti, sola inobedientia superbiæ mista depereunt; cum in sæculo plurimi post immanium criminum perpetrata flagitia, per humilitatis studium indulgentiam promerentur. Ecce enim Dauid adulterium, homicidiumque 2. Reg. 11. commisit: Saul verò Samuëli inobediens extitit. Sed quid, quod ille nullo interueniente, vel 1. Reg. 13. & 15. in puncto veniam meruit: alterum verò nec propria confessio, nec Prophetæ tam lugubris & amara, atque prolixa supplicatio reconciliauit. Planè si Scripturæ series vtrobique discutiatur, copiosior Saul, quàm Dauid in verbis pœnitentiæ reperitur. Iste siquidem dumtaxat id quod præmissum est: *Peccaui Domino*, ille autem ait: 2. Reg. 12. 1. Reg. 15. *Peccaui*, inquit, *quia præuaricatus sum sermones Domini, & verba sua, timens populum, & obediens voci eorum*; atque idipsum postmodum repetens, ait: *Peccaui*. Accessit autem, & longanimis valde Samuëlis oratio, de quo videlicet dicitur: *Contristatusque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte illa.* Sed diuina voce responsum est: 1. Reg. 16. *Vsquequo, ait, tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel?* Quid est ergo, quod alterius pœnitentia piè suscepta, alterius autem sub districtæ seueritatis est examine reprobata, nisi quod ille scelus inobedientiæ, spiritu superbiæ paruipendens, nequaquam pleno corde pœnituit; hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo repleuit? Hæc, quæso, considerare nó negligant, qui cum inobedientiæ obediant, de grauiorum se immunitate criminum procaciter iactant. Quorum profectò nonnullos sæpè videmus ad agendæ confessionis iudicium frequentare, solo se deuotè prosternere, tinnulis se, & accuratis verbis magis facetè, quàm humiliter accusare: atque ideo numquam eorum mores ad idoneæ correptionis emolumenta procedere; qui videlicet cum Saul ore pœnitent, corde tamen.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Cardinales Episcopos.

SIcut olim Romanorum Consules ex diuersis mundi partibus reportabant, peracta hostium cæde, victorias: sic isti nunc animas hominum de manu diaboli debent liberare captiuas. Ad hos quippe victoriarum titulos, ad hos debent semper inhiare triumphos; videlicet vt antiquo prædoni animarum pereuntium manubias rapere, & Regi suo Christo signa gaudeant victricia reportare. Hunc porrò conflictum Dauid signauit, cum Rabbath ciuitatem victor obtinuit. Rabbath quippe multitudo, vel grandis interpretatur, quod non inconuenienter vniuersitatem huius mundi significare cognoscitur. David itaque Rabbath obtinuit ciuitatem, cùm suis legibus Christus grandem & co- 2. Reg. 12. piosam huius mundi subdidit multitudinem.

Coronam verò de capite Regis i ltus, Dauid abstulit, sibique, sicut Scriptura testatur, imposuit: quod tunc verus Dauid Christus impleuit, cùm mundi sapientes, quibus quodammodo diabolus ornabatur, eripuit, & in sui decoris, & gloriæ diadema conuertit. Multitudo quippe fidelium non modò Christi, sed & Doctoris cuiusque corona perhibetur, cuius prædicatione conuertitur. Sicut Paulus Philippensibus ait:
Philip. 4. *Itaque, fratres mei charissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino.* Sed & prædam, iuxta Scripturam, asportauit multam valde. præda quippe de Rabbath tollitur, cum ex hoc mundo quique fideles, atque deuoti ad Dei omnipotentis obsequium conuertuntur. Vos, inquam, ô sancti Pontifices, vos potissimum huiusmodi debetis esse prædones, qui quotidie desudetis animas hominum de manibus reprobi possessoris eripere, & triumphales Regi vestro Dauid manubias reportare. Nec tamen sufficit, cùm diabolo captus, ad Deum quisque pia deuotione conuertitur, nisi mox etiam à status sui duritia quasi crebro sanctæ prædicationis malleo conteratur. Vnde per Hieremiam:
Hier. 23. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Verba quippe Domini quasi ignis sunt, quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt: malleus autem sunt, quoniam obstinationis, & peruicaciæ duritiam molliunt. Congruè ergo sacra subnectit historia:
Reg. 12. *Populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris, & transduxit in typum laterum.* Quid enim per ferrata carpenta, quod vtique genus est curruum, nisi fortem, atque inexpugnabilem quadrigam sanctorum Euangelistarum, ac per hoc omnium diuinarum Scripturarum intelligere debemus eloquium? Nam, prout alibi iam diximus: Vile quidem ferrum, tamen edomat omne metallum. Sicut ferrum metallis omnibus dominatur, sic Euangelica doctrina duras mentes emollire cognoscitur. Quid est ergo super captos homines ferrata carpenta circumagere, nisi sacræ Scripturæ rotis humanarum mentium aream triturare, vt in eis sermo diuinus, & vitiorum reluctantium glebas obterat, & eas ad suscipiendas mandatorum cælestium segetes complanare, & exæquare contendat? Et quid est eos cultris diuidere, nisi peccatorum hominum conscientiam ad confessionem diuini verbi prædicationibus aperire? De quo
Ephes. 7. verbo dicit Apostolus: *Gladium spiritus, quod est verbum Dei*; tunc enim tanquam spiritualibus cultris homo diuiditur, cum ad detegendas animæ suæ plagas diuini verbi gladio desecatur. Cur autem eos in typum laterum transduxisse narratur, nisi quia lateres, & terreni sunt, & decocti? Tunc enim peccator in typum lateris vertitur, cum ad prædicationis vocem sancti Spiritus ardorem concipit, & veraciter humiliatus terram se ac lutum esse perpendit. Sic itaque quisqua conuersus, ac pœnitens in lateris formatur imaginem; cum & humiliatur ex suæ fragilitatis luto, & quasi rubescit, siue flammescit in amore diuino; vt dum se terrenum puluerem pensat, cor suum ad referendas Deo gratias, qui se reuocauit, accendat. Vnde & Adam interpretatur, terra rubra; vt ex primi parentis nomine quisque condiscat, vel quid originaliter sit, vel quid eum actualiter esse conueniat. Ad hos itaque sacerdotes Ecclesiarum, ad istas sancti Pontifices debuerāt anhelare victorias, non sumptuosis epularum ferculis, non resolui lenocinanti petulantia voluptatis. Post mundi quippe nascentis exordium, per mille fermè atque sexcentos annos humanum genus sine vini poculo, & esu carnium vixit: nec tamen quispiam, quem Scriptura commemoret, vsque ad obitum languore contabuit.

CAPVT IX.

In Epistola ad Albericum, qua ei super decem quæstionibus respondet.

EGressus est autem Rex Dauid Hierusalem, fugiens Absalon; & dereliquit decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 2. Reg. 15. & 16. Dauid à facie Absalon fugiens, decem concubinas in domo reliquit, quas Absalon per incestum turpiter fœdat. Quia Redemptor noster, dum, eiectus de ciuitate Iudaïca, in desertum gentium properat, relinquit in domo legis Iudæos non viriliter incedentes, sed muliebri conuersatione viuentes; qui omnium per decem concubinas non incongruè figurantur; quia dum exterius legis præcepta custodiunt, non castum matrimonij merentur ascendere thalamum, sed absque fidei cohærentes annulo, sortiuntur pro coniugio pellicatum. Quam Absalon lasciuiens polluit; quia malignus spiritus reprobas impiorum animas quasi prostituendo corrumpit; quia per excessus diuersorum scelerum cum talibus fornicatur; & tamquam substrata sibi prostibula incestus violator amplectitur, dum adulterinis eorum operibus delectatur.

CAPVT X.

In Epistola ad Desiderium Abbatem; quòd maiori sit dignus honore, qui dignitatem proiicit, quàm qui in ea persistit.

ABsalon siquidem interpretatur, Patris pax; 2. Reg. 15. per quem designatur populus Iudæorum, qui vsq; ad mortem persecutus est Christum. De quo populo per Esaiam dicitur: *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Esai. 1. Qui patris pax iure dicitur; quoniam in illo specialiter populo per legem datam, per victimarum sacrificia, per tabernaculum denique, siue templum Deus quieuisse videtur. Sicut Dauid: *Notus*, inquit, *in Iudæa Deus, in Israel magnū nomen eius.* Psal. 75. Atque vt iste populus patris pax esse videatur, audi quod sequitur: *Et factus est in pace locus eius.* Siue per Absalon, Iudas traditor designatur, qui & ipse patris pax non immeritò dicitur; sicut ipse de illo Christus in Psalmo conqueritur dicens: *Etenim homo pacis mea, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificauit aduersum me supplantationem.* Psal. 40. Nam & Christus non incōgruè pater asseritur, sicut Propheta testatur: *Vocabitur*, inquit, *Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Esai. 9. Iste ergo dicitur princeps pacis, & ille pax patris. Cui etiam, Iudæ videlicet, in ipso persecutionis articulo pacis osculum non negauit. Nec mirum si Iudæ traditoris speciem Absalon tenuit, quem non solùm in persecutione Dauid, sed ipso quoque genere suæ mortis expressit: Matth. 26. Ille siquidem quercui, dum transire vellet, inhæsit; 2. Reg. 18. iste se laqueo, Scriptura testante, suspendit. Vt quoniam vterque redundans viperæ felle nequitiæ, & terra indignus erat, & cælo, inter vtrumque libratus, & terrā perderet,

& ad cælum nullatenus aspiraret. Nam & Achitofel, qui Dauid persequi non dissimiliter voluit, exigentibus meritis, idipsum genus mortis elegit; hic enim Absalon persequenti Dauid 2. Reg. 17. consilium dedit, vt concubinas patris, quas di- 2. Reg. 16. miserat ad custodiendam domum, sacrilega permixtione pollueret, atque ad fœdandum patrem nouercas suas turpiter incestaret. Quid autem per decem concubinas Dauid, nisi pars illa Iudaicæ plebis exprimitur, quæ Christum verum vtique Dauid fugientem in gentilitatis deserta non sequitur, quia legis se habere decalogum gloriatur? Per numerum nempe concubinarum, numerus exprimitur mandatorum: concubinæ ergo, quæ non sequentes Dauid, domum seruant, hi sunt, qui in veteris legis custodia perseuerant. Absalon ergo ad has Dauid concubinas ingreditur; quia diabolus, qui in Absalon erat, per excessus diuersorum scelerum cum talibus fornicatur. Et benè dicitur: Quia Dauid eas dimiserat ad custodiendam domum; prouida quippe Redemptoris nostri dispensatione diuinitus agitur, vt quasi ad seruandam domum legis Iudæorum reliquiæ reseruentur; vt ipsi, qui modò nostri sunt scriniarij, & libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt, lingua vbique terrarum ferant; quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant. Vnde per Psalmistam dicitur: Psal. 58. *Deus meus, ostende mibi bona inter inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiscantur legis tuæ.* Hebraïca quippe lingua, quæ toto orbe dispergitur, multum Christianæ fidei auctoritas adiuuatur. Vnde & illic aperte subiungitur: *Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector noster Domine.*

CAPVT XI.

In eadem Epistola.

2. Reg. 17. *CVmque venisset Dauid in castra Madian, Sobi filius Naas, & Machir filius Amichel, & Berzellai Galaadites obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, & cætera.* Madianitæ verò, qui præbuere Regi Dauid stratoria, & tapetia, quid aliud significant, quàm Gentiles conuersos ad fidem? qui dum piis actibus incessanter insistunt, quasi textrini operis linteamina præparant, in quibus vtique Dominus suauiter requiescat. Hæc enim sunt Euangelica illa vestimenta, quæ Apostoli super asinam ponunt, & Iesum sedere desuper Matth. 21. faciunt. Quod autem sequitur: Quia, *dederunt Dauid etiam vasa fictilia, frumentum, & hordeum, farinam, & fabam, & lentem, & frixum, cicer, & mel, & butyrum, oues etiam, & pingues vitulos.* Plurimæ ciborum species diuersi sunt sanctorum hominum mores, quibus nimirum Dauid cum suis commilitonibus pascitur; quia Redemptor noster cum sanctis suis tectis iustorum operibus velut esuriens epulatur.

CAPVT XII.

In Epistola ad Albericum; in qua super decem quæstionibus respondet.

FVit autem ibi prælium dispersum super faciem terræ, & multò plures erant, quos consumpserat saltus de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius. De qua sententia in libro Hebraicarum quæstio- S. Hieron. num hæc B. Hieronymi verba sunt; Saltum hunc, inquit, qui plures consumpsisse, quàm gladius vorasse legitur, bestias ferocissimas, quæ in saltu erant, Hebræi autumant, à quibus plures consumpti, quàm à gladio vorati fuerint. Verùm hic, vt dicitur, Hebræorum fuit intellectus. Nobis autem videtur, quia vesani quique, & insuniti, qui cum Absalon prodictiones extiterant, Deo deserente excæti, arbustis occurrentibus impingebant; atque ideo dicatur, quia plures ceciderint saltu consumente peremptis, quàm hi, qui fuerint gladio trucidante vorati. Quod ita debere intelligi non ambigitur, si ipsa styli consequentia vel superficietenus attendatur. Nam postquam præmittit: *Multò plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa*; præstò subiungit: *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens in mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiit.*

CAPVT XIII.

In Epistola ad D. Abbatem, quæ paulò supra.

BErzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, vt sacra testatur historia, *descendens* 2. Reg. 19. *de Rogelim, transduxit Regem Dauid Iordanem; cui Rex: Veni, inquit, vt requiescas mecum in Hierusalem. Ille autem renuens, excusationem senectutis obtendit, & relicto Rege, mox ad propria repedauit.* Sunt namque nonnulli, qui Regem Dauid, hoc Matth. 3. est Saluatorem nostrum sequentes, Iordanis fluenta transmittunt; hoc est, vel Baptismi suscipiunt sacramentum, vel, quod secundum est lauacrum, arripiunt spirituale propositum. Nam quia in Iordane auctor Baptismi Christus est baptizatus, rectè per eum intelligitur Baptismus. Sed hi veste variata, non mente, habitum mutando, non animum, ad pristinos redeunt mores, & sæculares repetunt actiones. Et quia nequeunt à negotiorum sæcularium perturbatione quiescere, nolunt in Hierusalem; hoc est, in visione pacis habitare cum Rege: senes enim sunt, & inueterati, atque ideo nequeunt in nouam de vetusta conuersatione mutari. Nam & Iordanem transeunt, & octogenarij sunt; quia & baptizati sunt, & resurrectionem futuram, quæ per octonarium designatur numerum, credunt. Sed hi quamquam Regi humiliter, & blandè loquantur, Regem tamen deserunt, & ad solitæ conuersationis consuetudinem reuertuntur. Quid est enim Regi blanda verba proferre, nisi sicut in Euangelio dicitur, se callidè potius quàm humiliter excusare? *Rogo*, inquit, *te, habe me excusatum.* Dicebat enim Berzellai Regi: Cur seruus tuus sit oneri Domino meo Regi? paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum, nec indigeo hac vicissitudine. Cuius figuram tenent, qui spirituali eorum viro, seseque ad altiora prouocanti, quasi humiliter decantant: Peccatores quidem sumus, tibique, pater, obtemperamus, sed districtioris instituti regulam seruare non possumus; infirmi sumus, & fragiles; atque ideo melius iudicamus sub leui nos fasce inglorios vtcumque viuere, quàm sub grauis sarcinæ pondere quasi fortes interire. Nam & quod idem Berzellai superius dixerat, ab istorum interioris hominis senio non discordat: *Quot sunt*, inquit, *dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum*

A Rege in Hierusalem? & adiecit, *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, & amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vocem cantorum, & cantatricum!* Veraciter enim talium hominum sensus intrinsecus obtusi sunt; quia spiritualia meoris edulia, vel intimæ iubilationis organa non discernunt; non enim eius sapit cibus ille cælestis, ad quem
Psal. 33. Propheta spirituales conuiuas inuitat: *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam suauis est Dominus.* Nec illa fauces eorum mella discernunt, de quibus aiebat:
Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum ori meo!* Necdum ad illud Sapientiæ discubuere conuiuium, de quo in libro Prouerbiorum dicitur: Quia, *Sapientia immolauit vi-*
Prou. 9. *ctimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Vbi & sequitur: *Misit ancillas suas vt vo-* B *carent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Hi voces etiam cantorum, & cantraticum non audiunt; quia quæ sanctorum Martyrum, quæ sanctarum Virginum ante Deum iubilet modulatio, nullatenus comprehendunt. Nam quia carnaliter conuersantes, ad Dominum contemplationis corda non eleuant, cælestis harmoniæ modulos, & mellifluas Angelici concentus suauitates ignorant. Vnde non immeritò senex ille Berzellai fuisse dicitur de Rogelim, quod interpretari dicitur, pedes. Pedestres enim tales ambulant; & quoniam à terrenæ conuersationis itinere se suspendere nesciunt, ad comprehendenda cælestis melodiæ cantica non assurgunt; nolunt enim nisi pedites semper incedere, atque ideo nequeunt alta iubilationis intimæ gaudia penetrare. Et quoniam terreni actus, in quibus sparsi sunt, duros eos, atque insensibiles red- C dunt, spiritualia lætitiæ contemplari subtilia nequeunt. Hinc est etiam, quod iste Berzellai Galaadites asseritur, quod aceruus testimonij interpretatur; & quoniam aceruus ille testimonij,
Gen. 31. qui Galaad dicitur, à Laban, & Iacob de lapidibus factus agnoscitur, benè per hunc Galaaditen, duri, ac lapidei homines designantur; qui dum ad amorem spiritualis vitæ cor non emolliunt, tamquam lapides facti, in pertinaci sæcularium negotiorum vigore durescunt. Ad quam duritiam pertinet, quod idem quoque Berzellai, ferrum meum interpretari dicitur. Quid est durius fer-
Sap. 1. ro? & quid obstinatius corde peruerso? *In maleuolam enim animam numquam introibit sapientia.* Et congruè ferrum meum, quasi de se quilibet homo durus, & obstinatus dicit; quia dum statuit in propria perseuerare duritia, in consilia se numquam proijcit aliena; & quia rigidus, & in- D flexibilis ad cælestem Hierosalem cum Dauid rege non graditur de via, quam cœperat cum Berzellai, ad terram Madian, hoc est, ad vitæ veteris primordia reuocatur.

CAPVT XIV.

In eadem Epistola.

2. Reg. 20. *CVmque venisset Rex Dauid in Hierusalem, tulit decem concubinas suas, quas reliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam: nec est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes.* Concubinæ, quæ non sequentes Dauid, domum seruant, hi sunt, qui in veteris Legis custodia perseuerant. De quibus profectò concubinis dicitur: Quia de cætero non est Dauid ingressus ad eas, *Sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes.* Iudæi planè tunc clausi sunt, & in viduitate viuunt, quoniam ad virum sanctæ Ecclesiæ non accedunt: nec ad eos cælestis ille sponsus ingreditur; quia tamquam muliereulis à diabolo prostitutis, suum præbere contubernium dedignantur, eisque, quia polluti sunt per adulterium, repudij dat libellum. Et hæ, quæ non sequuntur virum, meritò concubinæ, nec vocantur vxores: quia dotali fœdere, ac nuptiali copula prorsus indignæ, non illam pariunt sobolem, quæ paternæ benedictionis possideat hæreditatem. Nobis autem è contrario dicitur: *In hoc vocati estis, vt* 1. Pet. 3.
benedictionem hæreditate possideatis. Nam & idem B dicit Apostolus: *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque autem ex operi-* Galat. 3.
bus legis sunt, sub maledicto sunt.

CAPVT XV.

In Epistola ad Albericum; in qua ei super decem quæstionibus respondet.

DAuid postmodum non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes. Perdiderunt enim virum, de quo per Esaiam dicitur: Quoniam *acceperunt septem mulieres virum vnum.* De quibus & per Isai. 4.
Salomonem dicitur: Quia *septingentæ sunt Reginæ.* Acceperunt itaque septem, quæ amiserunt 2. Reg. 20.
decem. Cælestem quippe sponsum sancta sibi confœderauit Ecclesia, septiformi scilicet spiritus dono repleta. Quem sponsum Synagoga, quæ Decalogi mandata perceperat, perdidit, C viduaque permansit; quia dum in domo consueti ritus, & legalium cæremoniarum immobiliter perstitit, cum Rege Dauid in deserta gen- 3. Reg. 11.
tilium exire contempsit.

CAPVT XVI.

In eadem Epistola.

TErtium quoque fuit bellum in Gob contra Philistæos, in quo percussit Adeodatus filius saltus polimitarius Bethleemites Goliath Gethæum. Quod 2. Reg. 21.
nimirum facilè valet intelligi. Nam Gob interpretatur, lacus: Et sicut periclitatur qui in lacum leonum mittitur; sic Dauid quasi leonis se dentibus tradidit, cum in rabiem Goliath se præliaturus immersit. Idem Dauid Adeodatus iure dicitur; quoniam à Deo est electus D in regnum. Qui etiam filius saltus vocatur, quia de pascuis saltuum, vbi oues alebat, eductus agnoscitur. Nec sine causa idem Dauid polimitarius dicitur; quia mater eius de genere Beselehel extitit, qui tabernaculum fœderis in deserto construxit; in quo etiam nonnulla polimitaria operatione contexuit. Bethleemites quoque non incongruè dicitur, quia à Noëmi duxit originem, & de Bethleem fuerant tempore famis egressæ, atque ad eandem Bethleem sunt reflorescente postmodum vbertate reductæ. Quòd autem Adeodatus cum omnibus suis his adiectiuis, ipse procul dubio sit Dauid, sequentia declarant, vbi dicitur: *Hi quatuor nati* 2. Reg. 21.
sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manum David, & seruorum eius. Sanè quid etiam per hæc mysticè significetur, exponerem, nisi quod

perspicuum est, epistularis mihi breuitas probi- A beret. Iuxta mysticum scilicet intellectum, hæc omnia referuntur ad Christum Ipse enim Adeodatus est, de quo per Esaiam dicitur: *Puer natus est* Esai. 9. *nobis, & filius datus est nobis.* Qui filius saltus non incongruè dicunt, quoniam ex Iudæis secundùm carnem nasci dignatus est; qui dum nullum fructum spiritualis germinis attulerunt, velut agrestes arbores non in horto plantatæ, sed in saltu Esai. 40. natæ steriles extiterunt. Vnde legitur: *Vox clamãtis in deserto*, hoc est, in infructuoso Iudæorum populo. Polimitarius quoque Redemptor noster meritò dicitur; quia velut textrini operis studio vacat, dum & se suis fidelibus induit, & ex illis iustitiæ vestimenta contexit. De suis quippe vestibus per Apostolum dicitur: *Vt exhiberet si-* B Ephes. 5. *bi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam.* Et per Prophetam: *Omnibus his velut* Esa. 49. *ornamento vestieris.* De Christi verò fidelibus Psal. 131. Psalmista canit: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Et per Ezechielem Dominus improperat animæ, quam spiritualibus indumentis decenter ornauit, sed enim ipsa mœchiæ sordibus polluta de- Ezech. 16. seruit: *Vestiui te*, inquit, *discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento.* Et paulò post: *Et vestita es bysso, & polimito, & multis coloribus.* Quid ergo mirum, si Redemptor noster polimitarius dicitur, qui virtutis decore polimito induit animam, quam sponsali iure sortitur? Ipse est enim Dei sapientia de qua per Salomonem dicitur: Quia, Prou. 31. *quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Cuius digiti apprehenderunt fusum, cuius omnes domestici vestiti sunt duplici- C bus: cuius etiam caro stragula vestis facta est in passione. Sed eadem byssus, & regalis purpura indumentum illius est in resurrectione. Qui etiam Bethleemites iure vocatur, quia in Bethleem de Virgine natus agnoscitur. Quod autem dicitur: Quia tertium bellum fuit in Gob, hoc intelligitur, quia verus Dauid Saluator Israël, ante legem & sub lege, ac postmodum in Euangelica grátia fideles semper bellatores habuit, per quos contra Philistæos, id est, aduersus malignos spiritus dimicauit. Ad hoc itaque tertium bellum Dauid venit in Gob, qui interpretatur, lacus; quia Redemptor noster dum velut forti armato fortior superuenit, ipse per se etiam vsque ad inferna descendit. Vnde per Psalmi- Luc. 11. stam dicit: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & vmbra mortis.* Illic percussit Goliath Psal. 87. Getheum, quia dum electorum animas de gehennæ claustris eripuit, antiquum hostem, qui super eos tyrannidem exercebat, lethali vulnere sauciauit.

CAPVT XVII.

In Sermone de Virginibus.

2. Reg. 23. D*Auid sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres. Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quid est quod Dauid tam nouæ, tam inauditæ præconio laudis attollitur? Quis est iste tam humilis, tamque sublimis? Quis, inquam, est iste Dauid ita debilis, atque despectus, vt vermiculi speciem gerat? ita fortis & validus, vt vno impetu octingentos homines interficiat? In palea nempe litteræ videtur esse ridiculum, si non in me- A dulla spiritus lateat sacramentum. Quis ergo vermiculus iste, nisi ille, qui per eundem Dauid canit in psalmo: *Ego autem sum vermis, & non ho-* Psal. 21. *mo?* Sicut enim vermis ex sola ligni materia gignitur, ita Christum absque virili semine de solo virginali vtero genitum, fides Catholica confitetur. Sed quamuis sit vermis tener, & debilis, ligni verò duritia fortis, ac solida; vermis tamen lignum vertit in cariem, & cauernosum reddit, & cauum. Ita Redemptor noster verus vtique manu fortis, atque desiderabilis, qui semetipsum exinaniuit, qui non habens speciem, neque decorem, inualidus, ac despectus apparuit, humanum genus, vnde ortus est, paulatim à suo rigore molliuit, magnumque sibimet in B electis suis habitationis spacium procurauit. Hic itaque Dauid sedet in cathedra, quia in paternæ maiestatis gloria constitutus, omnia iudicat. Cui pater ait: *Sede à dextris meis.* Sapientissimus est, Psal. 109. quia ipsa Patris Sapientia est. Sed quomodo Dauid dicitur princeps inter tres, cùm ille non inter alios quemlibet principatum, sed super omnes potius Regularis sceptri teneret imperium? Laus enim ista depretiat, non exaltat: deprimit, non attollit; cùm ille non tam tribus interesset, quàm omnibus superesset. Sed cùm ab illo Dauid videatur sententia ista dissidere, est cui valeat aptissime conuenire. Beatus enim ac singularis ille homo, qui mysticè dictus est vermis, mox vt à Verbo in vnitate personæ suscipitur, in sancta Trinitate non inæqualiter principatur. Princeps est ergo inter tres, quia vnitus est Verbo, quæ est in sancta Trinitate persona. Hic octingentos in- C terfecit impetu vno. Octonarius numerus ad resurrectionem, centenarius pertinet ad perfectionem. Dauid ergo vno impetu octingentos interfecit; quia Saluator noster omnes, qui vel perfectionem fidei appetunt, vel resurrectionis gloriam concupiscunt, gladio sui spiritus interfecit, dum eos per incarnationis ac crucis suæ mysterium ab amore mundi huius mortuos reddidit; & hoc, vno operatus est impetu, id est, vno suo incarnationis aduentu. *Semel enim pro peccatis* Rom. 6. *nostris mortuus est, iam vltra non moritur.* An non eius aduentus iure vocatur impetus, de quo Salomon ait: *Ecce iste venit saliens in montibus, tran-* Cant. 2. *siliens colles.* Et Dauid: *Exultauit*, inquit, *vt gigas* Psal. 18. *ad currendam viam*? Qui enim currit, proculdubio impetum facit. Nam & Verbum Dei tanquam riuus aquarum viuentium cum impetu venit, & sicut torrens cuncta doctrinarum sordentium inquinamenta subuertit. Vnde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fons hortorum, pu-* Cant. 4. *teus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Liba-* D *no.* Huic ergo Regi tam humili, tamque sublimi, tam infirmo, sed ita fortissimo gratias referamus: qui idcirco fieri dignatus est vermis in ligno, vt nos constitueret ciues in cælo. Ideo vetustum humani generis inimicum in se permisit insurgere, vt ex eo postmodum non modò per viros, sed etiam per fœminas triumpharet.

CAPVT XVIII.

In Epistola ad Albericum; in qua ei super decem quæstionibus respondet.

QVæris cur in Scripturis sacris sit ista diuersi- 2. Reg. 24. tas, vt in libro Regũ legatur Dauid redemisse aream Ornan Iebusæi, simul & boues, qui

offerendi erant in holocaustum, siclis argenti tan-
1. Paral. 3. tummodò quinquaginta: cùm in Paralipomenon pro sola arca dedisse narretur auri sexcentos siclos? Sed sciendum est proculdubio, quia in libro Regum boues tantummodò quinquaginta siclis argenti comparasse Dauid legitur; quanti verò aream comparauerit, illic omnino siletur. Paralipomenon verò liber de bobus è contrario tacet, sed emptam sexcentis auri siclis aream perhibet. Quod facilè peruidetur, si in vtroque libro ipsa verborum series diligenter attenditur. Nam in libro Regum hic est ordo verborum: *Emit er-* A *go Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta.* Vbi sic distinguendum est, vt priùs Scriptura dicat: *Emit Dauid aream*, nec exprimat, quantis deinde sequatur: *Et boues argenti siclos quinquaginta.* In libro verò Paralipomenon ita legitur: *Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos, & ædificauit ibi altare Domino.* Sic igitur vtraque sibi Scriptura diuisit, vt illa boum, ista solius areæ numeret pretium. Res igitur, quibus pretij mensura præfigitur, discrepant; sed Scripturæ sanctæ sibimet inuicem non repugnant.

Expliciunt Testimonia Libri secundi Regum.

Incipiunt Capitula Libri tertij Regum.

1. *De Abisag Sunamite, quæ Regi Dauid ministrabat, & cum eo dormient, senilia eius membra fouebat, & tamen integra mansit.*
2. *Quod Dauid dum viuit, & Ioab, & Semei pepercit: moriens verò perdendos eos mandauit.*
3. *Quòd dicitur, Salomon quadraginta millia præsæpia equorum currilium habuisse, duodecim millia equestrium.*
4. *Quòd de eodem dicitur: quia locutus est tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia: & disputasse etiam de lignis, & de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.*
5. *Quòd Salomon duas à dextra læuaque columnas in templi vestibulo statuit: quarum vnam Iachim, alteram Booz vocauit.*
6. *Quòd vasa templi Domini in campestri regione Iordanis in argillosa terra fusa sunt, inter Sochot, & Sarthan.*
7. *De eo, quòd cum Sacerdotes exissent de sanctuario, nebula domus Dei repleta est, ita vt Sacerdotes non possent propè astare propter nebulam.*
8. *Quòd non esse dicitur argentum, nec vllius pretij putari in tempore Salomonis.*
9. *Quòd Salomoni fuerant vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.*
10. *De muliere Sareptana, ad quam Elias transmissus, inuenit eam duo ligna colligentem, vt coqueret & sibi panem, ac filio suo.*
11. *De eo quòd orante Elia, nebula parua quasi vestigium hominis de mari conscendens apparuit.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri tertij Regum.

CAPVT I.

Ad C. Præfectum, vbi eum ad certamen prouocat.

3. Reg. 1. QVæsierunt Dauid Regi, serui sui adolescentulam speciosam in cunctis finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitem, & adduxerunt ad Regem; quæ dormiebat cum Rege, & ministrabat ei, & non cognouit eam Rex. Quæ est autem hæc puella, quæ de cunctis finibus Israël tanquam singularis eligitur, & Dauid Regi, vt cum eo dormiat, & frigescentes artus calefaciat, copulatur? Interroga Salomonem, & ipse tibi puellæ huius aperiet sacramentum:
Prou. 4. *Posside*, inquit, *sapientiam, posside intelligentiam.* Vis etiam audire virginis huius amplexus? ait: *Ne*
Ibid. *derelinquas eam, & apprehendet te; ama illam, & exaltabit te: circumda illam, & glorificabit te; honora illam, & amplexabitur te.* Sapientiam ergo, hoc est, sanctam vitam amplectamini; vxorem, vt ingenuam, B & hæreditate condignam sobolem procreemus. Non enim ex hac vxore moritura nobis est successura posteritas, sed quæ perpetuò sit victura. Nam quod de corruptione nascitur, necesse est corrumpatur; at quod virginitas gignit, interire non nouit: nec est vitio corruptionis obnoxium, quod ex incorruptione fuerit procreatum. Sed videamus interpretationem istorum nominum, vt valeamus comprehendere sacramentum. Abisag namque interpretatur, pater meus superfluus, vel, patris mei rugitus. Hic superfluus, non superfluitatem, quasi non necessariam, sed abundantiorem Dei Patris significat gratiam: Rugitus autem, vehementem sanctæ prædicationis indicat fremitum; vt Leonem de tribu Iuda, quasi per intonantem sanctæ prædicationis fremitum insonet, quisquis in Abisag, id est, religiosæ vitæ complexibus iacet. Sunamitis autem in no-

stia lingua, coccinea dicitur. Anima quippe sancta sicut Dominici sanguinis mysterio rubet, ita nihilominus & igne sancti Spiritus feruet. Vnde & in manu Phares coccinum alligatur, qui maceriam sub mystica duorum populorum sequestratione diuisit. Et Raab meretrix, in typo Ecclesiæ, coccineum funiculum, vt domus sua pereunte Iericho saluaretur, appendit. Hinc etiam, & alibi de sanctis viris Scriptura commemorat: Hi sunt, qui venerunt de calore domus Raab. Et ipsa in
Luc. 12. Euangelio Veritas: *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram*: qui videlicet ignis in Discipulorum cordi-
Id. 24. bus æstuans, eos dicere compellebat: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Hoc itaque mysticum, & spirituale coniugium, & in Sunamite feruorem gratiæ concipit, & in Abisag sanctæ prædicationis sobolem parit; vt quem in cordis quisque visceribus portat, per oris officium parere non omittat: & quod concipit in corde per coccinum, pariat in ore per prædicationis sanctæ rugitum. Feruorem ergo diuinæ charitatis in Sunamite concipimus, vt prædicationis rugitum Abisag, quasi sobolem pariamus.

CAPVT II.

In Epistola ad Albericum, vbi super decem quæstionibus tractat.

EGo sæpius, fateor, dubitaui, cur Dauid Ioab & Semei, quibus iratus erat, dum adhuc viueret, clementer indulsit; moriens autem Salomoni, sibimet in sceptra regia succedenti, perdendos esse mandauit: *Tu*, inquit, *nosti quæ fecerit mihi*
3. Reg. 2. *Ioab filius Saruiæ; quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace.* Atque paulò post addidit: *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* De Semei quoque sic ait: *Habes & Semei apud te, filium Gera, filij Gemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra.* Denique quibusdam interpositis, addidit: *Ducesque canos eius cum sanguine in infernum.* Quid est enim quòd eos Dauid moriens damnat, quibus viuendo pepercerat? cum profectò rationis ordo deposcat, vt in perduelliones, vel quoslibet inimicos viuens sententiam vltionis exereret, moriens autem eis misericorditer indulgeret? Sed sciendum est quia per regnum Dauid, qui tot persecutionibus & ærumnis attritus, tot aduersitatibus & inopiis cum suis commilitonibus est afflictus, hoc præsens sæculum designatur, in quo cum suis membris Christus affligitur, multisque tribulationibus Ecclesia laceratur. Regnum verò Salomonis, qui diuitiis & gloria cuncta regalium dignitatum iura transcendit, omnia principalis imperij fastigia superauit, futuræ vitæ denuntiat gloriam, in qua Christus verè pacificus, æterna cum suis quiete perfruitur, ac cælestis conuiuij dapibus solemniter epulatur. Vnus igitur, idemque Redemptor noster & nunc Dauid est, & tunc Salomon erit; quia & modò tanquam manu fortia per membra sua contra diabolum pugnare non desinit; & tunc sopita prorsus omni carnis & spiritus controuersia, cum corpore suo, quod est Ecclesia, vt reuera pacificus æterna tranquillitate regnabit. Nunc in electis suis quasi Dauid calamitatum fascibus premitur, persecutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris vrgetur, tribulationibus & ærumnis atteritur: postmodum tanquam Salomon exuberanti diuitiarum immortalium copia potietur. Dauid ergo viuens tolerat, quos in fine condemnat, quia iudex humani generis Christus, quem ille figurabat, illis nunc misericorditer parcit, quibus in fine sæculi sententiam iustæ damnationis infligit. Dauid itaque misericordiam prorogat; Salomon iustitiam indicat. Quia vnus, idemque Redemptor noster & nunc quasi Dauid reproborum iniquitates æquanimiter tolerat; & postmodum tanquam Salomon in gloria sua veniens, eos quasi vibrato iudicij sui mucrone trucidat. Hæc alternitas diuini examinis frequenter in eisdem sermonibus inuenitur, sicut illic: *Misericordiam*, inquit, *& iudi-* Psal. 100.
cium cantabo tibi, Domine. Et: *Misericordiam & ve-* Psal. 84.
ritatem diligit Deus, Misericordia, & veritas obuia- Psal. 84.
uerunt sibi. Sic itaque dum misericordia veritati, quasi Dauid præponitur Salomoni; vt quos hic Dauid per misericordiam sustinet, Salomon per iudicium iustè condemnet. Et notandum, quòd per Ioab, qui suis homicidium manibus perpetrauit, illi designantur, qui mala faciunt: per Semei verò, qui Regi tantummodò maledixerat, illi figurati sunt, qui praua loquuntur. Nam & hi, qui nequiter agunt, & illi qui sermonibus reprobis, ac falsis insistunt, in extremæ discussionis examine proculdubio damnabuntur; sicut idem Dauid ait: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem:* Psal. 5.
perdes eos qui loquuntur mendacium.

CAPVT III.

In Epistola ad Agnetem Reginam.

ET *habebat Salomon quadraginta millia præsepia* 3. Reg. 4.
equorum curriliu m, & duodecim equestrium. Quid per quaternarium numerum, nisi quadriga præstruitur Euangelistarum? Et quid per duodenarium, nisi Senatus exprimitur Apostolorum? Per doctrinam quippe Euangelicam, & Apostolicam vectatur Dominus per omnem latitudinem orbis terrarum. *Currus enim Dei decem millibus* Psal. 67.
multiplex, millia lætantium; Dominus in illis, in Sina in sancto. Nam quia Sina mandatum interpretatur, constat in eis tantummodò vectari Dominum, vbi fit cælestium obseruatio mandatorum. Notandum autem, quia sicut Dauid regnum, qui tot est pressuris attritus, Dominum designat in mortalis adhuc vitæ stadio laborantem; sic Salomonis istius incomparabilis gloria præfiguratur, eundem Dominum post mundi finem in paterni culminis maiestate regnantem. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum: quia nimirum Redemptor noster superat intellectum & Angelorum & hominum.

CAPVT IV.

In eadem Epistola.

DE illo quoque dicitur: Quia *locutus est tria* 3. Reg. 4.
millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia; vbi præstò subiungitur: Quia *disputauit etiam super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piscibus.* Quæ videlicet Redemptori nostro non ambigitur cuncta congruere; cui vacat hæc diligenti consideratione tractare. Ipse nimirum tria millia

parabolas est locutus, qui & per mystica præcedentium facta, & per allegorica Prophetarum oracula; vel etiam per coruscantis Euangelij documenta, dum sub figurarum velamine penè cuncta disseruit, quasi tria millia in verbis suis parabolas numerauit. Vnde & in Euangello Matthæus

Matth. 13. ait: *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* Cuius etiam carmina quinque millia sunt; quia chorus virginum, quæ sub quinario numero describuntur, ante thronum eius, sicut Ioãnes eius in Apocalypsi dicit: *Canticum nouum iugiter modulatur.* Vel quia quinque sunt vulnera Dominici corporis; quibus per vniuersum orbem triumphalis eius gloria prædicatur, sub eodem numero carmina supputantur, sub quo tenentur & vulnera, per quæ victoria singularis laudis æternæ gloriam prome-

Mat. 14. retur. Vnde cum in Canticis dicitur: *Surge amica mea, sponsa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ;* protinus additur: *Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis.* Sanè quia non hæc exactè tractamus, sed succinctè, celeriterque transcurrimus, sufficiat dicere: Quia cùm petra sit Christus, foramina petræ procul dubio sunt Dominici corporis cicatrices. Sed cum post huius petræ foramina, dulcis vox Sponsæ in Sponsi auribus sonare præcipitur, quid aliud quàm quinque vulneribus sub eodem quinario numero carmina lau- C dum reddere pia quælibet anima, vel sancta vniuersalis Ecclesia communetur, vt eiusdem quodammodo numeri carmina referat, quot per se suscepta vulnera non ignorat, illique cunctos sui corporis sensus dedisset, quem totidem pro se fauciatum vulneribus videt? Quinque nimirum nostrorum sensuum vulnera, illis quinque Dominici corporis cicatricibus sunt sanata. Quod autem Salomon super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, disputasse dicitur; hic necessariò ad spiritualem temittitur intellectum; cum nullatenus stare valeat superficies litterarum. Hyssopus enim nequaquàm de parietibus egredi, sed de saxosis cernitur montibus germinari. Paries itaque no- D ster ipsa mortalitatis nostræ conditio est, quæ nos a contemplatione Conditoris velut abditæ domus obstaculum diuidit, & in ima procliuiùs declinare compellit. *Corpus enim quod corrumpitur,*

Sap. 9. *aggrauat animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Ex hoc ergo pariete hyssopus egreditur; quia de fragilitate nostræ mortalitatis erumpit, quod semper necesse est ferro pœnitentiæ resecari. Hyssopo nimirum purificantur intima viscera, per quæ non incongruè designatur confessio peccatorum. Disputauit igitur noster Salomon super lignis, hominibus videlicet intra germinantis Ecclesiæ membra radicatis: à cedro quæ est In Libano, vsque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete, id est, ab ipsis E eminentibus sanctis nitore iustitiæ candidatis, vsque ad peccatores & lapsos, atque ad pœnitentiæ demum lamenta conuersos. Hinc est quod sequitur: *Disseruit & de iumentis*, Sanctorum scilicet adiutoribus, Catholicis viris: *& de volucribus*, hominibus nimirum, per sancta desideria ad superna suspensis; *& de reptilibus & piscibus*, hoc est, de his, qui pectus concupiscentiæ per terram trahunt, & qui per sæcularium negotiorum fluenta vagantur.

A

CAPVT V.

In Epistola ad Albericum, vbi dicitur de mansionibus Israelitarum.

STatuit Salomon duas in vestibulo templi Domini columnas, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, 3. Reg. 7. 2. Paral. 3.
quæ à dextris erat, vocauit, Iachim, hoc est, firmitas: & quæ ad læuam, Booz, hoc est, in robore. Quid enim per columnam, quæ a dextris est, & vocatur firmitas, nisi dilectio Dei: & quæ à sinistris est, & vocatur, in robore, nisi dilectio proximi? Aliud est enim firmitas, hoc est, ipsum robur, aliud in robore; quoniam aliud est diligere ipsum Dominum, A aliud diligere proximum in Deo. In dilectione quippe proximi mensura ponitur; Dominum verò diligere sine vlla prorsus mensura iubemur. In vestibulo ergo templi columnam, quæ firmitas vocatur, erigimus, cum in hac præsenti Ecclesia, quæ cælestis illius Ecclesiæ vestibulum est, Dominum totis viribus firmiter, & constanter amamus. Ipsa quippe dilectio, sicut Ioannes Euangelista perhibet, Deus est. Er de Deo Propheta psallit: *Tu es* 1. Ioan. 4.
Deus meus, & fortitudo mea. Columnam verò, quæ Psal. 42.
vocatur in robore, in sinistra eiusdem vestibuli parte statuimus, cùm proximum nostrum in Deo, sicut nosmetipsos, amamus. Vbi notandum quod Scriptura prosequitur: *Nec non & quasi catenulas* C *in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum.* In nostræ quippe mentis oraculo capitibus columnarum catenulas superponimus, quibus scilicet vtramque columnam sibimet inuicem connectamus; quia nec Deum sine proximo, nec proximum verè diligimus sine Deo.

CAPVT VI.

In Epistola ad A. PP. vbi conqueritur de insolentia prauorum hominum.

DE vasis, quæ Hiran iussu Salomonis Regis fecit in domo Domini, scriptum est: *Quia* D *in campestri regione Iordanis fudit ea Rex, in argillosa terra inter Sochot, & Sartan.* Sochot in tabernacula 3. Reg 7.
vertitur: Sartan verò interpretatur, tribulatio eorum, siue demolitorum, aut coangustantium. Quid igitur per Sochot, quod interpretari tabernacula diximus, nisi sanctos viros accipimus? qui videlicet dicunt: *Non habemus hic* Hebr. vlt.
manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et Petrus: *Certus sum*, inquit, *quod velox est depositio* 2. Pet. 1.
tabernaculi mei. Quid verò per Sartan, quæ tribulatio eorum dicitur, nisi reproborum tribulantium nos persecutio designatur? Hi nimirum & demolitores, & coangustantes sunt; quia dum demoliri, atque destruere fidei nostræ, vel boni operis ædificium tentant, duris iniuriarum, ac E pressurarum nos calamitatibus coangustant. Vasa ergo templi, id est, omnes electi funduntur in campestri regione Iordanis, id est, in humilitate baptismi; inter Sochor & Sartan, id est, inter iustos atque peruersos; vt & bonorum forma proponatur illis ad Imitandum rectæ conuersationis exemplum: & prauorum persecutio ad cumulum illis proficiat meritorum. *Vasa* quidem *figuli probat fornax, & homines iustos tentatio* Eccli. 27.
tribulationis. In arida ergo terra, Templi vasa funduntur; quia mens hominis ad suscipiendum supernæ gratiæ munia non est congrua, nisi prius ab omni carnalis illecebræ fuerit humore

ſiccata. Sicca quippe corda clarum harmoniæ ſonitum, humida reddunt obtuſum. Tympanum quoque ſurdum ſonat, ſi quilibet eum liquor humectat; ſic neceſſe eſt vt mens hominis à carnis voluptate ſit arida; quatenus in Dei omnipotentis auribus eius oratio ſit arguta. Enimuerò ſicut oculus, dum Solis ſe radiis obiicit, videre fruſtra contendit, & cauos quidem orbes, ac vacuas pupillis palpebras pandere nititur, ſed ſplendorem, quo perfunditur, nullatenus intuetur: ſic ad concupiſcendam contemplationis lucem ſe ſe inaniter erigit, qui per ſæcularis vitæ meritum aciem cordis amiſit. Nam ſi quilibet ignotus cubiculum Regis irrumpat, eique præſens tanquam familiaris aſſiſtat, Regis tamen alloquio non perfruitur, quia charus ei per anterioris notitiæ gratiam non habetur: ita nos infelices & miſeri, quod quidem de meis ſimilibus loquor, ſæpe ſoli in anguſta cellulæ remotione conſiſtimus, ſolis diuinæ maieſtatis obtutibus trementes adſtamus, peccatis tamen obſtantibus, vel intimi ſplendoris igniculum, vel compunctionis gratiam non meremur. Sic itaque velut ante Regis videmur adſtare præſentiam, ſed quia per vitæ rectitudinem ſibi noti non ſumus, collocutionis internæ dulcedinem non guſtamus. Sed, ô dulcedo mellifluа, cùm Dominus in ſeruo, & ſeruus delectatur in Domino; Vnde Pſalmiſta: *Suauis ſit*, inquit, *ei laudatio mea; ego verò delectabor in Domino.* Pſal. 103.

CAPVT VII.

In Sermone de Natiuitate S. Mariæ.

2. Cor. 10. 3. Reg. 8. 2. Cor. 10. F*Actum eſt, cum exiſſent Sacerdotes de ſanctuario, nebula impleuit domum Domini; & non poterant Sacerdotes ſtare prope propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Quæ omnia*, ſicut egregius Prædicator dicit, *in figura contingebant illis.* Gloria quippe Domini intelligitur Chriſtus, cuius fide repletus eſt mundus; de qua gloria cùm pro adorato vitulo deprecaretur Dominum Moyſes, vt parceret populo peccatori; reſpondit Num. 14. Dominus: *Propitius ero illi; verumtamen viuo ego, & viuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra.* Quod autem nebula impleuit domum Dei; & non poterant Sacerdotes miniſtrare propter nebulam, hæc ſententia ſuperbos Iudæorum Pontifices, ac Doctores inſinuat; qui dum incarnationis Chriſti ſacramenta inueſtigare deſpiciunt, debitum fidei ſuæ miniſterium per erroris nebulam perdunt: ita enim eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, vt propriis exigentibus meritis non agnoſcant cultum credulitatis. Ad illud ergo templum Dominus in nebula deſcendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caliginem deſignaret. In Pſal. 18. hoc ſic ſcriptum eſt: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, vt ſedentem in tenebris, & vmbra mortis illuminaret.* Illi denique templo Deus omnipotens gloriam quidem ſui aduentus contulit, ſed nihil ex eo in ſua natura ſuſcepit. In beatiſſimæ autem Virginis vterum, non ſolùm eſt dignatus deſcendere, ſed ex eo etiam perfectam ſibi ſubſtantiam noſtræ mortalitatis vnire. Quantò igitur noſtri templi maior eſt dignitas, tantò glorioſior eius debet eſſe ſolemnitas. Illud ſiquidem corpus Chriſti, quod beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod faſciis cinxit, quod materna cura nutriuit: Illud, inquam, abſque vlla dubietate, non aliud, nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc ſancta Eccleſia fideliter docet.

CAPVT VIII.

In Epiſtola ad Agnetem Reginam.

N*On erat argentum, nec vllius pretij putabatur in diebus Salomonis.* 3. Reg. 10. Quod nimirum quomodo iuxta litteram ſtabit, vt credi valeat tempore Salomonis argentum vel penitus non fuiſſe, ac propter hoc omnino de terra deletum, vel nullius, vel exilis ſaltem pretij conſtitiſſe. Nam nullius erat pretij, ſicut dicitur, ergo mille talenta argenti, ne vnius quidem oui poterant appendio ſupputari; quod fanè credi quàm friuolum, quàm videatur ineptum, ipſe reuincit textus, & ordo verborum: qui poſtquam præmittit: *Non erat argentum, nec vllius pretij putabatur in diebus Salomonis*; præſtò ſubiungit: *Quia claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram, ſemel per tres annos ibat Tharſis, deferens inde aurum & argentum.* Cur enim per tot marina diſcrimina metallum hoc claſſis illa deferret, quod pretium penitus non haberet? Et paulò poſt dicitur: Quia *afferebantur ei vaſa aurea, & argentea*; deinde ſubinfertur: *Egrediebatur quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta.* Non ergo pretio carebat argentum, quo vehicula redimebantur equorum: ſed argento deſignatur claritas Eccleſiaſticæ prædicationis, de qua dicitur: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum.* Pſal. 11. Nullius, vt ita loquar, pretij reputabimus, nec aliquatenus erimus eius indigni, poſtquam ad veri Salomonis regnum ex hac fuerimus calamitate tranſlati: non enim tunc prædicationis indigemus eloquio, nec datur in decore ſuo Regem gloriæ facie ad faciem cernere, quem vbique conſueuimus ex ore prædicatoris audire. Sic per Prophetam pollicetur Dominus, dicens: *Nemo dicet, Agnoſce Dominum; omnes enim* Hier. 31. *cognoſcent me à maximo vſque ad minimum, dicit Dominus.* Sed fortè quis aſſerat: Scripturæ verba nos ad noſtrum intellectum violenter inflectere; & quod Salomon de ſe videtur aſſerere, ad Saluatorem perhibeat ſpecialiter per omnia pertinere. Dicat itaque obiectionis aſſertor, qua Salomoni valeat ratione competere, quod quaſi de ſe dicit: *Dominus enim dedit mihi horum, quæ ſunt,* Sap. 7. *ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinem, permutationes hominum, & quæcunque ſunt abſconſa, & improuiſa didici.* Nam, vt de cæteris interim ſileamus, quomodo noſſe potuit Salomon hominum cogitationes, cùm ipſe Deus alibi dicat: *Tu ſolus noſti corda omnium filiorum hominum?* Sed & quia abſconſa omnia, & improuiſa didicit, niſi Redemptor noſter, in cuius pectore ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi? qui profectò per humanitatem didicit, quod per diuinitatem naturaliter nouit.

CAPVT IX.

In Sermone de S. Antimo.

L*Egitur quia Salomoni fuerunt vxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ.* 3. Reg. 11. Quid autem mihi cum gynæceo Salomonis? Sed excuſſa pa-

sea verborum inuenitur in medulla mysterium.
Quid enim per septingentas, quæ vxores, simul &
Reginæ morantur, nisi illæ intelliguntur animæ,
quæ & septiformis habent gratiæ spiritum, & su-
Deut. 21. per resultantium vitiorum motus quasi regalem
obtinent principatum? Quid autem per trecen-
tas, easdemque concubinas, nisi illæ animæ figu-
rantur, quæ per solam S. Trinitatis fidem thala-
mum quidem Regis ingressæ sunt, sed castæ con-
uersationis, & quodammodo matronalis pudici-
tiæ munditiam non habentes, dotales vxorum ta-
bulas non merentur? Hæ nimirum, & Salomoni
per commercium iunctæ sunt, quia Saluatoris no-
stri veri pacifici sacramenta percipiunt, & tamen
per degenerem lenocinantis vitæ torporem, nec
habentes vni vero pudoris affectum, ad nuptialis
fœderis dotalicium non assurgunt. Enimuero illæ
animæ vxorio, ac regali nomine dignæ sunt, quæ
in solo cælestis Sponsi desiderio requiescunt, quæ
insœderabiliter contra malignorum spirituum
tentamenta confligunt. Sic de eodem Salomone
3. Reg. 9. Scriptura testatur, quia *Alienigenas quoque tribu-*
tarios fecit: de filiis autem Israel non constituit Rex
seruire quemquam; sed erant viri bellatores, & mini-
stri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum &
equorum.; vbi patenter ostenditur, quæ inter con-
cubinas distantia sit & reginas; quid differat inter
eos, qui serui peccati duræ exactionis tributa per-
soluunt, & eos, qui per sedata bella certaminum,
principatuum infulas sortiuntur.

CAPVT X.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

3. Reg. 17. *Ait Sareptana mulier ad Heliam, ad quam ille*
pascendus fuerat missus à Domino: En colligo duo
ligna, vt ingrediar, & faciam mihi, & filio meo pu-
A *lulum farinæ, atque olei, quod habes, vt comedamus*
& moriamur. Hæc mulier duo ligna colligabat,
quibus posset inopem sibi cibum & filij proui-
dere; sed huius viduæ farina & oleum ad pro-
uentus abundantiam benedicitur, vt charitatis
fructus & hilaritatis iam tunc in sacramento
Ecclesiæ commendetur: *Hilarem* enim *datorem di-* 2. Cor. 9.
ligit Deus. Vidua hæc, sancta erat Ecclesia, de qua
dicitur: *Viduam eius benedicens benedicam:* Cui lice- Psal. 131.
bat cuicumque vellet mortuo viro coniungi; quia
desinente lege, mox Christo, qui finis legis est,
ad iustitiam omni credenti, meruit Ecclesia co-
B pulari. Illa cibum anhelabat, qui duobus esset li-
gnis excoctus: Et sancta Ecclesia panem de cælo
viuentem esurit, qui in ara Crucis est torridus.

CAPVT XI.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascen- 3. Reg. 18.
debat de mari. Quia enim non quasi homo,
sed quasi vestigium hominis dicitur, rectè per
hoc Crux, quæ membris est apta Dominicis,
dicitur, quia per eam Deus homo transitum fe-
C cit, cum ad Patrem rediit. Sic vt per Ioannem
dicitur: *Sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat* Ioan. 13.
ex hoc mundo ad Patrem. Pascha quidem transitus
dicitur. Et hic transitus per Crucem factus est,
sicut dicit Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est* 1. Cor. 5.
Christus. Sicut ergo per Virginem descendit ad
nostra, sic per Crucem est reuersus ad propria.
Quod congruenter expressit illud factum sub
Helisæo miraculum. Nam cum iuxta Iordanem
ligna cæderentur, repente securis cuiusdam ma- 4. Reg. 6.
teriam succidentis in aquam cecidit.

Expliciunt Testimonia Libri tertij Regum.

Incipiunt Capitula Libri IV. Regum.

1. *Quòd Helisæus aquas Hiericho salis admixtione sanauit.*
2. *De eo, quòd Helisæo ascendenti ad Bethel, pueri illudebant dicentes: Ascende calue, ascende calue.*
3. *Obsecro, inquit Naaman Helisæo, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra.*
4. *De eo, quòd dum Helisæus lignum in aquam misisset, securis, quæ ceciderat, ad manubrium rediit.*
5. *De eo, quòd Ezechias decem lineis per gradus Horologij vmbram reuerti postulauit, vt esset sibi signum recuperandæ salutis.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri quarti Regum.

CAPVT I.

In Sermone de Exaltatione S. Crucis.

4. Reg. 2. *Cum viri Hiericho Helisæo conquererentur, quòd*
aqua esset pessima, & terra sterilis: Afferte,
D *inquit, mihi vas nouum, & mittite in illud sal; deinde* Ioan.
aquarum fonti sal illud immersit; sicque aquas ab omni
morte, & sterilitate sanauit. Quod nimirum, vt to-
tum breui sermone concludam, nihil aliud insi-
nuat, nisi quod Verbum caro fieret, & habitaret
in nobis. Quid enim aquæ nisi mundani sunt

populi; quid vas nouum nisi corpus Dominicum,
nulla scilicet præuaricationis iniquæ labe nigra-
tum, nulla veteris hominis abusione detritum?
Quid porro sal, nisi cælestis est sapientia? Sapientia
igitur Patris in corpus descendit humanum, & sic
ad fertilitatem, & vitalis intelligentiæ dulcedi-
nem, omnium conuertit fidelium mentes. Quæ ni-
mirum dulcedo tamdiu latuit, vsque dum sal mer-
geretur in aquam, id est, vsque dum ille penderet in
Psal. 68. cruce, qui dicit: *Saluum me fac Deus, quoniam intraue-*
runt aquæ vsque ad animam meam. Ex tūc enim homo
didicit quid deberet appetere, quid vitare.

CAPVT II.

In Sermone de S. Cassiano.

CVm *Helisæus ascenderet per viam, quæ ducit Be-*
4. Reg. 2. *thel, pueri paruuli egressi de ciuitate illudebant ei*
dicentes: Ascende calue, ascende calue: qui cum respe-
xisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini.
Moxque Scriptura subiungit: Quia *egressi sunt*
duo Vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta
duos pueros: Sanè quid per Helisæum nisi Media-
tor Dei & hominum debet intelligi? Quid verò
per Bethel, quæ domus Dei interpretatur, nisi
beatitudo cælestis exprimitur? Per viam ergo quæ
ducit Bethel, Redemptor noster ascendebat,
quando passioni appropinquabat; sicut iam in ipsa
sacrosancta & mystica cœna dicit Discipulis: *Vado* C
Ioan. 16. *ad eum, qui misit me.* Sed dum ascendit Bethel, id
est, dum per sanctissimæ passionis suæ mysterium
redire contendit ad Patrem, pueri parui egressi de
ciuitate, illudunt ei, dicentes: *Ascende calue, as-*
Esai. 65. *cende calue*, quia Iudæi omni grauitatis, & sapien-
tiæ pondere vacui, illaque pueritia paruuli, de qua
dicitur: *Maledictus puer centum annorum*, eum ad
locum, qui dicitur Caluariæ, pertrahunt, atque
aduersus eum viperinis irrisionum, & opprobrio-
rum furiis inardescunt. Caluariæ autem locus ille
dicebatur à caluitiis amputatis; quia illic damna-
titij decollari consueuerant. Et notandum quia
pueri egressi de ciuitate dicuntur; quoniam, sicut
Hebr. 13. Apostolus ait, *Vt sanctificaret per suum sanguinem*
populum, extra portam passus est Dominus. Porro quod D
sequitur: Quoniam *egressi sunt duo Vrsi de saltu, &*
dilacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Per nu-
merum puerorum, numerus signatur annorum.
Quadragesimo secundo quippe anno post Domini
passionem, sicut historiæ tradunt Titus & Vespa-
sianus, duo Reges, de syluis gentium tamquam
duo feroces vrsi de saltu ferarum, dilacerauerunt
pueros quia venientes ad excidium Hierusalem
debellauerunt in furore Iudæos.

CAPVT III.

In Epistola ad Hildeprandum, & Stephanum, vbi dicitur, quomodo rationalis anima ad perfectionem veniat.

4. Reg. 5. OBsecro, *inquit Naaman, concede mihi seruo tuo,*
vt tollam onus duorum burdonum de terra. Quid
autem per allegoriam Naaman Syrus, nisi ge-
nus designat humanum? Sicut enim Naaman
ante leprosus, mox vt septies aqua Iordanis
Matth. 3. abluitur, ab omni lepræ squalore purgatur:
Mar. 1. ita mundanus populus septem charismata illius
Luc. 3. columbæ percipiens, quæ super Dominum in
Ioan. 1. Iordane descendit, per sacri Baptismatis laua-
crum contagia deposuit peccatorum. Quid ve-

A rò terra, quam Naaman postulat, nisi incar-
nationem significat Redemptoris? Hæc est per
mysterium illa repromissionis terra, quæ lac &
mel fluere dicitur. Lac enim de carne fluit,
mel de superioribus venit. Quia igitur in vno
Mediatore Dei & hominum, & humanitatis
lac, & mel diuinitatis inesse cognoscitur, rectè
per terram lac & mel emanantem, incarnationis
eius mysterium figuratur. Quod autem ex hac
terra onus duorum burdonum petit, quid aliud
quàm duorum Apostolorum, Petri scilicet &
Pauli, documenta deposcit? Vnde & vnus eorum
dicit: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circum-* Galat. 2.
cisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et quia non
B modò Apostolos, sed omnes Prædicatores scien-
tiam, & operationem habere necesse est, duos in
castellum, quod contra se erat, Dominus Disci-
pulos misit; atque (sicut Lucas testatur) in om-
nem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus, Luc. 10.
geminos destinauit. Quod ergo Naaman in terra
sancta duorum burdonum expetit sarcinam, super
incarnationem Dominicam genus humanum Apo-
stolicam videtur efflagitare doctrinam; vt hi sagi-
narii mundo terram inuehant, ex qua ad offe-
renda sacrificia altare in conspectu Conditoris
fiat. Vnde filiis Israël præcipit dicens: *Altare de* Exod. 20.
terra facietis mihi. Quod autem Naaman non ob
aliud terram Prophetæ poposcisset, nisi vt ex ea
Domino altare construeret, in suis ipse verbis
C ostendit, cum illic præstò subiungit: *Non enim vl-*
tra faciet seruus tuus holocaustum, & victimam diis
alienis, nisi Domino.

CAPVT IV.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

CVm *filij Prophetarum iuxta Iordanem ligna cæde-* 4. Reg. 6.
rent, repente securis cuiusdam materiam succi-
dentis in aquam cecidit; tunc Propheta lignum in a-
quam misit, & mox ferrum natauit, atque ad manu-
brium rediit. Quid est autem securis nisi sapientia
Dei operata per corpus? quid ferrum nisi diuinitas?
quid lignum nisi humanitas? Et rectè corpus
D Christi lignum dicitur, quod in ligno pependit.
Securis igitur iuxta Iordanem arbores succidebat;
quia Dei sapientia iuxta fluidum mortalitatis no-
stræ decursum, dignata est impios Iudæos, suæ
prædicationis austeritate corripere, & velut in-
fructuosas arbores à statu rigidæ superbiæ dese-
care. Vnde & Ioannes dicit: *Iam securis ad radi-* Matth. 3.
cem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non facit Luc. 3.
fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Itaque
dum ligna cæduntur, ferrum in aquas de manu-
brio cecidit; quia dum syluestres Iudæorum
mentes Veritas corripit, diuinitas carnem tamen
non deserens, ad inferni profunda cum spiritu
E comitante descendit. Sed lignum in aquam mit-
titur, & ferrum redit; quia corpus Domini, quod
in ligno pependerat, in sepulchro ponitur; dein-
de ex profundis inferni spiritu redeunte surrexit.
Vnde notandum est, & diligentissimè perpen-
dendum, quia ipse Redemptor noster ante per
crucem transiit, & sic humanitatem suam in pa-
ternæ dexteræ gloriam sublimauit. Exemplum
quippe nobis exhibuit, vt vnde caput præcessisse
cognoscitur, per eandem viam & membra subse-
quentia gradiantur.

CAPVT

CAPVT V.

In Sermone de S. Bonifacio.

Esai. 38. PEtiuit Rex Ezechias vt vmbra decem linearum gradibus reuerteretur, quibus iam in horologio descenderat. Quid isti gradus illius horologij, in quo Rex Ezechias vmbram reuerti decem lineis petiit, mysticè innuunt, nisi quia totidem Saluator noster gradibus ad nostræ mortalitatis ima descendit, cùm ad redimendum genus humanum venit? Quasi quosdam enim gradus exhibuit, cùm de cælo venit in vterum Virginis: de vtero venit in præsepe: de præsepe transiit ad circumcisionem: de circumcisione ad templum: de templo ad baptismum: de baptismo ad crucem: de cruce ad mortem: de morte ad sepulcrum; postremò descendit ad infernum, vt inde sanctos erueret, quos ad cælestem gloriam calcato mortis imperio reuocaret. Planè vt nos post se currere faceret, istos pro nobis gradus manifestata per carnem Veritas ad nos descendendo disposuit; & quodammodo cuiusdam mystici horologij sol iustitiæ Christus hæc ad nos se inclinando momenta distinxit. Qui nimirum
Psal. 18. *exultauit vt gigas ad currendam viam*; vt nos ei ea corde diceremus:
Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Descenderat itaque sol emensus iam decem gradibus horologij: sed per eosdem gradus iterum rediit; quòd videlicet signum esset, per quod se Rex Ezechias saluti pristinæ restituendum esse consideret. Enimuerò nec genus humanum ad incolumitatem, quam amiserat, de sui languoris erogatione conualuit, cùm diei lux vera Christus decem eos, quos enumerauimus, mystici horologij gradus ad occasum nostrum se humiliando percurrit. Quamquam per vmbram decem graduum, & aliter supernæ dispensationis possumus intelligere sacramentum. Diuersitates quippe temporum, quasi quædam distinctiones sunt in horologio linearū. Soli namque iustitiæ Christo primus ad nos descensionis gradus fuit de Deo in Angelum. Vnde est quod per Isaiam dicitur.
Isai. 9. *Magni consilij Angelus.* Et qui cum Iacob loquebatur Deus, Angelus nuncupatur. Hinc est quod per eumdem Iacob dicitur:
Gen. 31. *Dixit Angelus Domini ad me in somnis: Ego sum Dominus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi*; nimirum, vt idem ipse qui loquitur, & Deus simul & Angelus ostendatur. Secundus descensionis gradus fuit in Patriarchis, per quos scilicet ipse Dominus vnius Dei cultum, ac veræ fidei fundamenta constituit. Tertius in promulgatione legis, quam & ipse priùs audiente populo protulit, & postmodum in lapideis tabulis proprio digito exarante descripsit. Quartus in Iesu Naue, in quo sicut nomine, sic & opere degens, in terram repromissionis populum introduxit. Quintus fuit gradus in Iudicibus, per quos nimirum Israeliticam plebem & ipse regebat. Sextus in Regibus Iudæorum, quia in eis principaliter ipse regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos ipse & annūtiatus est, & locutus. Octauus in Pōtificibus, in quibus ipse, qui summus est Pontifex, veri, & æterni sui sacerdotij mysteriū figurauit. Nonus autem gradus designatus est in homine. Decimus in passione. Per hos itaque decem gradus, quasi per vmbram veteris testamenti, sol iustitiæ Christus in nostræ mortalitatis descendit occasum; & per eos iter post resurrectionem suam in cœlum victor ascendit, omnemque illam vetustæ legis vmbram veritatis suæ, ac nouæ gratiæ radiis illustrauit, obscura reuelans, clausa reserans, & omnia sub velamine litteræ tecta denudans. Et sicut tunc sol lineatim quidem, ac morosè processerat, repentè autem ad ortus sui est reuersus originem; sic nimirum, sic signauerat Redemptor noster ea, quæ de incarnationis suæ mysterio per longa temporum interualla, in sola resurrectionis, atque ascensionis suæ gloria subitò patefecit.

Expliciunt Testimonia de libro IV. Regum.

De libro Esdræ.

Quòd quidam Sacerdotes quæsierunt scripturam genealogiæ suæ: Vnde cum non inuenirent, eiecti sunt de sacerdotio.

In Epistola ad Cunibertum, Episcopum Taurinensem.

PIum enim est credere, quia quisquis nunc peccata propria recognoscens, ac deserens, à suo se ministerio humiliter reprimit, in die iudicij eumdem, quo se sponte priuauerat, ordinem obtinebit. Quod in libro Esdræ significari videtur, vbi Sacerdotum genealogia describitur. 1. Esdræ 2.
Ibi quippe sacra narrat historia; quia *Quidam Sacerdotum quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & quoniam reperire non potuerunt, eiecti sunt de sacerdotio.* Illi planè veraciter Sacerdotes sunt, qui sacerdotaliter viuunt. Hi sacerdotalis generis lineam seruant, qui vitam suam Domino sacrificium offerunt, ac de sacerdotali se prodire prosapia religiosè viuendo testantur, dum sanctorum Sacerdotum imitantur exempla, quæ legunt, tunc in sacris eloquiis Sacerdotum se filios recognoscunt. At hi, qui carnaliter viuunt, & prauorum sequendo vestigia, quasi de sæcularium generatione descendunt, meritò de Sacerdotum proiiciuntur ordine, quorum se per vitam reprobam nequeunt filios inuenire. Et notandum, quod illic sequitur: *Dixit Athersatha eis, vt non comederent de Sanctis Sanctorum, donec surgeret Sacerdos Dei doctus atque perfectus.* In qua nimirum prohibitione quid aliud per allegoriæ mysterium debet intelligi, nisi vt is, qui dignus est sacerdotio, percipiendis se sacramentis, & sacerdotalis ordinis administratione compescat, donec Christus in iudicio, qui verè Sacerdos est, doctus, atque perfectus exurgat? Sicut per Psalmistam dicitur: *Terra tremuit, & quieuit, dum exurgeret in iudicio Deus*; vt is, Psal. 75.
cuius terroris instinctu quilibet lapsus hic sua se dignitate sponte priuauerat, eum in iudicio grata vice restituens, ad amissi ordinis culmen attollat, dicens: *Amice, ascende superius, & tunc sit gloria coram simul discumbentibus.* Luc. 14.
Sed sunt nonnulli, quod prætereundum non est, qui, iuxta Apostolum, *desperantes semetipsos immunditiæ tradiderunt*; Ephes. 4.
nam continentiam funditus desperantes, à suscepti ordinis administratione se reprimunt: atque se delinquere velut impunè confidunt, ac si seruus Domino suo dicat: Quia quod præcipis, implere non valeo, ad hostium tuorum castra transfugio, illisque me ad pugnandum contra te dedititium trado; Tamquam possit Dominum suum placare, quòd fugit, & non possit irritare, quòd aduersus eum in arma consurgit. Quibus ego constanter, & sine vlla prorsus ambiguitate denuntio, quoniam cassa se, ac friuola pollicitatione decipiunt, si non exequentes officium, officio se exutos esse confidunt. Licet

enim à frequentatione, vel executione cesset ordo **A** cuiuslibet, vel officium; in ordinato tamen nihilominus permanet ordinis sacramentum. Et sicut vir quispiam etsi cesset ab opere coniugali, nullo modo tamen absoluitur copulatione coniugij; ita Clericus etsi sui ordinis non fungatur officio, eiusdem tamen ordinis non exuitur sacramento. Cauendum est ergo illis, ne super eos veniat formidolosa illa

Hebr. 6. sententia, quæ per Apostolum dicitur: *Impossibile est*, inquit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes in sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Ita plane videntur agere, ac si Israëlitarum quispiam volens fornicari cum idolis, dicat: quia nequeo obserua- **B** re duram ac rigidam Dei legem, ad ritum transibo gentilem; tanquam recedens à lege, non sit debitor legi. Et hoc modo quamquam deseruata lege non sit præmio dignus, vltioni tamen de contempta non teneatur obnoxius. Sed audiamus quid talibus

Deut. 29. Diuina seueritas in Deuteronomio dicat; *Cũque audierit quisquam verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebrius sitientem, & Dominus ignoscat ei; sed tunc quàm maximè fumus eius fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant supra eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine, & deleat nomen eius sub cælo, & consumat eum in perditionem ex omnibus Tribubus Israël iuxta maledictiones, quæ in*

Psal. 118. *libro legis huius, ac fœderis continentur.* Sed & Psalmi- **C**

Ezech. 20. sta dicit: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Et per Ezechielem Dominus ait: *Neque cogitatio mentis vestræ fiet dicentium: Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos; & educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, & subiiciam vos in sceptro meo.*

De libro Tobiæ. **D**

Tob. 2. ILlud ad memoriam reuoca, qood de Tobia viro iusto Scriptura testatur: *Contigit*, inquiens, *cùm vna die fatigatus à sepultura, veniens domum, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset: atque ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora insiderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Fatigatus à sepultura, dum se velut effractis viribus proiicit, lumen amittit. Illæsum quippe cordis oculum seruat, quisquis in bonis operibus infatigabilis perseuerat: cùm verò pusillanimiter frangitur, non immeritò luce priuatur. **E**

Eccli. 2. Hinc enim scriptum est: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Hinc Paulus ait: *Vigilate, state in fide, viriliter agite.*

1. Cor. 16. Quid verò leuiter volantes hirundines, nisi leones adulantium, & blanda loquentium significant mores? qui dum blandiloqui sua suauitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne solita luce fruantur, ex-

Psal. 140. cæcant. *Corripiet me*, inquit, *iustus in misericordia, &* **A** *increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, Et tamqoam stercus oculis ingeritur, dum lenocinantis eloquia quemlibet blanda verbositate peruogunt; à quibus scilicet hæc sæpe dicuntur: Viue dum viuis, recrea corpus edulijs, ne si se districtiùs atterat, tot oppressa laboribus caro fragilis mox succumbat: persona tua excellentioribus excolatur induuiis, vt eius, quam tenes, seruetur generum dignitatis: agglomeretur lateribus tuis turba clientium, vt dum te commeantium multitudo cõdecorat, honoris officio tunc virescat. Sed si nobis hæc diabolicæ malignitatis amaritudo detegitur, tentationis ingestæ caligines funditus euanescunt.

Vnde & illic dicitur: *Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patri suo, mox que cœpis albugo ex oculis eius quasi membranum oui egredi, statimque visum recepit.* **Tob. 11.** Fel etenim piscis est malitia Behemot, qui caput **B** est, & initium totius iniquitatis. Cæcus itaque felle piscis oblinitur, & protinus cæcitas effugatur; quiá cùm amaritudo diabolicæ versutiæ nostris oculis ostensa proponitur, tenebrarum mox caligo propellitur, & lux interior, quæ velut eclipsim passa fuerat, reformatur. Et notandum quod dicitur, quia prius albugo de oculis est illius egressa, & sic lux illico reparata. Ille quippe in oculis gerit albuginem, qui de se sanctitatis habet opinionem. Quisquis ergo recuperare vult lucem, amputet à se prius affectatæ æstimationis albuginem, vt se non abneget peccatorem, qui peccati vult euadere cæcitatem. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Isti sunt **Matth. 5.** oculi, de quibus in Canticis dicitur: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* **Cant. 4.** **C**

De libro Iob.

Ex Sermone de S. Georgio.

QVis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Et paulò post: *Circundedi illud* **Iob. 38.** *terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tu-* **D** *mentes fluctus tuos.* Enimuerò rectè per mare cor praui hominis designatur, quod videlicet furore est turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, caligine malitiosæ fraudis obscurum. Separauit ergo tunc Deus mare, & minaces fluctus ab inundatione terræ compescuit: vt terra virentes herbas, & ligna pomifera germinaret, ac deinde segetum fructus afferret. Separat etiam nunc ab electis suis reproborum turbines persequentium, & quasi furentes coërcet impetus tempestatum: quod etsi furere vsque ad inferenda corporibus tormenta concedit; ne tamen animas lædant, inuictã eos **E** atque peruigili brachij sui protectione custodit, quodammodo dicens mari: *Hucusque venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Ac si patenter dicat: Vsque ad inferenda corporibus te tormenta relaxo; ne autem vsque ad animã, cumulis intumescentibus profluas, legis meæ tibi littus oppono: vt dum furori fluctuũ tuorum littus obiicitur, terra cordis ad proferenda fluctuum germina libera relinquatur.

Incipiunt Capitula de libro Psalmorum.

1. *De impio exaltato, & depresso.*
2. *De impiis positis sicut oues in inferno:*
3. *Deus meus, ostende mihi bona super inimicos meos; ne occidas eos, ne obliuiscantur legis tuæ.*
4. *De holocaustis medullatis.*
5. *Non me demergat tempestas aquæ, &c.*
6. *De reproborum exaltatione.*
7. *Filij Ephrem intendentes arcum.*
8. *Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis.*
9. *De eo, quod dicitur: Ego dixi in excessu mentis meæ, Omnis homo mendax.*
10. *De eo, quod dicitur: Fiat manus tua, vt saluum me faciat.*
11. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit, &c.*
12. *Non declines cor meum in verbum malum.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia libri Psalmorum.

CAPVT I.

A

In Epistola ad Desiderium Abbatem, vbi super Dei omnipotentia disputatur.

Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani; transiui, & ecce non erat.* Adhuc fortassis epulabatur ille splendidè, fulciebatur cuneis obsequentium, ambiebatur agminibus bellatorum; quem Propheta superexaltatum, & eleuatum vidit: moxque ad contemplandum summa pertransiens, quem magnum aliquid fortè crediderat, nihil esse cognouit tunc gestum. Tunc enim & cum diuitiis intumescunt, cùm se super alios arroganter extollunt; cùm denique inferiores per tyrannidis violentiam opprimunt, tunc, inquam, eo veriùs nihil sunt, quo ab eo, qui verè, & summè est, procul sunt.

CAPVT II.

In Epistola ad Hermisindum.

Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Oues habet Christus, quas ad amæna virentia caulis cælestibus introducat: oues habet & ille leo rugiens, quas insatiabili cruentiùs ore deglutiat. Qui benè mors dicitur; quia cum sit auctor mortis, ad inferendum nobis interitum crudeliter
Apoc. 2. efferatur. Vnde Ioannes: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.*

C

CAPVT III.

In Epistola ad Desiderium Abbatem, vbi dicit, quòd maiori sit dignus honore, qui dignitatem proiicit, quàm qui in ea manet.

Deus, Deus meus, ostende mihi bona super inimicos meos; ne occidas eos, ne obliuiscantur legis Psal. 58.
tuæ. Prouida quippe Redemptoris nostri dispensatione diuinitus agitur, vt quasi ad seruandam legis domum Iudæorum reliquiæ reseruentur; vt ipsi quodammodo nostri sint scriniarij, & libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt lingua, vbique terrarum ferant; quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant. Vn-
B de per Psalmistam dicitur: *Deus meus, ostende mihi* Psal. 58.
bona super inimicos meos, ne obliuiscantur legis tuæ. Hebraïca quippe lingua, quę toto orbe dispergitur, multùm Christianę fidei auctoritas adiuuatur. Nam nisi illud accederet testimonium, quod apud nos scribitur, quodammodo putari posset esse figmentum. Sed cùm illud testimonium adhibetur, illico dubietas tollitur. Vnde & illic aptè subiungitur: *Disperge illos, dissemina per totum* Ibid
mundum eos, qui superfuerint de populo Iudæorum, vt ipsi de veteribus libris testimonium perhibeant nouæ fidei veritati.

CAPVT IV.

In libro de contemptu sęculi.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso, Psal. 66.
& arietibus. Dauid autem pro magno munere, medullata se Deo sacrificia oblaturum esse pollicetur, dicens: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso, & arietibus.* In primis

itaque sciendum, quia nequaquam Deus hostiarum pelles, sed interiora potius viscerum cum ipsis quoque medullis in sacrificio sibimet mandat offerri. Vnde in ostendendo ipso sacrificiorum ritu, Moyses præcipit dicens: *Subtractâ pelle hostiæ artus in frusta concidat.* Quisquis sanè semper negotiorum sæcularium exercitia delectabiliter fundit, holocausti sui medullas cum visceribus subtrahit, & solam victimæ pellem Deo, qui offerri prohibetur, abolere contendit. Qui verò suaue Deo sacrificium offerre desiderat, recessus petat, interiora sectetur, animam suam integram illibatáque in propria virginitate custodiat; ne discurrendo per lupanaria sæculi immundis corruptoribus, prostibuli more, substernat. Vt ergo interni Sponsi conspectui placeat, non se fusis pompæ sæcularis obducat, sed omnes mentis suæ sensus immortalis vnguine castitatis obliuiat, ne in mortem per incontinentiam corruens, in fœtore luxuriæ computrescat. In conclaui igitur sanctæ Ecclesiæ anima se pudica concludat, sicque in æterni Regis thalamo iugiter requiescat.

Leuit. 9.

B

CAPVT V.

Ad Alexandrum Papam, de Canonicis.

Psal. 68. NOn me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me puteus, neque vrgeat super me puteus os suum. Cùm peccat homo, quasi in puteum labitur; cùm verò peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egressus, vrgetur. Corruit ergo in puteum homo, cùm peccat; claudit verò sibimet os putei, dum excusat. Ex hac porrò defensione, vel excusatione etiam hæresis nascitur. Hæresis enim interpretatur electio; & dum quod elegit quis, defendere nititur, relicto veritatis tramite, quia per abrupta peruersi dogmatis rapitur in hæresim, necesse est, prolabatur. Hoc autem inter peccatorem, & hæreticum distat; quia peccator est, qui delinquit, hæreticus autem, qui peccatum per prauum dogma defendit.

C

CAPVT VI.

Ad Desiderium Abbatem; vbi de Dei omnipotentia disputatur.

Psal. 72. DEiecisti eos dum alleuarentur. Dum de reproborum sese extollentium deiectione Propheta narraret, non ait: Postquam alleuati sunt, deiecisti eos, Domine; sed, dum alleuarentur; quia per hoc inanescunt, per quod intumescunt; inde corruunt, vnde sublimes fiunt.

CAPVT VII.

In Sermone de S. Anastasio.

DE quibusdam magna prædicantibus, sed desidiosè viuentibus, per Prophetam dicitur: Psal. 77. *Filij Ephrem intendentes arcum, & mittentes sagittas suas, conuersi sunt in die belli.* Qui enim aduersus vitiorum tentationes ad conflictum alios prouocant, sed confligere ipsi sub ignobili desidiæ languore detrectant, hi nimirum sagittas quidem dirigunt, sed post terga conuersi, consummatæ victoriæ titulos non merentur: nec eis prodest quod benè cœperant, quia non vsque ad finem magnanimiter perseuerant. Ibid. Vnde & de illis protinus sequitur: *Non custodierunt*

A *testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* Ac si diceret: Susceperunt quidem testamentum, sed non custodierunt; posuerunt in lege pedem per initium, sed non tenuerunt perseuerantiæ egressum. Quisquis ergo ad spirituale certamen alios prouocat, quisquis ad fortiter agendum proximorum mentes instigat, debet vtique vita concordare cum lingua, ne dum aliis proponit excelsa, ipse contentus in his, prematur inertia. Hinc est quod in lege præcipitur: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor; pondus habebis iustum, & modius æqualis, & verus erit tibi.* Deut. 25.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Blancam Comitissam.

MOntes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis. Psal. 103. Quid enim hoc loco per montes, nisi altæ Scripturarum intelligendæ sunt profunditates? Hi nimirum, qui iam dare contemplationis saltus nouerunt, altos sententiarum diuinarum vertices quasi cacumina montana conscendunt; ad quæ profectò cacumina quia infirmi pertingere nequeunt, rectè illic subditur: *Petra refugium herinaciis*: quia videlicet inualidos quosque non intelligentia sublimis exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet.

CAPVT IX.

Ad Desiderium Abbatem, vbi excessum suum excusat.

EGo dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax. Psal. 115. Cui nimirum responderi potest: Si omnis, & tu; falsaque iam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non mendax, vera iam sententia non erit; quia dum tu es verax, non omnis homo cognoscitur esse mendax. Verùm ne ad instar gentilium scripturarum, sacra quoque Scriptura calumniæ pateat, sed ipsa se propria potius auctoritate defendat, notandum est quod præmit- D titur: *Ego dixi in excessu mentis meæ.* Per excessum igitur mentis, & semetipsum transiit, cum de qualitate hominis definiuit: ac si perspicuè dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, vnde ego ipse super hominem fui. In tantum verò & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autem omnino non mendax, in quantum excessum mentis super hominem ad summa contemplanda conscendi.

CAPVT X.

In Sermone de S. Columbâ.

E FIat manus tua, vt saluet me: ac si diceret: Fiat ille, per quem facta sunt omnia: vt dum ille creatur, creatura à reatus sui contagio liberetur. Psal. 118.

CAPVT XI.

In Sermone de S. Christophoro.

SIcut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius. Psal. 132. Vnguentum scilicet in capite, Spiritus sanctus est in Saluatore: qui nimirum per Aaron mysticè designatur, qui mons fortitudinis dicitur. Cùm igitur Aaron mons

sit fortitudinis, barba quoque signum est virilitatis. Huius ergo Aaron barba sancti Apostoli sunt, qui virilitatis suæ robore, quod de sancti Spiritus vnctione conceperant, omnia furentium persecutorum bella vicerunt, & mundi principem tamquam leonem aduersus oues Christi immaniter frugientem cum gloria triumpharunt. Vnde Petrus: *Cui resistite*, inquit, *fortes in fide*. Paulus etiam
1. Pet. 5. dicit: *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia*
2. Cor. 10. *Deo sunt, ad destructionem munitionum consilia corporis destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Ab hac ergo barba summi Pontificis Aaron vnguentum in ora vestimenti eius instillat; quia per beatos Apostolos, consequenter & sanctos Martyres, ac deinceps totam simul Ecclesiam, fluentum sancti Spiritus irrigat.

CAPVT XII.

In Epistola ad Alexandrum Papam, de auferenda proprietate Canonici.

QVantum ad nostræ intelligentiæ modulum, nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quàm defensio prauitatis. Vnde Dauid ait: *Non declines cor meum in ver-* Psal. 140.
bum malum, ad excusandas excusationes in peccatis. Offensio quippe Dei meretur iram, excusatio prouocat ad vindictam. Hoc planè vitium sicut ex radice humani generis prodiit, quotidie pullulat, & tamquam erumpentes arboris ramos germinare non cessat. Consultus enim Adam cur ea interdicto pomo comederit: *Mulier*, inquit, *quam dedisti* Genes. 3.
mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi; mulier etiam cur hoc fecerit, inquisita; *Serpens*, ait, *decepit me, & comedi*. Ac si vterque in Conditorem obliquè crimen intorqueat, eumque, à quo redarguuntur, incessant, dicentes: Non nobis, sed tibi proculdubio debet hic reatus adscribi, qui & coniugem viro iunxisti, & serpentem in paradiso inter homines viuere decreuisti. Quorum vtriusque tamquam primischolus ille discipulus erat, qui de Abel Domino requirenti respondit: *Numquid cu-* Genes. 4.
stos fratris mei sum ego?

Expliciunt testimonia de Psalterio.

Incipiunt Capitula de libro Prouerbiorum.

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Prouerbiorum.

CAPVT I.

In Epistola ad Cincium Præfectum.

Prou. 2. PRudentia seruabit te, vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos. Et post pauca: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ*. Quæ est autem meretria, vel mulier aliena, cuius nobis prohibetur accessus, nisi vita sæcularis, vita carnalis atque terrena? In cuius miseri homines se oblectamenta proijciunt, in cuius se captiosa iucunditate resoluunt, ac adulterinis in eam, vt ita fatear, amplexibus immergunt.

CAPVT II.

In eadem Epistola.

DE bona verò muliere audi quid idem Salomon dicat: *Sit vena tua benedicta, &* Prou. 5.
lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Mulier enim adolescentiæ nostræ, sancta proculdubio est vita; cui scilicet ex tunc iam quasi per arram, & sponsionem coniuncti sumus, cùm abrenuntiaturos nos diabolo, & omnibus pompis eius in baptismo promisimus. Vbi mox subditur: *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore illius delectare iugiter*. Quid per ceruam, quæ montium celsa conscendit, nisi sancta designatur Ecclesia, quæ sese in amore cælestis patriæ attol-

& ad cælum nullatenus aspiraret. Nam & Achi- A tofel, qui Dauid persequi non dissimiliter voluit, exigentibus meritis, idipsum genus mortis elegit; hic enim Absalon persequenti Dauid

2. Reg. 17. consilium dedit, vt concubinas patris, quas di-

2. Reg. 16. miserat ad custodiendam domum, sacrilega permixtione pollueret, atque ad fœdandum patrem nouercas suas turpiter incestaret. Quid autem per decem concubinas Dauid, nisi pars illa Iudaicæ plebis exprimitur, quæ Christum verum vtique Dauid fugientem in gentilitatis deserta non sequitur, quia legis se habere decalogum gloriatur? Per numerum nempe concubinarum, numerus exprimitur mandatorum: concubinæ ergo, quæ non sequentes Dauid, domum B seruant, hi sunt, qui in vetetia legis custodia perseuerant. Absalon ergo ad has Dauid concubinas ingreditur; quia diabolus, qui in Absalon erat, per excessus diuersorum scelerum cum talibus fornicatur. Et benè dicitur: Quia Dauid eas dimiserat ad custodiendam domum; prouida quippe Redemptoris nostri dispensatione diuinitus agitur, vt quasi ad seruandam domum regia Iudæorum reliquiæ reseruentur; vt ipsi, qui modò nostri sunt scriniarij, & libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt, lingua vbique terrarum ferant; quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant. Vnde per Psalmistam dicitur:

Psal. 58. *Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiscantur legis tuæ.* C Hebraïca quippe lingua, quæ toto orbe dispergitur, multum Christianæ fidei auctoritas adiuuatur. Vnde & illic apertè subiungitur: *Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector noster Domine.*

CAPVT XI.

In eadem Epistola.

2. Reg. 17. *CVmque venisset Dauid in castra Madian, Sobi filius Naas, & Machir filius Amichel, & Berzellai Galaadites obtulerunt ei stratoria, & tapetia, ac vasa fictilia, & cætera.* D Madianitæ verò, qui præbuere Regi Dauid stratoria, & tapetia, quid aliud significant, quàm Gentiles conuersos ad fidem? qui dum piis actibus incessanter insistunt, quasi textrinoi opere linteamina præparant, in quibus vtique Dominus suauiter requiescat. Hæc enim sunt Euangelica illa vestimenta, quæ Apostoli super asinam ponunt, & Iesum sedere desuper

Matth. 21. faciunt. Quod autem sequitur: Quia, *dederunt Dauid etiam vasa fictilia, frumentum, & hordeum, farinam, & fabam, & lentem, & frixum, cicer, & mel, & butyrum, oues etiam, & pingues vitulos.* Plurimæ ciborum species diuersi sunt sanctorum hominum mores, quibus nimirum Dauid cum suis commilitonibus pascitur; quia Redemptor noster cum sanctis suis rectis iustorum operibus velut esuriens epulatur.

CAPVT XII.

In Epistola ad Albericum; in qua super decem quæstionibus respondet.

FVit autem ibi prælium dispersum super faciem terræ, & multò plures erant, quos consumpserat saltus de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius. De qua sententia in libro Hebraicarum quæstio-

S. Hieron. num hæc B. Hieronymi verba sunt: Saltum A huuc, inquit, qui plures consumpsisse, quàm gladius vorasse legitur, bestias ferocissimas, quæ in saltu erant, Hebræi autumant, à quibus plurea consumpti, quàm à gladio vorati fuerint. Verùm hic, vt dicitur, Hebræorum fuit intellectus. Nobis autem videtur, quia vesani quique, & infruniti, qui cum Absalon perduelliones extiterant, Deo deserente cæcati, arbustia occurrentibus impingebant; atque ideo dicatur, quia plures ceciderint saltu consumente peremti, quàm hi, qui fuerint gladio trucidante vorati. Quod ita debere intelligi non ambigitur, si ipsa styli consequentia vel superficietenus attendatur. Nam postquam præmittit: *Multò plures erant, quos* B *saltus consumpserat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa;* præstò subiungit: *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens in mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius querciu: & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiit.*

CAPVT XIII.

In Epistola ad D. Abbatem, quæ paulò suprà.

2. Reg. 19. B*Erzellai Galaadites senex valde*, id est, octogenarius, vt sacra testatur historia, *descendens de Rogelim, transduxit Regem Dauid Iordanem; cui Rex: Veni, inquit, vt requiescas mecum in Hierusalem. Ille autem renuens, excusationem senectutis obtendit, & relicto Rege, mox ad propria repedauit.* C

Matth. 3. Sunt namque nonnulli, qui Regem Dauid, hoc est Saluatorem nostrum sequentes, Iordanis fluenta transmittunt; hoc est, vel Baptismi suscipiunt sacramentum, vel, quod secundum est lauacrum, arripiunt spirituale propositum. Nam quia in Iordane auctor Baptismi Christus est baptizatus, rectè per eum intelligitur Baptismus. Sed hi veste variata, non mente, habitum mutando, non animum, ad pristinos redeunt mores, & sæculares repetunt actiones: Et quia nequeunt à negotiorum sæcularium perturbatione quiescere, nolunt in Hierusalem; hoc est, in visione pacis habitare cum D Rege: senes enim sunt, & inueterati, atque ideo nequeunt in nouam de vetusta conuersatione mutari. Nam & Iordanem transeunt, & octogenarij sunt; quia & baptizati sunt, & resurrectionem futuram, quæ per octonarium designatur numerum, credunt. Sed hi quamquam Regi humiliter, & blandè loquantur, Regem tamen deserunt, & ad solitæ conuersationis consuetudinem reuertuntur. Quid est enim Regi blanda verba proferre, nisi sicut in Euangelio dicitur, se callidè potius quàm humiliter excusare? *Rogo*, inquit, *te, habe me excusatum.* Dicebat enim Berzellai Regi: Cur seruus tuus sit oneri Domino meo Regi? paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum, nec indigeo hac vicissitudine. Cuius figuram tenent, qui E spirituali cuignam viro, seseque ad altiora prouocanti, quasi humiliter decantant: Peccatores quidem sumus, tibique, pater, obtemperamus, sed districtioris instituti regulam seruare non possumus; infirmi sumus, & fragiles; atque ideo melius iudicamus sub leui nos fasce ingloríos vtcumque viuere, quàm sub grauia sarcinæ pondere quasi fortes interire. Nam & quod idem Berzellai superius dixerat, ab istorum exterioris hominis senio non discordat: *Quot sunt*, inquit, *dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum*

Rege in Hierusalem? & adiecit, *Nunquid vigent* A *sensus mei ad discernendum suaue, & amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vocem cantorum, & cantaticum?* Veraciter enim talium hominum sensus intrinsecus obtusi sunt; quia spiritualia mentis edulia, vel intimæ iubilationis organa non discernunt; non enim eius sapit cibus ille cælestis, ad quem Propheta spirituales conuiuas inuitat: *Gustate*, inquit,
Psal. 33. *& videte, quoniam suauis est Dominus.* Nec illa fauces eorum mella discernunt, de quibus aiebat:
Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel, & fauum ori meo!* Necdum ad illud Sapientiæ discubuere conuiuium, de quo in libro Prouerbiorum dicitur: Quia, *Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam*
Prou. 9. *suam.* Vbi & sequitur: *Misit ancillas suas vt vo-* B *carent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod misceui vobis.* Hi voces etiam cantorum, & cantraticum non audiunt; quia quæ sanctorum Martyrum, quæ sanctarum Virginum ante Deum iubilet modulatio, nullatenus comprehendunt. Nam quia carnaliter conuersantes, ad Dominum contemplationis corda non eleuant, cælestis harmoniæ modulos, & mellifluas Angelici concentus suauitates ignorant. Vnde non immeritò senex ille Berzellai fuisse dicitur de Rogelim, quod interpretari dicitur, pedes. Pedestres enim tales ambulant; & quoniam à terrenæ conuersationis itinere se suspendere nesciunt, ad comprehendenda cælestis melodiæ cantica non assurgunt; nolunt enim nisi pedites semper incedere, atque ideo nequeunt alta iubilationis intimæ gaudia penetrare. Et quoniam terreni actus, in quibus ipsi fixi sunt, duros eos, atque insensibiles reddunt, spiritualis lætitiæ contemplari subtilia C nequeunt. Hinc est etiam, quod iste Berzellai Galaadites asseritur, quod aceruus testimonij interpretatur; & quoniam aceruus ille testimonij,
Gen. 31. qui Galaad dicitur, à Laban, & Iacob de lapidibus factus agnoscitur, benè per hunc Galaaditen, duri, ac lapidei homines designantur; qui dum ad amorem spiritualis vitæ cor non emolliunt, tamquam lapides facti, in pertinaci sæcularium negotiorum vigore durescunt. Ad quam duritiam pertinet, quod idem quoque Berzellai, ferrum meum interpretari dicitur. Quid est durius fer-
Sap. 1. ro? & quid obstinatius corde peruerso? *In maleuolam enim animam numquam introibit sapientia.* Et congruè ferrum meum, quasi de se quilibet homo durus, & obstinatus dicit; quia dum statuit in propria perseuerare duritia, in consilia se numquam proijcit aliena; & quia rigidus, & in- D flexibilis ad cælestem Hierusalem cum Dauid sege non graditur de via, quam cœperat cum Berzellai, ad terram Madian, hoc est, ad vitæ veteris primordia reuocatur.

CAPVT XIV.

In eadem Epistola.

2. Reg. 20. *Cvmque venisset Rex Dauid in Hierusalem, tulit decem concubinas suas, quas reliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam; nec est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes.* Concubinæ, quas non sequentes Dauid, domum seruant, hi sunt, qui in veteris Legis custodia perseuerant. De quibus profectò concubinis dicitur: Quia de cætero non est Dauid ingressus ad eas, *Sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes.* Iudæi planè nunc clausi sunt, & in viduitate viuunt, quoniam ad virum sanctæ Ecclesiæ non accedunt; nec ad eos cælestis ille sponsus ingreditur; quia tamquam mulierculis à diabolo prostitutis, suum præbere contubernium dedignantur, eisque, quia polluti sunt per adulterium, repudij dat libellum. Et hæ, quæ non sequuntur virum, meritò concubinæ, nec vocantur vxores: quia dotali fœdere, ac nuptiali copula prorsus indignæ, non illam pariunt sobolem, quæ paternæ benedictionis possideat hæreditatem. Nobis autem è contrario dicitur; *In hoc vocati estis, vt* 1. Pet. 3. *benedictionem hæreditate possideatis.* Nam & idem dicit Apostolus: *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque autem ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Galat. 3.

CAPVT XV.

In Epistola ad Albericum; in qua ei super decem quæstionibus respondet.

Dauid postmodum non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes. Perdiderant enim virum, de quo per Esaiam dicitur: Quoniam *acceperunt septem mulieres virum vnum.* De quibus & per Isai. 4. Salomonem dicitur: Quia *septingentæ sunt Reginæ.* Acceperunt itaque septem, quæ amiserunt 2. Reg. 20. decem. Cælestem quippe sponsum sancta sibi confederauit Ecclesia, septiformi scilicet spiritus dono repleta. Quem sponsum Synagoga, quæ Decalogi mandata perceperat, perdidit, viduaque permansit; quia dum in domo consueti ritus, & legalium cæremoniarum immobiliter perstitit, cum Rege Dauid in deserta gentilium exire contempsit. 3. Reg. 11.

CAPVT XVI.

In eadem Epistola.

Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius saltus polimitarius Bethleemites Goliath Gethæum. Quod 2. Reg. 21. nimirum facilè valet intelligi. Nam Gob interpretatur, lacus. Et sicut periclitatur qui in lacum leonum mittitur; sic Dauid quasi leonis se dentibus tradidit, cum in rabiem Goliath se præliaturus immersit. Idem Dauid Adeodatus iure dicitur; quoniam à Deo est electus in regnum. Qui etiam filius saltus vocatur, quia de pascuis saltuum, vbi oues alebat, eductus agnoscitur. Nec sine causa idem Dauid polimitarius dicitur; quia mater eius de genere Beselehel extitit, qui tabernaculum fœderis in deserto construxit; in quo etiam nonnulla polimitaria operatione contexuit. Bethleemites quoque non incongruè dicitur, quia à Noëmi duxit originem, & de Bethleem fuerant tempore famis egressæ, atque ad eandem Bethleem sunt reflorescente postmodum vbertate reductæ. Quòd autem Adeodatus cum omnibus suis his adiectiuis, ipse procul dubio sit Dauid, sequentia declarant, vbi dicitur: *Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manum* 2. Reg. 21. *Dauid, & seruorum eius.* Sanè quid etiam per hæc mysticè significetur, exponerem, nisi quod

A perspicuum est, epistolaris mihi breuitas prohiberet. Iuxta mysticum scilicet intellectum, hæc omnia referuntur ad Christum. Ipse enim Adeodatus est, de quo per Esaiam dicitur: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* (Esai. 9.) Qui filius saltus non incongruè dicitur, quoniam ex Iudæis secundùm carnem nasci dignatus est; qui dum nullum fructum spiritualis germinis attulerunt, velut agrestes arbores non in horto plantatæ, sed in saltu natæ steriles extiterunt. Vnde legitur: *Vox clamantis in deserto*, (Esai. 40.) hoc est, in infructuoso Iudæorum populo. Polimitarius quoque Redemptor noster meritò dicitur; quia velut textrini operis studio vacat, dum & se suis fidelibus induit, & ex illis iustitiæ vestimenta contexit. De suis quippe vestibus per Apostolum dicitur: B *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam.* (Ephes. 5.) Et per Prophetam: *Omnibus his velut ornamento vestieris.* (Esa. 49.) De Christi verò fidelibus Psalmista canit: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* (Psal. 131.) Et per Ezechielem Dominus improperat animæ, quam spiritualibus indumentis decenter ornauit, sed enim ipsa mœchiæ sordibus polluta defetuit: *Vestiui te*, inquit, *discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento.* (Ezech. 26.) Et paulò post: *Et vestita es bysso, & polimito, & multis coloribus.* Quid ergo mirum, si Redemptor noster polimitarius dicitur, qui virtutis decore polimito induit animam, quam sponsali iure sortitur? Ipse est enim Dei sapientia de qua per Salomonem dicitur: Quia, *quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* (Prou. 31.) Cuius digiti apprehenderunt fusum, cuius omnes domestici vestiti sunt duplicibus: C cuius etiam caro stragula vestis facta est in passione. Sed eadem byssus, & regalis purpura indumentum illius est in resurrectione. Qui etiam Bethleemites iure vocatur, quia in Bethleem de Virgine natus agnoscitur. Quod autem dicitur: Quia tertium bellum fuit in Gob, hoc intelligitur, quia verus Dauid Saluator Israël, ante legem & sub lege, ac postmodum in Euangelica gratia fideles semper bellatores habuit, per quos contra Philistæos, id est, aduersus malignos spiritus dimicauit. Ad hoc itaque tertium bellum Dauid venit in Gob, qui interpretatur, lacus; quia Redemptor noster dum velut forti armato fortior superuenit, ipse per se etiam vsque ad inferna descendit. Vnde per Psalmistam dicit: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & vmbra mortis.* (Luc. 11. Psal. 87.) Illic percussit Goliath Gethæum, quia dum electorum animas de gehennæ claustris eripuit, antiquum hostem, qui super eos tyrannidem exercebat, lethali vulnere sauciauit.

CAPVT XVII.

In Sermone de Virginibus.

2. Reg. 23. *DAuid sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres. Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quid est quod Dauid tam nouæ, tam inauditæ præconio laudis attollitur? Quis est iste tam humilis, tamque sublimis? Quis, inquam, est iste Dauid ita debilis, atque despectus, vt vermiculi speciem gerat? ita fortis & validus, vt vno impetu octingentos homines interficiat? In palea nempe litteræ videtur esse ridiculum, si non in me-A dulla spiritus lateat sacramentum. Quis ergo vermiculus iste, nisi ille, qui per eundem Dauid canit in psalmo: *Ego autem sum vermis, & non homo?* (Psal. 21.) Sicut enim vermis ex sola ligni materia gignitur, ita Christum absque virili semine de solo virginali vtero genitum, fides Catholica confitetur. Sed quamuis sit vermis tener, & debilis, ligni verò duritia fortis, ac solida; vermis tamen lignum vertit in cariem, & cauernosum reddit, & cauum. Ita Redemptor noster verus vtique manu fortis, atque desiderabilis, qui semetipsum exinaniuit, qui non habens speciem, neque decorem, inualidus, ac despectus apparuit, humanum genus, vnde ortus est, paulatim à suo rigore molliuit, magnumque sibimet in B electis suis habitationis spatium procurauit. Hic itaque Dauid sedet in cathedra, quia in paternæ maiestatis gloria constitutus, omnia iudicat. Cui pater ait: *Sede à dextris meis.* (Psal. 109.) Sapientissimus est, quia ipsa Patris Sapientia est. Sed quomodo Dauid dicitur princeps inter tres, cùm ille non inter alios quemlibet principatum, sed super omnes potius Regularis sceptri teneret imperium? Laus enim ista depretiat, non exaltat; deprimit, non attollit, cùm ille non tam tribus interesset, quàm omnibus superesset. Sed cùm ab illo Dauid videatur sententia ista dissidere, est cui valeat aptissime conuenire. Beatus enim ac singularis ille homo, qui mysticè dictus est vermis, mox vt à Verbo in vnitate personæ suscipitur, in sancta Trinitate non inæqualiter principatur. Princeps est ergo inter tres, quia vnitus est Verbo, quæ est in sancta Trinitate persona. Hic octingentos interfecit impetu vno. C Octonarius numerus ad resurrectionem, centenarius pertinet ad perfectionem. Dauid ergo vno impetu octingentos interfecit; quia Saluator noster omnes, qui vel perfectionem fidei appetunt, vel resurrectionis gloriam concupiscunt, gladio sui spiritus interfecit, dum eos per incarnationis ac crucis suæ mysterium ab amore mundi huius mortuos reddidit; & hoc, vno operatus est impetu, id est, vno suo incarnationis aduentu. *Semel enim pro peccatis nostris mortuus est, iam vltra non moritur.* (Rom. 6.) An non eius aduentus iure vocatur impetus, de quo Salomon ait: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* (Cant. 2.) Et Dauid: *Exultauit*, inquit, *vt gigas ad currendam viam:* (Psal. 18.) Qui enim currit, proculdubio impetum facit. Nam & Verbum Dei tanquam riuus aquarum viuentium cum impetu venit, & sicut torrens cuncta doctrinarum ardentium inquinamenta subuertit. Vnde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* (Cant. 4.) D Huic ergo Regi tam humili, tamque sublimi, tam infirmo, sed ita fortissimo gratias referamus: qui iccirco fieri dignatus est vermis in ligno, vt nos constitueret ciues in cælo. Ideo vetustum humani generis inimicum in se permisit insurgere, vt ex eo postmodum non modò per viros, sed etiam per fœminas triumpharet.

CAPVT XVIII.

In Epistola ad Albericum; in qua ei super decem quæstionibus respondet.

QVæris cur in Scripturis sacris sit ista diuersitas, vt in libro Regū legatur Dauid redemisse aream Ornan Iebusæi, simul & boues, qui (2. Reg. 24.)

1. Paral. 3. offerendi erant in holocaustum, siclis argenti tantummodò quinquaginta: cùm in Paralipomenon pro sola area dedisse narretur auri sexcentos siclos? Sed sciendum est proculdubio, quia in libro Regum boues tantummodò quinquaginta siclis argenti comparasse Dauid legitur; quanti verò aream comparauerit, illic omnino siletur. Paralipomenon verò liber de bobus è contrario tacet, sed emptam sexcentis auri siclis aream perhibet. Quod facilè peruidetur, si in vtroque libro ipsa verborum series diligenter attenditur. Nam in libro Regum hic est ordo verborum: *Emit er-* A *go Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta.* Vbi sic distinguendum est, vt priùs Scriptura dicat: *Emit Dauid aream*, nec exprimat, quanti; deinde sequatur: *Et boues argenti siclos quinquaginta.* In libro verò Paralipomenon ita legitur: *Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos, & ædificauit ibi altare Domino.* Sic igitur vtraque sibi Scriptura diuisit, vt illa boum, ista solius areæ numeret pretium. Res igitur, quibus pretij mensura præfigitur, discrepant; sed Scripturæ sanctæ sibimet inuicem non repugnant.

Expliciunt Testimonia Libri secundi Regum.

Incipiunt Capitula Libri tertij Regum.

1. *De Abisag Sunamite, quæ Regi Dauid ministrabat, & cum eo dormiens, senilia eius membra fouebat, & tamen integra mansit.*
2. *Quod Dauid dum viuit, & Ioab, & Semei pepercit: moriens verò perdendos eos mandauit.*
3. *Quòd dicitur, Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium habuisse, duodecim millia equestrium.*
4. *Quòd de eodem dicitur: quia locutus est tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia: & disputasse etiam de lignis, & de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.*
5. *Quòd Salomon duas à dextra læuaque columnas in templi vestibulo statuit: quarum vnam Iachim, alteram Booz vocauit.*
6. *Quòd vasa templi Domini in campestri regione Iordanis in argillosa terra fusa sunt, inter Sochot, & Sarthan.*
7. *De eo, quòd cum Sacerdotes exissent de sanctuario, nebula domus Dei repleta est, ita vt Sacerdotes non possent propè astare propter nebulam.*
8. *Quòd non esse dicitur argentum, nec vllius pretij putari in tempore Salomonis.*
9. *Quòd Salomoni fuerant vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.*
10. *De muliere Sareptana, ad quam Elias transmissus, inuenit eam duo ligna colligentem, vt coqueret & sibi panem, ac filio suo.*
11. *De eo quòd orante Elia, nebula parua quasi vestigium hominis de mari conscendens apparuit.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri tertij Regum.

CAPVT I.

Ad C. Præfectum, vbi eum ad certamen prouocat.

3. Reg. 1. *QVæsierunt Dauid Regi, serui sui adolescentulam speciosam in cunctis finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitem, & adduxerunt ad Regem; quæ dormiebat cum Rege, & ministrabat ei, & non cognouit eam Rex.* Quæ est autem hæc puella, quæ de cunctis finibus Israël tanquam singularis eligitur, & Dauid Regi, vt cum eo dormiat, & frigescentes artus calefaciat, copulatur? Interroga Salomonem, & ipse tibi puellæ huius aperiet sacramentum: Prou. 4. *Posside*, inquit, *sapientiam, posside intelligentiam.* Vis etiam audire virginis huius amplexus? ait: *Ne derelinquas eam, & apprehendet te; ama illam, & exal-* Ibid. *tabit te: circumda illam, & glorificabit te; honora illam, & amplexabitur te.* Sapientiam ergo, hoc est, sanctam vitam amplectamini; vxorem, vt ingenuam, B & hæreditate condignam sobolem procreemus. Non enim ex hac vxore moritura nobis est successura posteritas, sed quæ perpetuò sit victura. Nam quod de corruptione nascitur, necesse est corrumpatur; at quod virginitas gignit, interire non nouit: nec est vitio corruptionis obnoxium, quod ex incorruptione fuerit procreatum. Sed videamus interpretationem istorum nominum, vt valeamus comprehendere sacramentum. Abisag namque interpretatur, pater meus superfluus, vel, patris mei rugitus. Hic superfluus, non superfluitatem, quasi non necessariam, sed abundantiorem Dei Patris significat gratiam: Rugitus autem, vehementem sanctæ prædicationis indicat fremitum; vt Leonem de tribu Iuda, quasi per intonantem sanctæ prædicationis fremitum insonet, quisquis in Abisag, id est, religiosæ vitæ complexibus iacet. Sunamitis autem in no-

ſtra lingua, coccinea dicitur. Anima quippe ſancta ſicut Dominici ſanguinis myſterio rubet, ita nihilominus & igne ſancti Spiritus feruet. Vnde & in manu Phares coccinum alligatur, qui maceriam ſub myſtica duorum populorum ſequeſtratione diuiſit. Et Raab meretrix, in typo Eccleſiæ, coccineum funiculum, vt domus ſua pereunte Iericho ſaluaretur, appendit. Hinc etiam, & alibi de ſanctis viris Scriptura commemorat: Hi ſunt, qui venerunt de calore domus Raab. Et ipſa in
Luc. 12. Euangelio Veritas: *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram*: qui videlicet ignis in Diſcipulorum cordi-
Id. 24. bus æſtuans, eos dicere compellebat: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Hoc itaque myſticum, & ſpiritale coniugium, & in Sunamite feruorem gratiæ concipit, & in Abiſag ſanctæ prædicationis ſobolem parit; vt quem in cordis quiſque viſceribus portat, per oris officium parere non omittat: & quod concipit in corde per coccinum, pariat in ore per prædicationis ſanctæ rugitum. Feruorem ergo diuinæ charitatis in Sunamite concipimus, vt prædicationis rugitum Abiſag, quaſi ſobolem pariamus.

CAPVT II.

In Epiſtola ad Albericum, vbi ſuper decem quæſtionibus tractat.

EGo ſæpius, fateor, dubitaui, cur Dauid Ioab & Semei, quibus iratus erat, dum adhuc viueret, clementer indulſit; moriens autem Salomoni, ſibimet in ſceptra regia ſuccedenti, perden-
3. Reg. 2. dos eſſe mandauit: *Tu*, inquit, *noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ; quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether, quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace.* Atque paulò poſt addidit: *Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* De Semei quoque ſic ait: *Habes & Semei apud te, filium Gera, filij Gemini de Baurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima, quando ibam ad caſtra.* Denique quibuſdam interpoſitis, addidit: *Duceſque canos eius cum ſanguine in infernum.* Quid eſt enim quòd eos Dauid moriens damnat, quibus viuendo pepercerat? cum profectò rationis ordo depoſcat, vt in perduelliones, vel quoſlibet inimicos viuens ſententiam vltionis exereret, moriens autem eis miſericorditer indulgeret? Sed ſciendum eſt quia per regnum Dauid, qui tot perſecutionibus & ærumnis attritus, tot aduerſitatibus & inopiis cum ſuis commilitonibus eſt afflictus, hoc præſens ſæculum deſignatur, in quo cum ſuis membris Chriſtus affligitur, multiſque tribulationibus Eccleſia laceratur. Regnum verò Salomonis, qui diuitiis & gloria cuncta regalium dignitatum iura tranſcendit, omnia principalis imperij faſtigia ſuperauit, futuræ vitæ denuntiat gloriam, in qua Chriſtus verè pacificus, æterna cum ſuis quiete perfruitur, ac cæleſtis conuiuij dapibus ſolemniter epulatur. Vnus igitur, idemque Redemptor noſter & nunc Dauid eſt, & tunc Salomon erit; quia & modò tanquam manu fortis per membra ſua contra diabolum pugnare non deſinit; & tunc ſopita prorſus omni carnis & ſpiritus controuerſia, cum corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, vt reuera pacificus æterna tranquillitate regnabit. Nunc in electis ſuis quaſi Dauid calamitatum faſcibus premitur, perſecutionum, ac diuerſis aduerſitatum preſſuris vrgetur, tribulationibus & ærumnis atteritur: poſtmodum tanquam Salomon exuberanti diuitiarum immortalium copia potietur. Dauid ergo viuens tolerat, quos in fine condemnat, quia iudex humani generis Chriſtus, quem ille ſignabat, illis nunc miſericorditer parcit, quibus in fine ſæculi ſententiam iuſtæ damnationis infligit. Dauid itaque miſericordiam prorogat; Salomon iuſtitiam indicat. Quia vnus, idemque Redemptor noſter & nunc quaſi Dauid reproborum iniquitates æquanimiter tolerat; & poſtmodum tanquam Salomon in gloria ſua veniens, eos quaſi vibrato iudicij ſui mucrone trucidat. Hæc alternitas diuini examinis frequenter in eiſdem ſermonibus inuenitur, ſicut illic: *Miſericordiam*, inquit, *& iudi- Pſal. 100.
cium cantabo tibi, Domine.* Et: *Miſericordiam & ve- Pſal. 84.
ritatem diligit Deus, Miſericordia, & veritas obuia- Pſal. 84.
uerunt ſibi.* Sic itaque dum miſericordia veritati, quaſi Dauid præponitur Salomoni; vt quos hic Dauid per miſericordiam ſuſtinet, Salomon per iudicium iuſtè condemnet. Et notandum, quòd per Ioab, qui ſuis homicidium manibus perpetrauit, illi deſignantur, qui mala faciunt: per Semei verò, qui Regi tantummodò maledixerat, illi figurati ſunt, qui praua loquuntur. Nam & hi, qui nequiter agunt, & illi qui ſermonibus reprobis, ac falſis inſiſtunt, in extremæ diſcuſſionis examine proculdubio damnabuntur; ſicut idem Dauid ait: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: Pſal. 5.
perdes eos qui loquuntur mendacium.*

CAPVT III.

In Epiſtola ad Agnetem Reginam.

ET *habebat Salomon quadraginta millia præſepia 3. Reg. 4.
equorum currilium, & duodecim equeſtrium.* Quid per quaternarium numerum, niſi quadriga præſtruitur Euangeliſtarum? Et quid per duodenarium, niſi Senatus exprimitur Apoſtolorum? Per doctrinam quippe Euangelicam, & Apoſtolicam vectatur Dominus per omnem latitudinem orbis terrarum. *Currus* enim *Dei decem millibus Pſal. 67.
multiplex, millia lætantium; Dominus in illis, in Sina in ſancto.* Nam quia Sina mandatum interpretatur, conſtat in eis tantummodò vectari Dominum, vbi fit cæleſtium obſeruatio mandatorum. Notandum autem, quia ſicut Dauid regnum, qui tot eſt preſſuris attritus, Dominum deſignat in mortalis adhuc vitæ ſtadio laborantem; ſic Salomonis iſtius incomparabilis gloria præfiguratur, eundem Dominum poſt mundi finem in paterni culminis maieſtate regnantem. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum: quia nimirum Redemptor noſter ſuperat intellectum & Angelorum & hominum.

CAPVT IV.

In eadem Epiſtola.

DE illo quoque dicitur: Quia *locutus eſt tria 3. Reg. 4.
millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia*; vbi præſtò ſubiungitur: Quia *diſputauit etiam ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piſcibus.* Quæ videlicet Redemptori noſtro non ambigitur cuncta congruere; cui vacat hæc diligenti conſideratione tractare. Ipſe, nimirum tria millia

parabolas est locutus, qui & per mystica præcedentium facta, & per allegotica Prophetarum oracula; vel etiam per coruscantis Euangelij documenta, dum sub figurarum velamine penè cuncta disseruit, quasi tria millia in verbis suis parabolas numerauit. Vnde & in Euangelio Matthæus

Matth. 13. ait: *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* Cuius etiam carmina quinque millia sunt; quia chorus virginum, quæ sub quinario numero describuntur, ante thronum eius, sicut Ioānes eius in Apocalypsi dicit: *Canticum nouum iugiter modulatur.* Vel quia quinque sunt vulnera Dominici corporis; quibus per vniuersum orbem triumphalis eius gloria prædicatur, sub eodem numero carmina supputantur, sub quo recensentur & vulnera, per quæ

A victoria singularis laudis æternæ gloriam prome-

Mat. 14. teretur. Vnde cum in Canticis dicitur: *Surge amica mea, sponsa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ*; protinus additur: *Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis.* Sed quia non hæc exactè tractamus, sed succinctè, celeriterque transcurrimus, sufficiat dicere: Quia cùm petra sit Christus, foramina petræ procul dubio sunt Dominici corporis cicatrices. Sed cum post huius petræ foramina, dulcis vox Sponsæ in Sponsi auribus sonare præcipitur, quid aliud quàm quinque vulneribus sub eodem quinario numero carmina lau-

C dum reddere pia quælibet anima, vel sancta vniuersalis Ecclesia commonetur, vt eiusdem quodammodo numeri carmina referat, qui per se susceptà vlnera non ignorat, illique cunctos sui corporis sensus dedisset, quem totidem pro se sauciatum vulneribus videt? Quinque nimirum nostrorum sensuum vulnera, illis quinque Dominici corporis cicatricibus sunt sanata. Quod autem Salomon super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, disputasse dicitur; hic necessariò ad spiritualem remittitur intellectum; cum nullatenus stare valeat superficies litteratum. Hyssopus enim nequaquàm de parietibus egredi, sed de saxosis cernitur montibus germinari. Paries itaque no-

D ster ipsa mortalitatis nostræ conditio est, quæ nos à contemplatione Conditoris velut abditæ domus obstaculum diuidit, & in ima procliuiùs declinare compellit. *Corpus enim quod corrumpitur,*

Sap. 9. *aggrauat animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Ex hoc ergo pariete hyssopus egreditur; quia de fragilitate nostræ mortalitatis erumpit, quod semper necesse est ferro pœnitentiæ resecari. Hyssopo nimirum purificantur intima viscera, per quæ non incongruè designatur confessio peccatorum. Disputauit igitur noster Salomon super lignis, hominibus videlicet intra germinantis Ecclesiæ membra radicatis: à cedro quæ est in Libano, vsque ad Hys-

E sopum, quæ egreditur de pariete, id est, ab ipsis eminentibus sanctis nitore iustitiæ candidatis, vsque ad peccatores & lapsos, atque ad pœnitentiæ demum lamenta conuersos. Hinc est quod sequitur: *Disseruit & de iumentis*, Sanctorum scilicet adiutoribus, Catholicis viris: *& de volucribus*, hominibus nimirum, per sancta desideria ad superna suspensis; *& de reptilibus & piscibus*, hoc est, de his, qui pectus concupiscentiæ per terram trahunt, & qui per sæcularium negotiorum fluenta vagantur.

CAPVT V.

In Epistola ad Albericum, vbi dicitur de mansionibus Israëlitarum.

STatuit Salomon duas in vestibulo templi Domini co- 3. Reg. 7.
lumnas, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, 2. Paral. 3.
quæ à dextris erat, vocauit, Iachim, hoc est, firmitas: & quæ ad læuam, Booz, hoc est, in robore. Quid enim per columnam, quæ a dextris est, & vocatur firmitas, nisi dilectio Dei: & quæ à sinistris est, & vocatur, in robore, nisi dilectio proximi? Aliud est enim firmitas, hoc est, ipsum robur, aliud in ro-

A bore; quoniam aliud est diligere ipsum Dominum, aliud diligere proximum in Deo. In dilectione quippe proximi mensura ponitur; Dominum verò diligere sine vlla prorsus mensura iubemur. In vestibulo ergo templi columnam, quæ firmitas vocatur, erigimus, cum in hac præsenti Ecclesia, quæ cælestis illius Ecclesiæ vestibulum est, Dominum totis viribus firmiter, & constanter amamus. Ipsa quippe dilectio, sicut Ioannes Euangelista per- 1. Ioan. 4.
hibet, Deus est. Et de Deo Propheta psallit: *Tu es Deus meus, & fortitudo mea.* Columnam verò, quæ Psal. 42.
vocatur in robore, in sinistra eiusdem vestibuli parte statuimus, cùm proximum nostrum in Deo, sicut nosmetipsos, amamus. Vbi notandum quod

C Scriptura prosequitur: *Nec non & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum.* In nostræ quippe mentis oraculo capitibus columnarum catenulas superponimus, quibus scilicet vtramque columnam sibimet inuicem connectamus; quia nec Deum sine proximo, nec proximum verè diligimus sine Deo.

CAPVT VI.

In Epistola ad A. PP. vbi conqueritur de insolentia prauorum hominum.

DE vasis, quæ Hiran iussu Salomonis Regis fecit in domo Domini, scriptum est: Quia

D *in campestri regione Iordanis fudit ea Rex, in argil-* 3. Reg. 7.
losa terra inter Sochot, & Sartan. Sochot in tabernacula vertitur: Sartan verò interpretatur, tribulatio eorum, siue demolitorum, aut coangustantium. Quid igitur per Sochot, quod interpretari tabernacula diximus, nisi sanctos viros accipimus? qui videlicet dicunt: *Non habemus hic* Hebr. vlt.
manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et Petrus: *Certus sum*, inquit, *quod velox est depositio* 2. Pet. 1.
tabernaculi mei. Quid verò per Sartan, quæ tribulatio eorum dicitur, nisi reproborum tribulantium nos persecutio designatur? Hi nimirum & demolitores, & coangustantes sunt; quia dum demoliri, atque destruere fidei nostræ, vel boni operis ædificium tentant, duris iniuriarum, ac

E pressurarum nos calamitatibus coangustant. Vasa ergo templi, id est, omnes electi funduntur in campestri regione Iordanis, id est, in humilitate baptismi; inter Sochot & Sartan, id est, inter iustos atque peruersos; vt & bonorum forma proponatur illis ad imitandum rectæ conuersationis exemplum: & prauorum persecutio ad cumulum illis proficiat meritorum. *Vasa* qui- Eccli. 27.
dem *figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* In arida ergo terra, Templi vasa funduntur; quia mens hominis ad suscipiendum supernæ gratiæ munus non est congrua, nisi prius ab omni carnalis illecebræ fuerit humore

sea verborum inueoitur in medulla mysterium. A Quid eoim per septingentas, quæ vxores, simul & Reginæ morantur, nisi illæ intelliguntur animæ, quæ & septiformis habent gratiæ spiritum, & su-
Deut. 21. per resultantium vitiorom motus quasi regalem obtinent principatum? Quid autem per trecentas, easdemque concubinas, oisi illæ animæ figurantur, quæ per solam S. Trinitatis fidem thalamom quidem Regis ingressæ sunt, sed castæ conuersationis, & quodammodo matrooalis pudicitiæ munditiam non habentes, dotales vxorum tabulas non merentur? Hæ nimirum, & Salomooi per commercium iunctæ sunt, quia Saluatoris no- B stri veri pacifici sacramenta percipiunt, & tameo per degenerem leoocioantis vitæ torpotem, nec habentes vni vero pudoris affectum, ad nuptialia fœderis dotaliciom non assurgunt. Enimuero illæ animæ vaorio, ac regali nomioe dignæ sunt, quæ io solo cælestis Sponsi desiderio requiescunt, quæ infœderabiliter contra malignorum spirituum tentamenta confligunt. Sic de eodem Salomooe
3. Reg. 9. Scriptura testatur, quia *Alienigenas quoque tributarios fecit: de filiis autem Israel non constituit Rex seruire quemquam; sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & prefecti curruum & equorum.*; vbi patenter osteoditur, quæ inter con- C cubinas distantia sit & reginas; quid differat inter eos, qui serui peccati duræ exactionis tributa persoluunt, & eos, qui per sedata bella certaminum, principatuum iosulas sortiontur.

CAPVT X.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

3. Reg. 17. **A**b *Sareptana mulier ad Heliam, ad quam ille pascendus fuerat missus à Domino: En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam mihi, & filio meo pugillum farinæ, atque olei, quod habeo, vt comedamus & moriamur.* Hæc molier duo ligoa colligabat, quibus posset inopem sibi cibum & filij prouidere; sed huius viduæ farina & oleum ad prouentus abuodaotiam benedicitur, vt charitatis fructus & hilaritatis iam tunc in sacramento Ecclesiæ commeodetur: *Hilarem* eoim *datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9. Vidua hæc, sancta erat Ecclesia, de qua dicitur: *Viduam eius benedicens benedicam*: Psal. 131. Cui licebat cuicumque vellet mortuo viro cooiungi; quia desinente lege, mox Christo, qui finis legis est, ad iustitiam omoi credenti, meroit Ecclesia co- B pulari. Illa cibum anhelabat, qui duobus esset ligois excoctus: Et saocta Ecclesia panem de cælo viuentem esurit, qui io ara Crucis est torridus.

CAPVT XI.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

Ecce *nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* 3. Reg. 18. Quia enim oon quasi homo, sed quasi vestigium hominis dicitur, rectè per hoc Crux, quæ membris est apta Domioicis, dicitur, quia per eam Deus homo transitum fe- C cit, cum ad Patrem rediit. Sic vt per Ioannem dicitur: *Sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ioan. 13. Pascha quidem transitus dicitur. Et hic transitus per Crucem factus est, sicut dicit Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. Cor. 5. Sicut ergo per Virginem descendit ad nostra, sic per Crucem est reuersus ad propria. Quod coogrueoter expressit illud factum sub Helisæo miraculum. Nam cum iuxta Iordanem ligna cæderentur, repeote securis cuiusdam materiam succidentis io aquam cecidit. 4. Reg. 6.

Expliciunt Testimonia Libri tertij Regum.

Incipiunt Capitula Libri IV. Regum.

1. **Q**vòd *Helisæus aquas Hiericho salis admixtione sanauit.*
2. *De eo, quòd Helisæo ascendenti ad Bethel, pueri illudebant dicentes: Ascende calue, ascende calue.*
3. *Obsecro, inquit Naaman Helisæo, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra.*
4. *De eo, quòd dum Helisæus lignum in aquam misisset, securis, qua ceciderat, ad manubrium rediit.*
5. *De eo, quòd Ezechias decem lineis per gradus Horologij vmbram reuerti postulauit, vt esset sibi signum recuperandæ salutis.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Libri quarti Regum.

CAPVT I.

In Sermone de Exaltatione S. Crucis.

4. Reg. 2. **C**vm *viri Hiericho Helisæo conquererentur, quòd aquæ essent pessimæ, & terra sterilis: Afferte,* D *inquit, mihi vas nouum, & mittite in illud sal; deinde aquarum fonti sal illud immersit; sicque aquas ab omni morte, & sterilitate sanauit.* Ioan. Qood nimirum, vt totum breui sermone cooclùdam, nihil aliud insinuat, nisi quod Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quid enim aquæ nisi mundani sunt

populi? quid vas nouum nisi corpus Dominicum, nulla scilicet præuaricationis iniquæ labe nigratum, nulla veteris hominis abusione detritum? Quid porro sal, nisi cælestis est sapientia? Sapientia igitur Patris in corpus descendit humanum, & sic ad fertilitatem, & vitalis intelligentiæ dulcedinem, omnium conuertit fidelium mentes. Quæ nimirum dulcedo tamdiu latuit, vsque dum sal mergeretur in aquam, id est, vsque dum ille penderet in
Psal. 68. cruce, qui dicit: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Ex tūc enim homo didicit quid deberet appetere, quid vitare.

CAPVT II.

In Sermone de S. Cassiano.

CVm *Helisæus ascenderet per viam, quæ ducit Bethel, pueri paruuli egressi de ciuitate illudebant ei*
4. Reg. 2. *dicentes: Ascende calue, ascende calue: qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini.* Moxque Scriptura subiungit: Quia *egressi sunt duo Vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros:* Sanè quid per Helisæum nisi Mediator Dei & hominum debet intelligi? Quid verò per Bethel, quæ domus Dei interpretatur, nisi beatitudo cælestis exprimitur? Per viam ergo quæ ducit Bethel, Redemptor noster ascendebat, quando passioni appropinquabat; sicut iam in ipsa sacrosancta & mystica cœna dicit Discipulis: *Vado*
Ioan. 16. *ad eum, qui misit me.* Sed dum ascendit Bethel, id est, dum per sanctissimæ passionis suæ mysterium redire contendit ad Patrem, pueri parui egressi de ciuitate, illudunt ei, dicentes: *Ascende calue, as-*
Esai. 65. *cende calue*, quia Iudæi omni grauitatis, & sapientiæ pondere vacui, illaque pueritia paruuli, de qua dicitur: *Maledictus puer centum annorum*, cum ad locum, qui dicitur Caluariæ, pertrahunt, atque aduersus eum viperinis irrisionum, & opprobriorum furiis inardescunt. Caluariæ autem locus ille dicebatur à caluitiis amputatis; quia illic damnatitij decollari consueuerant. Et notandum quia pueri egressi de ciuitate dicuntur; quoniam, sicut
Hebr. 13. Apostolus ait, *Vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est Dominus.* Porro quod sequitur: Quoniam *egressi sunt duo Vrsi de saltu, & dilacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Per numerum puerorum, numerus signatur annorum. Quadragesimo secundo quippe anno post Domini passionem, sicut historiæ tradunt Titus & Vespasianus, duo Reges, de syluis gentium tamquam duo feroces vrsi de saltu ferarum, dilacerauerunt pueros quia venientes ad excidium Hierusalem debellauerunt in furore Iudæos.

CAPVT III.

In Epistolâ ad Hildeprandum, & Stephanum, vbi dicitur, quomodo rationalis anima ad perfectionem veniat.

4. Reg. 5. OBsecro, *inquit Naaman, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra.* Quid autem per allegoriam Naaman Syrus, nisi genus designat humanum? Sicut enim Naaman ante leprosus, mox vt septies aqua Iordanis
Matth. 3. abluitur, ab omni lepræ squalore purgatur:
Mar. 1. ita mundanus populus septem charismata illius
Luc. 3. columbæ percipiens, quæ super Dominum in
Ioan. 1. Iordane descendit, per sacri Baptismatis lauacrum contagia deposuit peccatorum. Quid ve-

A rò terra, quam Naaman postulat, nisi incarnationem significat Redemptoris? Hæc est per mysterium illa repromissionis terra, quæ lac & mel fluere dicitur. Lac enim de carne fluit, mel de superioribus venit. Quia igitur in vno Mediatore Dei & hominum, & humanitatis lac, & mel diuinitatis inesse cognoscitur, rectè per terram lac & mel emanantem, incarnationis eius mysterium figuratur. Quod autem ex hac terra onus duorum burdonum petit, quid aliud quàm duorum Apostolorum, Petri scilicet & Pauli, documenta deposcit? Vnde & vnus eorum dicit: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circum-* Galat. 2.
cisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et quia non
B modò Apostolos, sed omnes Prædicatores scientiam, & operationem habere necesse est, duos in castellum, quod contra se erat, Dominus Discipulos misit; atque (sicut Lucas testatur) in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus, Luc. 10.
geminos destinauit. Quod ergo Naaman in terra sancta duorum burdonum expetit sarcinam, super incarnationem Dominicam genus humanum Apostolicam videtur efflagitare doctrinam; vt hi saginarii mundo terram inuehant, ex qua ad offerenda sacrificia altare in conspectu Conditoris fiat. Vnde filiis Israël præcipit dicens: *Altare de* Exod. 20.
terra facietis mihi. Quod autem Naaman non ob aliud terram Prophetæ poposcisset, nisi vt ex ea Domino altare construeret, in suis ipse verbis
C ostendit, cum illic præstò subiungit: *Non enim vltra faciet seruus tuus holocaustum, & victimam diis alienis, nisi Domino.*

CAPVT IV.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

CVm *filii Prophetarum iuxta Iordanem ligna cæderent, repente securis cuiusdam materiam succi-* 4. Reg. 6.
dentis in aquam cecidit; tunc Propheta lignum in aquam misit, & mox ferrum natauit, atque ad manubrium rediit. Quid est autem securis nisi sapientia Dei operata per corpus? quid ferrum nisi diuinitas? quid lignum nisi humanitas? Et rectè corpus
D Christi lignum dicitur, quod in ligno pependit. Securis igitur iuxta Iordanem arbores succidebat; quia Dei sapientia iuxta fluidum mortalitatis nostræ decursum, dignata est impios Iudæos, suæ prædicationis austeritate corripere, & velut infructuosas arbores à statu rigidæ superbiæ desecare. Vnde & Ioannes dicit: *Iam securis ad radi-* Matth. 3.
cem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non facit Luc. 3.
fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Itaque dum ligna cæduntur, ferrum in aquas de manubrio cecidit; quia dum syluestres Iudæorum mentes Veritas corripit, diuinitas carnem tamen non deserens, ad inferni profunda cum spiritu
E comitante descendit. Sed lignum in aquam mittitur, & ferrum redit; quia corpus Domini, quod in ligno pependerat, in sepulchro ponitur; deinde ex profundis inferni spiritu redeunte surrexit. Vnde notandum est, & diligentissimè perpendendum, quia ipse Redemptor noster antè per crucem transiit, & sic humanitatem suam in paternæ dexteræ gloriam sublimauit. Exemplum quippe nobis exhibuit, vt vnde caput præcessisse cognoscitur, per eandem viam & membra subsequentia gradiantur.

CAPVT

CAPVT V.

In Sermone de S. Bonifacio.

Esai. 38. PEtiuit Rex Ezechias vt vmbra decem linearum gra-
*dibus reuerteretur, quibus iam in horologio descen-
derat.* Quid illi gradus illius horologij, in quo Rex
Ezechias vmbram reuerti decem lineis petiit, my-
sticè innuunt, nisi quia totidem Saluator noster
gradibus ad nostræ mortalitatis ima descendit,
cùm ad redimendum genus humanum venit? Quasi
quosdam enim gradus exhibuit, cùm de cælo venit
in vterum Virginis: de vtero venit in præsepe: de
præsepe transiit ad circumcisionem: de circumci-
sione ad templum: de templo ad baptismum: de
baptismo ad crucem: de cruce ad mortem: de mor-
te ad sepulcrum; postremò descendit ad infernum,
vt inde sanctos erueret, quos ad cælestem gloriam
calcato mortis imperio reuocaret. Plane vt nos
post se currere faceret, istos pro nobis gradus ma-
nifestata per carnem Veritas ad nos descendendo
disposuit; & quodammodo cuiusdam mystici ho-
rologij sol iustitiæ Christus hæc ad nos se inclinan-
Psal. 18. do momenta distinxit. Qui nimirum *exultauit vt gi-
gas ad currendam viam*; vt nos ei ex corde diceremus:
Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuo-
rum.* Descenderat itaque sol emensus iam decem
gradibus horologij: sed per eosdem gradus iterum
rediit; quòd videlicet signum esset, per quod se
Rex Ezechias saluti pristinæ restituendum esse
consideret. Enimuerò nec genus humanum ad in-
columitatem, quam amiserat, de sui languoris
erogatione conualuit, cùm diei lux vera Christus
decem eos, quos enumerauimus, mystici horolo-
gij gradus ad occasum nostrum se humiliando per-
currit. Quamquam per vmbram decem graduum,
& aliter supernæ dispensationis possumus intellige-
re sacramentum. Diuersitates quippe temporum,
quasi quædam distinctiones sunt in horologio li-
neari. Soli namque iustitiæ Christo primus ad nos
descensionis gradus fuit de Deo in Angelum. Vn-
Isai. 9. de est quod per Isaiam dicitur. *Magni consilij Ange-
lus.* Et qui cum Iacob loquebatur Deus, Angelus
nuncupatur. Hinc est quod per eumdem Iacob di-
Gen. 3. citur: *Dixit Angelus Domini ad me in somnis: Ego sum
Dominus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti
mihi*; nimirum, vt idem ipse qui loquitur, & Deus
simul & Angelus ostendatur. Secundus descensio-
nis gradus fuit in Patriarchis, per quos scilicet ipse
Dominus vnius Dei cultum, ac veræ fidei funda-
menta constituit. Tertius in promulgatione legis,
quam & ipse priùs audiente populo protulit, &
postmodum in lapideis tabulis proprio digito exa-
rante descripsit. Quartus in Iesu Naue, in quo si-
cut nomine, sic & opere degens, in terram repro-
missionis populum introduxit. Quintus fuit gradus
in Iudicibus, per quos nimirum Israeliticam ple-
bem & ipse regebat. Sextus in Regibus Iudæorum,
quia in eis principaliter ipse regnabat. Septimus in E
Prophetis, quia per eos ipse & annūtiatus est, & lo-
cutus. Octauus in Pōtificibus, in quibus ipse, qui sū-
mus est Pontifex, veri, & æterni sui sacerdotij my-
steriū figurauit. Nonus autem gradus designatus est
in homine. Decimus in passione. Per hos itaque de-
cem gradus, quasi per vmbram veteris testamenti,
sol iustitiæ Christus in nostræ mortalitatis descen-
dit occasum; & per eos iter post resurrectionem
suam in cœlum victor ascendit, omnemque illam
vetustæ legis vmbram veritatis suæ, ac nouæ gra-
tiæ radiis illustrauit, obscura reuelans, clausa rese-
A rans, & omnia sub velamine litteræ tecta denu-
dans. Et sicut tunc sol lineatim quidem, ac moro-
sè processerat, repente autem ad ortus sui est re-
uersus originem; sic nimirum, sic signauerat Re-
demptor noster ea, quæ de incarnationis suæ myste-
rio per longa temporum interualla, in sola resur-
rectionis, atque ascensionis suæ gloria subitò pate-
fecit.

Expliciunt Testimonia de libro IV. Regum.

De libro Esdræ.

B *Quòd quidam Sacerdotes quæsierunt scripturam
genealogiæ suæ: Vnde cum non inuenirent,
eiecti sunt de sacerdotio.*

In Epistola ad Cunibertum, Episcopum Taurinensem.

PIum enim est credere, quia quisquis nunc pec-
cata propria recognoscens, ac deflens, à suo se
ministerio humiliter reprimit, in die iudicij eum-
dem, quo se sponte priuauerat, ordinem obtinebit.
Quod in libro Esdræ significari videtur, vbi Sacer- 1. Esdræ 2.
dotum genealogia describitur. Ibi quippe sacra
narrat historia; quia *Quidam Sacerdotum quæsierunt
scripturam genealogiæ suæ, & quoniam reperire non po-
C tuerunt, eiecti sunt de sacerdotio.* Illi planè veraciter
Sacerdotes sunt, qui sacerdotaliter viuunt. Hi sa-
cerdotalis generis lineam seruant, qui vitam suam
Domino sacrificium offerunt, ac de sacerdotali se
prodire prosapia religiosè viuendo testantur, dum
sanctorum Sacerdotum imitantur exempla, quæ
legunt, tunc in sacris eloquiis Sacerdotum se filios
recognoscunt. At hi, qui carnaliter viuunt, & pra-
uorum sequendo vestigia, quasi de sæcularium ge-
neratione descendunt, meritò de Sacerdotum
projiciuntur ordine, quorum se per vitam repro-
bam nequeunt filios inuenire. Et notandum, quod
illic sequitur: *Dixit Athersatha eis, vt non comederent
de Sanctis Sanctorum, donec surgeret Sacerdos Dei
doctus atque perfectus.* In qua nimirum prohibitione
D quid aliud per allegoriæ mysterium debet intelli-
gi, nisi vt is, qui dignus est sacerdotio, percipien-
dis se sacramentis, & sacerdotalis ordinis ad-
ministratione compescat, donec Christus in iudi-
cio, qui verè Sacerdos est, doctus, atque perfectus
exurgat? Sicut per Psalmistam dicitur: *Terra tre- Psal. 95.
muit, & quieuit, dum exurgeret in iudicio Deus*; vt is,
cuius terroris intuitu quilibet lapsus hic sua se di-
gnitate sponte priuauerat, eum in iudicio grata vi-
ce restituens, ad amissi ordinis culmen attollat, di-
cens: *Amice, ascende superius, & tunc sit gloria coram* Luc. 14.
simul discumbentibus. Sed sunt nonnulli, quod præ-
tereundum non est, qui, iuxta Apostolum, *de-* Ephes. 4.
sperantes semetipsos immunditiæ tradiderunt; nam con-
tinentiam funditus desperantes, à suscepti ordinis
administratione se reprimunt: neque se delinque-
re velut impune confidunt, ac si seruus Domino
suo dicat: Quia quod præcipis, implere non valeo,
ad hostium tuorum castra transfugio, illisque me
ad pugnandum contra te dedititium trado; Tam-
quam possit Dominum suum placare, quòd fugit,
& non possit irritare, quòd aduersus eum in arma
consurgit. Quibus ego constanter, & sine vlla pror-
sus ambiguitate denuntio, quoniam cassa se, ac fri-
uola pollicitatione decipiunt, si non exequentes
officium, officio se exutos esse confidunt. Licet

enim à frequentatione, vel executione cesset ordo cuiuslibet, vel officium; in ordinato tamen nihilominus permanet ordinis sacramentum. Et sicut vir quispiam etsi cesset ab opere coniugali, nullo modo tamen absoluitur copulatione coniugij; ita Clericus etsi sui ordinis non fungatur officio, eiusdem tamen ordinis non exuitur sacramento. Cauendum est ergo illis, ne super eos veniat formidolosa illa

Hebr. 6. sententia, quæ per Apostolum dicitur: *Impossibile est*, inquit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes in sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Ita plane videntur agere, ac si Israëlitarum quispiam volens fornicari cum idolis, dicat: quia nequeo obseruare duram ac rigidam Dei legem, ad ritum transibo gentilem; tanquam recedens à lege, non sit debitor legi. Et hoc modo quamquam de seruata lege non sit præmio dignus, vltioni tamen de contempta non teneatur obnoxius. Sed audiamus quid talibus

Deut. 29. Diuina seueritas in Deuteronomio dicat; *Cumque audierit quisquam verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei, & assumat ebrius sitientem, & Dominus ignoscat ei; sed tunc quàm maximè fumus eius fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant supra eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine, & deleat nomen eius sub cælo, & consumat eum in perditionem ex omnibus Tribubus Israël iuxta maledictiones, quæ in*

Psal. 118. *libro legis huius, ac fœderis continentur.* Sed & Psalmi-

Ezech. 20. sta dicit: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Et per Ezechielem Dominus ait: *Neque cogitatio mentis vestræ fiet dicentium: Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos; & educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, & subiiciam vos in sceptro meo.*

De libro Tobiæ.

Tob. 2. ILlud ad memoriam reuoca, quod de Tobia viro iusto Scriptura restatur: *Contigit*, inquiens, *cùm vna die fatigatus à sepultura, veniens domum, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset: atque ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora insiderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Fatigatus à sepultura, dum se velut effractis viribus proiicit, lumen amittit. Illæsum quippe cordis oculum seruat, quisquis in bonis operibus infatigabilis perseuerat: cùm verò pusillanimiter frangitur, non immeritò luce priuatur.

Eccli. 2. Hinc enim scriptum est: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Hinc Paulus ait: *Vigilate, state in fide, virili-*

1. Cor. 16. *ter agite.* Quid verò leuiter volantes hirundines, nisi leues adulantium, & blanda loquentium significant mores? qui dum blandiloqui sua suauitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne solita luce fruantur, ex-

Psal. 140. cæcant. *Corripiet me*, inquit, *iustus in misericordia, &*

A *increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et tamquam stercus oculis ingeritur, dum lenocinantis eloquia quemlibet blandis verbis foris ita te perungunt; à quibus scilicet hæc sæpe dicuntur: Viue dum viuis, refice corpus eduliis, ne si se districtiùs atterat, tot oppressa laboribus caro fragilis mox succumbat: persona tua excellentioribus excolatur indumentis, vt eius, quam tenes, seruetur generum dignitatis: agglomeretur lateribus tuis turba clientium, vt dum te comitantium multitudo condecorat, honoris officio tunc vilescat. Sed si nobis hæc diabolicæ malignitatis amaritudo detegitur, tentationis ingestæ caligines funditus euanescunt.

Vnde & illic dicitur: *Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patri suo, moxque cœpit albugo ex oculis eius quasi membranum oui egredi, statimque visum recepit.* Tob. 11.

B Fel etenim piscis est malitia Behemot, qui caput est, & initium totius iniquitatis. Cæcus itaque felle piscis oblinitur, & protinus cæcitas effugatur; quia cùm amaritudo diabolicæ versutiæ nostris oculis ostensa proponitur, tenebrarum mox caligo propellitur, & lux interior, quæ velut eclipsim passa fuerat, reformatur. Et notandum quod dicitur, quia prius albugo de oculis est illius egressa, & sic lux illico reparata. Ille quippe in oculis gerit albuginem, qui de se sanctitatis habet opinionem. Quisquis ergo recuperare vult lucem, amoueat à se prius affectatæ æstimationis albuginem, vt se non abneget peccatorem, qui peccari vult eius deterere cæcitatem. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Isti sunt Matth. 5.

oculi, de quibus in Canticis dicitur: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Cant. 4.

C

De libro Iob.

Ex Sermone de S. Georgio.

QVis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Et paulò post: *Circundedi illud* Iob. 38.

terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tu-

D *mentes fluctus tuos.* Enimuerò rectè per mare cor praui hominis designatur, quod videlicet furore est turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, caligine malitiosæ fraudis obscurum. Separauit ergo tunc Deus mare, & minaces fluctus ab inundatione terræ compescuit: vt terra virentes herbas, & ligna pomifera germinaret, ac deinde segetum fructus afferret. Separat etiam nunc ab electis suis reproborum turbines persequentium, & quasi furentes coërcet impetus tempestatum: quod etsi furere vsque ad infrigenda corporibus tormenta concedit; ne tamen animas lædant, inuictâ eas

E atque peruigili brachij sui protectione custodit, quodammodo dicens mari: *Hucusque venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Ac si patenter dicat: Vsque ad inferenda corporibus te tormenta relaxo; ne autem vsque ad animã, cumulis intumescentibus profluas, legis meæ tibi littus oppono: vt dum furori fluctuũ tuorum littus obiicitur, terra cordis ad proferenda fluctuum germina libera reloquatur.

Incipiunt Capitula de libro Psalmorum.

1. *De impio exaltato, & depresso.*
2. *De impiis positis sicut oues in inferno:*
3. *Deus meus, ostende mihi bona super inimicos meos; ne occidas eos, ne obliuiscantur legis tuæ.*
4. *De holocaustis medullatis.*
5. *Non me demergat tempestas aqua, &c.*
6. *De reproborum exaltatione.*
7. *Filij Ephrem intendentes arcum.*
8. *Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis.*
9. *De eo, quod dicitur: Ego dixi in excessu mentis meæ, Omnis homo mendax.*
10. *De eo, quod dicitur: Fiat manus tua, vt saluum me faciat.*
11. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit, &c.*
12. *Non declines cor meum in verbum malum.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia libri Psalmorum.

CAPVT I.

In Epistola ad Desiderium Abbatem, vbi super Dei omnipotentia disputatur.

Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani; transiui, & ecce non erat.* Adhuc fortassis epulabatur ille splendidè, fulciebatur cuneis obsequentium, ambiebatur agminibus bellatorum; quem Propheta superexaltatum, & eleuatum vidit: moxque ad contemplandum summa pertransiens, quem magnum aliquid fortè crediderat, nihil esse cognouit tunc gestum. Tunc enim & cum diuitiis intumescunt, cùm se super alios arrogantet extollunt; cùm denique inferiores per tyrannidis violentiam opprimunt, tunc, inquam, eo veriùs nihil fiunt, quo ab eo, qui verè, & summè est, procul sunt.

CAPVT II.

In Epistola ad Hermisindum.

Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Oues habet Christus, quas ad amæna vireotia caulis cælestibus introducat: oues habet & ille leo rugiens, quas insatiabili cruentùs ore deglutiat. Qui benè mors dicitur; quia cum sit auctor mortis, ad inferendum nobis interitum crudeliter efferatur. Vnde Ioannes: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Apoc. 2.

A

CAPVT III.

In Epistola ad Desiderium Abbatem, vbi dicit, quòd maiori sit dignus honore, qui dignitatem proiicit, quàm qui in ea manet.

Deus, Deus meus, ostende mihi bona super inimicos meos; ne occidas eos, ne obliuiscantur legis tuæ. Psal. 58. Prouida quippe Redemptoris nostri dispensatione diuinitus agitur, vt quasi ad seruandam legis domum Iudæorum reliquiæ reseruentur; vt ipsi quodammodo nostri sint scriniarij, & libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt lingua, vbique terrarum ferant; quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant. Vn-
B de per Psalmistam dicitur: *Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos meos, ne obliuiscantur legis tuæ.* Psal. 58. Hebraica quippe lingua, quæ toto orbe dispergitur, multùm Christianæ fidei auctoritas adiuuatur. Nam nisi illud accederet testimonium, quod apud nos scribitur, quodammodo putari posset esse figmentum. Sed cùm illud testimonium adhibetur, illico dubietas tollitur. Vnde & illic aptè subiungitur: *Disperge illos, dissemina per totum mundum eos, qui superfuerint de populo Iudæorum, vt ipsi de veteribus libris testimonium perhibeant nouæ fidei veritati.* Ibid

C

CAPVT IV.

In libro de contemptu seculi.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso, & arietibus. Psal. 66. Dauid autem pro magno munere, medullata se Deo sacrificia oblaturum esse pollicetur, dicens: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso, & arietibus.* In primis

itaque sciendum, quia nequaquam Deus hostiarum pelles, sed intetiora potius viscerum cum ipsis quoque medullis in sacrificio sibimet mandat offerri. Vnde in ostendendo ipso sacrificiorum ritu, Moyses præcipit dicens: *Subtracta pelle hostiæ artus in frusta concidat.* Quisquis sanè semper negotiorum sæcularium exercitia delectabiliter fundit, holocausti sui medullas cum visceribus subtrahit, & solam victimæ pellem Deo, qui offerri prohibetur, absolete contendit. Qui verò suaue Deo sacrificium offerre desiderat, recessus petat, interiora sectetur, animam suam integram illibatamque in propria virginitate custodiat; ne discurrendo per lupanaria sæculi immundis corruptoribus, prostibuli more, substernat. Vt ergo interni Sponsi conspectui placeat, non se fusis pompæ sæcularis obducat, sed omnes mentis suæ sensus immortalis vnguine castitatis obliuiat, ne in mortem per incontinentiam corruens, in fœtore luxuriæ computrescat. In conclaui igitur sanctæ Ecclesiæ anima se pudica concludat, sicque in æterni Regis thalamo iugiter requiescat. — Leuit. 9.

CAPVT V.

Ad Alexandrum Papam, de Canonicis.

Psal. 68. NOn me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Cùm peccat homo, quasi in puteum labitur; cùm verò peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egressus, vrgetur. Corruit ergo in puteum homo, cùm peccat; claudit verò sibimet os putei, dum excusat. Ex hac porrò defensione, vel excusatione crimen hæresis nascitur. Hæresis enim interpretatur electio; & dum quod elegit quis, defendere nititur, relicto veritatis tramite, quia per abrupta peruersi dogmatis rapitur in hęresim, necesse est, prolabatur. Hoc autem inter peccatorem, & hæreticum distat; quia peccator est, qui delinquit, hæreticus autem, qui peccatum per prauum dogma defendit.

CAPVT VI.

Ad Desiderium Abbatem; vbi de Dei omnipotentiâ disputatur.

Psal. 72. DEiecisti eos dum alleuarentur. Dum de reproborum sese extollentium deiectione Propheta narraret, non ait: Postquam alleuati sunt, deiecisti eos, Domine; sed, dum alleuarentur; quia per hoc inanescunt, per quod intumescunt; inde corruunt, vnde sublimes fiunt.

CAPVT VII.

In Sermone de S. Anastasio.

DE quibusdam magna prædicantibus, sed desidiosè viuentibus, per Prophetam dicitur: *Filij Ephrem intendentes arcum, & mittentes sagittas suas, conuersi sunt in die belli.* Qui enim aduersus vitiorum tentationes ad conflictum alios prouocant, sed confligere ipsi sub ignobili desidiæ languore detrectant; hi nimirum sagittas quidem dirigunt, sed post terga conuersi, consummatæ victoriæ titulos non merentur: nec eis prodest quod benè cœperant, quia non vsque ad finem magnanimiter perseuerant. Vnde & de illis protinus sequitur: *Non custodierunt* — Psal. 77. — Ibid.

A *testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* Ac si diceret: Susceperunt quidem testamentum, sed non custodierunt; posuerunt in lege pedem per initium, sed non tenuerunt perseuerantiæ egressum. Quisquis ergo ad spirituale certamen alios prouocat, quisquis ad fortiter agendum proximorum mentes instigat, debet vtique vita concordare cum lingua, ne dum aliis proponit excelsa, ipse contentus in his, prematur inertia. Hinc est quod in lege præcipitur: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor; pondus habebis iustum, & modius æqualis, & verus erit tibi.* — Deut. 25.

B

CAPVT VIII.

In Epistola ad Blancam Comitissam.

MOntes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis. Quid enim hoc loco per montes, nisi altæ Scripturarum intelligendæ sunt profunditates? Hi nimirum, qui iam dare contemplationis saltus nouerunt, altos sententiarum diuinarum vertices quasi cacumina montana conscendunt; ad quæ profectò cacumina quia infirmi pertingere nequeunt, rectè illic subditur: *Petra refugium herinaciis*: quia videlicet inualidus quisque non intelligentia sublimis exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet. — Psal. 103.

C

CAPVT IX.

Ad Desiderium Abbatem, vbi excessum suum excusat.

EGo dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax. Cui nimirum respondeti potest: Si omnis, & tu; falsaque iam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non mendax, vera iam sententia non erit; quia dum tu es verax, non omnis homo cognoscitur esse mendax. Verùm ne ad instar gentilium scriptorum, sacra quoque Scriptura calumniæ pateat, sed ipsa se propria potius auctoritate defendat, notandum est quod præmittitur: *Ego dixi in excessu mentis meæ.* Per excessum igitur mentis, & semetipsum transiit, cum de qualitate hominis definiuit: ac si perspicuè dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, vnde ego ipse super hominem fui. In tantum verò & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autem omnino non mendax, in quantum excessum mentis super hominem ad summa contemplanda conscendi. — Psal. 115.

D

CAPVT X.

In Sermone de S. Columbâ.

E FIat manus tua, vt saluet me: ac si diceret: Fiat ille, per quem facta sunt omnia: vt dum ille creatur, creatura a reatus sui contagio liberetur. — Psal. 118.

CAPVT XI.

In Sermone de S. Christophoro.

SIcut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius. Vnguentum scilicet in capite, Spiritus sanctus est in Saluatore: qui nimirum per Aaron mysticè designatur, qui montis fortitudinis dicitur. Cùm igitur Aaron mons — Psal. 132.

A su fortitudinis, barba quoque signum est virilitatis. Huius ergo Aaron barba sancti Apostoli sunt, qui virilitatis suæ robore, quod de sancti Spiritus vnctione conceperant, omnia furentium persecutorum bella vicerunt, & mundi principem tamquam leonem aduersus oues Christi immaniter rugientem cum gloria triumpharunt. Vnde Petrus: *Cui resistite*, inquit, *fortes in fide*. Paulus etiam

1. Pet. 5. dicit: *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia*

2. Cor. 10. *Deo sunt, ad destructionem munitionum consilia corporis destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ab hac ergo barba summi Pontificis Aaron vnguentum in orá

B vestimenti eius instillat; quia per beatos Apostolos, consequenter & sanctos Martyres, ac deinceps totam simul Ecclesiam, fluentum sancti Spiritus irrigat.

CAPVT XII.

In Epistola ad Alexandrum Papam, de auferenda proprietate Canonici.

QVantum ad nostræ intelligentiæ modulum, nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quàm defensio prauitatis. Vnde Dauid ait: *Non declines cor meum in verbum malum, ad excusandas excusationes in peccatis.* Offensio quippe Dei meretur iram, excusatio prouocat ad vindictam. Hoc planè vitium sicut ex radice humani generis prodiit, quotidie pullulat, & tamquam erumpentes arboris ramos germinare non cessat. Consultus enim Adam cur ex interdicto pomo comederit: *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; mulier etiam cur hoc fecerit, inquisita; *Serpens*, ait, *decepit me, & comedi.* Ac si vterque in Conditorem obliquè crimen intorqueat, eumque, à quo redarguuntur, incessant, dicentes: Non nobis, sed tibi proculdubio debet hic reatus adscribi, qui & coniugem viro iunxisti, & serpentem in paradiso inter homines viuere decreuisti. Quorum vtriusque tamquam primischolus ille discipulus erat, qui de Abel Domino requirenti respondit: *Numquid custos fratris mei sum ego?*

Psal. 140. Genes. 3. Genes. 4.

Expliciunt testimonia de Psalterio.

Incipiunt Capitula de libro Prouerbiorum.

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia Prouerbiorum.

CAPVT I.

In Epistola ad Cincium Præfectum.

Prou. 2. P*Rudentia seruabit te, vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos.* Et post pauca: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Quæ est autem meretrix, vel mulier aliena, cuius nobis prohibetur accessus, nisi vita sæcularis, vita carnalis atque terrena? In cuius miseri homines se oblectamenta proijciunt, in cuius se captiosa iucunditate resoluunt, ac adulterinis in eam, vt ita fatear, amplexibus immergunt.

C

CAPVT II.

In eadem Epistola.

DE bona verò muliere audi quid idem Salomon dicat: *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.* Mulier enim adolescentiæ nostræ, sancta proculdubio est vita; cui scilicet ex tunc iam quasi per arram, & sponsionem coniuncti sumus, cùm abrenuntiaturos nos diabolo, & omnibus pompis eius in baptismo promisimus. Vbi mox subditur: *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore illius delectare iugiter.* Quid per ceruam, quæ montium celsa conscendit, nisi sancta designatur Ecclesia, quæ sese in amore cælestis patriæ attolli Prou. 5.

lit? Quid ceruæ istius vbera, nisi duo significant Testamenta? His vberibus inebriamur, cùm de sacræ Scripturæ fluentis infundimur, & spiritualis sapientiæ potum sitientes haurimus. In hac igitur muliere delectari præcipimur, vt eloquiorum cælestium pinguedine saginemur. Sequitur: *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius?* Ab aliena quippe muliere seducitur, qui carnalis vitæ illecebris delectatur. Nec immeritò dicitur aliena, quia nobis ex diuinæ legis est sanctione prohibita. Rursus super vtraque muliere lo-
Prou. 7. quitur, dicens. *Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, & custodi te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* Moxque subiungit: *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos; considero vecordem iuuenem, qui transit per plateas iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur.* Vbi notandum, quia vita carnalis, quæ meretrix dicitur, non alios nisi paruulos, & vecordes decipere posse perhibetur. Vnde & alibi idem Sa-
Prou. 9. lomon ait: *Mulier stulta, & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, & vocat transeuntes viam, & pergentes in itinere suo. Quis est paruulus, declinet ad me, & vecordi locuta est.* Nam qui perfectus est vir & mentis sanæ, nequaquam poterit carnalis illecebræ lenocinio decipi, vel quantumlibet ingruenti scaturientium passionum certamine superari. Illos enim dumtaxat hæc mulier superat, de illis vita carnalis, & terrena triumphat, quos prauæ voluntatis intentio, & terrenæ concupiscentiæ teter
Ibid. fumus obcæcat. Vnde ille aptè subiungitur: *In obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris, & caligine, ecce mulier occurrit illi in ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* Inebriat enim carnalis vita cor luxuriæ deditum, & tamquam nocturna caligine reddit obscurum, dum interiores oculos non in cælum erigit, sed in terra defigit. Deinde subjicit: *Garrula, vaga, & quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis; nunc foris, nunc in plateis nunc iuxta angulos insidians.* Hic porrò carnalium hominum exprimit inconstantiam, leuitatis vitio subditam, grauitatis turpiter alienam. Quod autem subiungitur: *Intexui funibus lectum meum, straui tapetibus*
Ibid. *pictis ex Ægypto.* Quid per hoc aliud innuitur, nisi quia delectatio carnis, in quam luxuriosus quisque vltro tamquam in cubile prosternitur, perplexis peccatorum vinculis obligatur? Quòd autem lectus ille ex pictis ex Ægypto tapetibus sternitur, quid est aliud, nisi quia vita luxuriantium nequaquam fundamento solidæ veritatis innititur, sed mendacij fucis, & adumbratis imaginibus
Ibid. coloratur? Quod autem meretrix ista dicit: *Veni, inebriemur vberibus, & mutuis fruamur amplexibus, donec illucescat dies; non est enim vir meus in domo sua, abiit via longissima;* tale est: Vir animæ cuiusque fidelis Christus est: qui non est in domo sua, sed abiit via longissima, quando pollutam cuiuslibet conscientiam cernit, atque ideo mox ab eo procul abscedit; deinde subdit: *Sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est.* Redemptor enim noster pecuniæ secum sacculum tulit, cùm ascendens in cælum, fidei nostræ secum lucra portauit. Qui reuersus est in die plenæ lunæ, id est, in consummatione vniuersalis Ecclesiæ; veniet enim Dominus ad iudicium, cùm expletus fuerit numerus electorum. Sed cùm multa dicat de pestilentissima huius mulieris astutia, quibus venatur animas hominum perditorum; quæ nos ob prolixitatem inserenda non ducimus, hoc in fine subiecit: *Multos,*

A inquit, *vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, viæ inferi domus eius, penetrantes inferiora mortis.*

CAPVT III.

In Sermone de S. Bartholomæo.

AVdiamus itaque per os Salomonis, sapientiam nos ad mensam spiritualis alimoniæ claris vocibus inuitantem: *Sapientia*, inquit, *immola-* Prou. 9.
uit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam; misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod
B *miscui vobis.* Christus enim, qui sapientia Patris est, victimas immolauit, cùm ad nostræ imitationis exemplum, beatos Martyres permisit occidi. Miscuit vinum, quia propinauit credentibus Spiritum sanctum. Proposuit mensam, quia cælestem parauit hominibus gloriam. Misit ancillas suas, id est, sanctos verbi ministros, qui se infirmos & fragiles asserebant. Quid ergo iam restat, nisi vt relicta fame sæculi, properemus ad mensam Dei? Sed ad hanc ingrediendi aditum reperire non possumus, nisi per sanctos Apostolos, quibus claues commissæ Matth. 16.
sunt regni cælorum. Vnde scriptum est: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam; in capite tur-* Prou. 1.
barum clamitat, in foribus portarum. Ipsi quoque sunt caput turbarum, foresque portarum; quia ipsi sunt
C populorum principes, ac supremæ Hierusalem per sublimioris excellentiæ priuilegium ianitores.

CAPVT IV.

In Epistola ad Cincium Præfectum, super cohortatione ad castitatem. *

AVdi rursus sub mulierum specie, quid inter spiritualem vitam distet, atque carnalem: *Mulier*, inquit, *diligens, corona est viro suo: & putredo* Prou. 12.
in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit. In huius itaque mulieris ossibus est putredo; quia dum quilibet carnali vitæ coniunctus superare alios nititur,
D dum forte quid, quod ossa significant, agere gloriatur, fœda per populum fama diffunditur, & quasi fœtor olidæ putredinis exhalatur. De quibus vtique mulieribus & alius Sapiens dicit: *Mulier si est* Eccli. 7.
tibi secundùm animam tuam, ne proiicias illam: & odibili non credas te in toto corde. Mulier quippe secundùm animam, est vita virtutum, conuersatio sancta: Mulier verò odibilis, carnalis est vita; quæ certè odio est habenda; cui profectò si in toto corde nos credimus, necesse iam erit, vt sicut Samson per Dalilam, ita & nos per istam in manus hostium in- Iudic. 16.
cidamus: de qua videlicet odibili muliere in Deuteronomio scriptum est: *Si acceperit homo uxorem, &* Deut. 24.
habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius,
E *propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittat eam de domo sua.*

CAPVT V.

In Epistola ad Fratres Gamugnij, vbi de transgressione sanctorum mandatorum agit.

QVi virtutum lapidibus festinat atrium subli-
me construere, priùs eum necesse est in-
honestientia carnalium delectationum dumeta
Prou. 24. purgare. Vnde rectè per Salomonem dici-
tur; *Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices*
domum tuam. Ille quippe benè domum men-
tis ædificat, qui priùs agrum corporis spinis
vitiorum purgat: alioquin si desideriorum,
B
passionumque carnalium sentes in carnis agro
pullulare sinuntur, fame boni crescente, tota
Ibid. intus virtutum structura collabitur. Hinc rur-
sus ait: *Per agrum hominis pigri transiui, & per*
vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ,
operuerunt superficiem eius spinæ, & materia lapidum
destructa erat. Quid enim ager, vel vinea pigri
hominis, nisi caro cuiuslibet otiosi in spiritua-
lia agriculturæ laboribus desudare nolentis?
Quid autem vrticæ, nisi gulæ prurigines, &
carnales illecebræ? Quid denique spinæ sunt,
nisi passionum carnalium punctiones? Quid po-
stremò materia lapidum, nisi charitate media
eum permixta cohærentium structura virtutum?
Ager ergo pigri & stulti hominis, vrticis, spinis-
que repletur, cùm caro cuiuspiam otiosè viuen-
C
tis, non per disciplinam continui laboris exco-
litur desiderio, & enutritur. Lapidum quoque
materia labefactata diruitur; quia tota virtu-
tum fabrica, velut impactis incontinentiæ arie-
4. Reg. 25 tibus dissipatur. *Princeps* enim *coquorum destru-*
xit muros Hierusalem. Coquorum autem Prin-
ceps iure asseritur venter, cui nimirum à coquis
laborioso opere seruitur. Quisquis ergo desiderat
spiritualium segetum vbertate direscere, desudet
nunc agrum sui corporis, disciplinæ, ac continen-
tiæ vomere continuo labore sulcare: & tanquam
noualium suorum glebas, sarculo sapientæ con-
fringat; dum quidquid durum, dum quidquid in-
fœcundum in se reprehenderit, iugis pœnitentiæ
D
contusionibus terat; nec desinant gulæ prurientis
vrticas, atque inhorrescentes carnalium deside-
riorum vepres radicitus extirpare, quo vberes pro-
uentus spiritualium segetum valeant sui cordis tu-
ta proferre. Vnde & idem Salomon ait: *Qui opera-*
Prou. 12. *tur terram suam, saturabitur panibus: qui sectatur otium,*
replebitur egestate.

CAPVT VI.

In Epistola ad Alexandrum Papam, de Canonicis.

Prou. 26. C*Laudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit*
verba per nuntium stultum. Quibus nimirum
E
verbis quid aliud videtur expressum, nisi vt car-
naliter sapienti, ac per hoc stulto cuilibet non
committatur prædicationis officium? De sanctis
enim Prædicatoribus dicitur: *Quàm speciosi pedes*
Esai. 52. *euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Itaque
quilibet Ordinator Ecclesiæ, si dignos, & ido-
Rom. 10. neos in dignitate constituit, quasi pedibus re-
ctis incedit. Per eos enim verbum spargendo
circumquaque discurrit; & quod per semet-
ipsum non valet agere, per illos satagit efficaci-
ter adimplere. Sin autem carnales quosque, ac
reprobos ordinare præsumat, hic claudus pedi-
bus ambulat. Qui etiam iniquitatem bibere di-

A citur: quia dum verba sanctæ prædicationis per
stultum nuntium mittit, & contra Apostolum, 1. Tim. 4
citò manus imponit, peccatis communicat, alie-
nis. Nam etsi prudenter quisque loquatur, si ta-
men non agit ipse quod loquitur, in spirituali
claudus itinere non immerito iudicatur. Vnde &
illic aptè subiungitur: *Quomodo pulchras frustra ha-* Prou. 26.
bet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum pa-
rabola. Pulchris planè innititur tibiis qui luculentè
nitet claritate sermonis. Sed dum sine bonis operi-
bus accuratum deprimit eloquium, velut sine gres-
su promouet recta crura verborum. Quasi pulchras
ergo habet tibias ad videndum, sed non vtiles ad
B gradiendum, qui podagricis vitiorum laqueis in-
nodatus, ipse quidem turpiter claudicat, dum alios,
vt agiliter gradiantur, inuitat. In istorum ergo stul-
torum ore indecens est parabola; quia dum spiri-
tualiter sonant, & carnaliter vicitant, eorum vi-
ta cum labiis non concordat; quos nimirum ho-
nesta loquentes, sed inhonestè viuentes prædicatio
recta non liberat, sed mordax cōscientia vehemen-
ter accusat; vnde illic non incongruè subdit: *Quo-*
modo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in Ibid.
ore stultorum. Spina quippe in manu temulenti nas-
citur, cùm illi, qui huius vitæ amore est ebrius, re-
prehensionis in mente aculeus generatur. In ore
itaque stultorum parabola quasi spina est; quia
dum aliud loquuntur, aliud agunt, mens eorum
in semetipsa aliquando redarguitur, & quodam
C quasi spinæ pungentis aculeo perforatur; velut
spina certè malè viuentis, & benè dicentis con-
scientia pungit, dum in eo, quod extrinsecus lo-
quitur, quodam pudoris atque formidinis sti-
mulo intrinsecus sauciatur.

CAPVT VII.

In eadem Epistola.

S*Icut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij; ità*
qui tribuit insipienti honorem. Nam qui apud
gentiles Mercurius Deus *Sacelli, siue pecuniæ Prou. 26.
dicebatur; Aceruus Mercurij, cumulus, atque * Lucelli s.
D congeries est nummorum. Et quia nummo re-
gula monetalis imprimitur, quid per nummo-
rum designatur aceruum, nisi Regularium, ac
veræ sanctitatis imaginem præferentium concio
Clericorum? Quid verò per lapidem, nisi duram,
stolidam, & inscotibilem illius mentem accipi-
mus, qui dum Deum esse indubitata fide non
credit, spem suam in terrena qualibet possessio-
ne constituit. De quo per Prophetam dicitur: Psal. 13.
Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Huic au-
tem insipienti tunc honor tribuitur, cùm ad Ec-
clesiastici gradus apicem quispiam non Deo, sed
pecuniæ deditus promouetur. Sed sicut num-
morum dissipatur aceruus, si desuper lapis im-
E mittitur, ita per indigni, siue lapidei Pastoris,
accessum, quasi constipatus ordo destruitur re-
gulariter gradientium, & in charitate obedien-
tium Clericorum: grauatur enim mali Pastoris
vmbraculo, & tamquam nummorum cælestium
cumulus, tartarei lapidis mole diruitur. Stulto
igitur, & insipienti denegandus est honor Ec-
clesiasticus, ne sanctorum Clericorum tanquam
nummorum spiritualium mergatur aceruus. De
quo videlicet stulto paulò superiùs idem Salomon
ait: *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit* Prou. 26.
verba per nuntium stultum.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Alexandrum Papam, super insolentia malorum hominum.

Prou. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer.* Nam quò quisq; immoderatiùs vescitur, eò necesse est, vt ad potum æstuantiùs accendatur. Et dum congesta sibi moles feruescente stomachi lebete decoquitur, crebris necesse est haustibus irrigetur. Sed cùm cibis venter, ac potibus intume- A scat, consequens est vt alterius vtrinque meatibus, & fæces per podicem in cuniculos egerat, & humorem de genitali conceptaculo per pudenda profundat. Sicut enim in torcularibus vinarium à vino; sic in ilibus stercus separatur à vino. Sanguisugæ ergo, quæ edacitas est, duæ sunt filiæ, ebrietas, & libido; quia dum vna pestis delectabiliter concipit, geminam necessariò sobolem parit; quæ nimirum dicunt: Affer, affer; quia cùm sint insatiabiles, violentæ quoque sunt exactrices.

Expliciunt Testimonia de libro Prouerbiorum.

Incipiunt Capitula de Ecclesiaste.

1. *Quod omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.*
2. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.*
3. *De Spiritu potestatem habente.*
4. *De eo quod dicitur: Da partem septem, nec non & octo.*
5. *Finem loquendi omnes pariter audiamus.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia de Ecclesiaste.

CAPVT I.

In libro Gratissimo.

Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Hunc excursum, atque recursum spiritualium fluminum mysticè Lucas Luc. 9. Euangelista describit, cùm ait: *Quia conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent; & misit illos prædicare regnum Dei.* Ecce egressus fluminum; ac postmodum subdit: *Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcumque fecerunt.* Ecce reditum fluminum. Ad locum ergo vnde exeunt flumina, reuertuntur; quia electi quique illi se debitores esse non ambigunt, à quo videlicet 1. Cor. 12. hauserant omne quod spiritualiter fluit. Vnde & Paulus ait: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Nempe cùm primùm ponat Spiritum, deinde subiungat Dominum, postremò Deum, ostendit sanctam Trinitatem, vnum scilicet Deum omnium gratiarum esse indubitanter auctorem. Ipse enim sua dona distribuit, qui singulorum merita, & operum diuersitates occulta prouisione discernit.

CAPVT II.

G G.

Eccl. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti;* quia cogitationes superfluæ, quæ assiduè in animo carnalia cogitante nascuntur, atque deficiunt, eam suauitatem, qua vnusquisque intrinsecus per Spiritum vnctus est, perdunt. Vnde cùm miro pietatis opere ad cor Veritas venit, prius B ab eo cogitationum carnalium æstus eijcit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod benè nobis innuitur, vbi de Domino ad filiam Principis resuscitandam deducto in Euangelio dicitur: *Et cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Matth. 9. Foras ergo turba eiicitur, vt puella suscitetur; quia nisi prius à secretioribus cordis expellatur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. Nullus quippe sapientiam, quæ Deus est, plenè percipit, nisi qui ab omC nise abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Vnde aliàs dicitur: *Sapientiam scribe in tempore otij, & qui minoratur actu, ipse percipit eam.* Eccli. 38.

CAPVT III.

Ad Mainardum Abbatem.

Si spiritus potestatem habentis ascendit super te, locum tuum ne dimiseris. Eccl. 10. Ac si apertè dicat: Si tentatoria spiritum in aliquo præualere consideras, humilitatem pœnitentiæ non relinquas. Et alibi scriD ptum est: *Noli altum sapere, sed time; & vltimum in spiritualibus nuptiis accubitum pete.* Rom. 11.

CAPVT IV.

In Epistola ad Bonifacium Causidicum: vt exteriori prudentiæ spiritualis sapientia præferatur.

Da partem septem, nec non & octo. Sic præsentem vitam, quæ per septenarium numerum Eccl. 11. designatur, excurre; vt iam in amore futuræ, quæ per octonarium resurrectionis exprimit gloriam, totis studeas visceribus habitare. Illi perfunctoriam atque volaticam exhibe curam: in

hac perseuerantem atque perpetuam, sicut æterna est, indeficuæ dilectionis fige sententiam.

CAPVT V.

In Epistola ad Adlexandrum Papam; contra Papam, ne dijudicet.

Eccl. 12. FInem loquendi pariter omnes audiamus: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*: Quis est autem finis loquendi, nisi ille, de
Rom. 10. quo dicit Apostolus: *Finis enim legis ad iustitiam Christus omni credenti?* Finis quippe legis ad iustitiam, Christus est; quia quidquid siue vetus, siue noua Lex loquitur, ad illum sine dubitatione refertur. Ad iustitiam verò non otiosè dicitur; quia B diuinæ legis sermo iustificat, & animam à sordi-
Ioan. 15. bus mundat. Sicut Discipulis Veritas ait: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Deum verò timere, est cuncta, quæ Deus prohibet, execrando, & abominando cõtemnere. Mandata illius obseruare, est omnia, quæ præcipit, operibus exercere. Ille ergo Deum timet, qui satagit cauere quod prohibet: ille mandata eius obseruat qui studet implere quod imperat. *Deum ergo time, & mandata illius obserua, hoc est enim omnis homo.* Ac si perspicuè dicat: Qui non studerit cauere prohibita, qui neglexerit implere præcepta, quia ratione caret, vocabulum quidem hominis habet, sed hominis esse non habet; quia non C veraciter vtitur virtute nominis, quo censetur. Ille nimirum se credat veraciter hominem, qui hominum recognoscit auctorem; alioqui, *qui ignorat, ignorabitur.* Quid autem sine bis sit homo,
1. Cor. 14. perspicuè definit Scriptura cùm dicit: *Stellæ non*
Iob. 25. *sunt mundæ in conspectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Vnde & Abraham cùm A ad summæ collocutionis culmen attollitur; cùm diuinæ familiaritatis gratiam peculiariter promeretur, huius humilitatis recordatione deprimitur, cùm dicit: *Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis, & cinis?* Gen. 18. Nam & apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, vt cùm Imperator quis in dignitate creatur, mox vt Imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratur; cùm denique Procerum vallatur obsequiis, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præstò fit obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat; in alia verò stuppam lini subtiliter pexam ac pilis pensilibus molliter demolitam; cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi flamma subito vorante consumitur; vt B in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quod habet. In cineribus siquidem se cinerem recognoscit: in stoppa iam colligit in die iudicij, quàm subitò mundus ardebit; quatenus dum se, simul ac sua tam vana, tam floccipendenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat: & dum possessor, atque possessio subiacere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa prouectus est, non infletur. Pulchrum ergo mundanæ conditionis ordinem homo consideret; & dum suis vsibus omnia cernit attribui, non sibi, sed suo referat gratias Conditori; lenocinantem mundi gloriam sub C iudicij sui calcibus deprimat; virorem carnis, aridum iam puluerem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis semper obtutibus anteponat, districtum vltimæ discussionis iudicium contremiscat; quatenus dum nunc Creatoris sui legibus subditur, qui inter creaturas, quæ terrenæ sunt, videtur insignis, in cælesti quoque gloria veraciter sit sublimis.

Expliciunt Testimonia de Ecclesiaste.

Incipiunt Capitula de Canticis Canticorum.

1. DE oleo effuso. 2. De nigredine Sponsæ 3. De fasciculo Myrrhæ 4. De lilio conuallium. 5. De ordinata charitate. 6. De Vtraque Vita. 7. De foraminibus petræ. 9. De lectulo Salomonis. 9. De oculis columbarum. 10. De dentibus Ecclesiæ. 11. De duobus Vberibus. 12. De pulchritudine amicæ. 13. De corona animæ, Vel sanctæ Ecclesiæ. 14. De Aquilone, & Austro. 15. De eo quod dicit Ecclesia: Ego dormio, & cor meum Vigilat. 16. Quòd dilectus dicitur candidus, & rubicundus. 17. De sanctis Doctoribus. 18. De Ventre Christi eburneo. 19. De gutture Christi. 20. De malo punico. 21. De quadrigis Aminadab. 22. De Vmbilico Christi. 23. De comis capitis Christi. 24. De pulchritudine Sponsæ. 25. De fructu Crucis. 26. De arbore malo 27. De signaculo cordis, & brachij.

Expliciunt Capitula de Canticis Canticorum.

Incipiunt Testimonia de Canticis Canticorum.

CAPVT I.

Ex Sermone in Natali Virginum.

OLeum effusum nomen tuum. Chrisma Græcè,
Cant. 1. Latinè dicitur vnctio. A chrismate ergo Christus, & à Christo dicitur Christianus. Per D oleum autem, Spiritus sanctus debet intelligi, sicut per Psalmistam Saluatori nostro dicitur: *Vnxit* Psal. 44. *te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Oleum ergo effusum est nomen Christi; quia in tot Spiritus sancti gratia propagatur, quot sunt qui Christi vocabulum veraciter sortiuntur.

CAPVT II.

Cant. 1. Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis. Cedar interpretatur, tenebræ; hi sunt infideles lucem fidei non habentes. Nigra sum, inquit, propter persecutionis æstum, propter aduersa, quæ patior à filiis tenebrarum; sed intrinsecus formosa sum, quia concupiuit Rex speciem meam, & omnis gloria mea ab intus. Formosa sum, inquit, sicut pellis, hoc est, tabernaculum Salomonis. Sicut enim tabernaculum ex mortuorum fit pellibus animalium; ita dumtaxat illi sunt habitaculum Dei qui Christo commortui, vitiis quoque, carnisque concupiscentiis sunt extincti. Sequitur: Nolite, inquit, me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol, ô filiæ Hierusalem. Idem & fideles animæ, in illa iam cælesti gloria per desiderium constitutæ: Nolite me considerare, quòd fusca sim, id est, nolite desperare, vel nimis expauescere, quòd me tribulationes opprimunt, quòd persecutiones afficiunt, quòd in hoc tēpestatis procellarumque naufragio intumescentes me fluctus illidunt; quia decolorauit me Sol, quoniam super me persecutionis æstus incanduit, decoremque meæ venustatis ac pulchritudinis offuscauit. Ac si dicat: Nolite tam ea, quibus extrinsecus affligor, attendere, quàm vernantem interioris venustatis speciem cogitare. Ephes. 2. Tale est quod Apostolus dicit: Nolite deficere in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Non Rom. 8. enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hanc autem interiorem pulchritudinem, exterioremque nigredinem breuiter Hieremias comprehendit dicens: Thren. 4. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Ecce pulchritudo, sed audi nigrediem, nam illico sequitur: Ibid. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus; aruit & facta est quasi lignum. Sed aspiciamus exteriorē nigrediem, aperiat ipsa, vnde sit interior pulchritudo: Indica mihi, inquit, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie; ac si dicat: O Sponse cælestis, quem anima mea inenarrabiliter diligit, in quo per desiderium iugiter requiescit, quem vlnis intimæ dilectionis amplectitur, in quo totis visceribus delectatur; dic mihi vbi pascas, hoc est, tu qui Pastor bonus es, vbi oues tuas pascere facias: ipse etiam vbi cubes, id est vbi requiescas in æstu persecutionis, & feruota tentationis nostræ: vbi scilicet, nisi in his, qui furenti vesaniæ cedere nesciunt, & grassantis malitiæ conatibus eneruiter non succumbunt? Non ergo immeritò formosam se sponsa illa dicebat, quia ille in ipso persecutionis articulo in ea delectabiliter quiescebat, qui serenitate vultus sui cætera clarificat.

CAPVT III.

In Sermone de SS. Flora & Lucilla.

Cant. 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Myrrha planè species est aromatica, nimiæ amaritudinis, qua mortuorum cadauera condiuntur, ne facilè computrescant. Ioan. 19. Hinc est quod & ipsius Sponsi corpus à Nicodemo & Ioseph de cruce depositum, myrrha, & aloë conditur, & linteis inuolutum sepulturæ committitur. Quid ergo per myrrhæ fasciculum, nisi multiplex mortificatio designatur? Non enim dicit: Surculus myrrhæ, sed, fasciculus, inquit, myrrhæ dilectus meus mihi; ac si dicat; quia in omni mea conuersatione me mortifico, & nullis iam propriæ voluntatis operibus viuo, dilectus meus non mihi simplex factus est ramus, sed myrrhæ fasciculus. Vnde & Prædicator eximius: Ego, inquit, stigmata Iesu in corpore meo porto. Galat. 6. Ad quam videlicet multiplicem mortificationem & nos secum hortatur, dicens: Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. 2. Cor. 4. Ab eo namque quod corpore nostro circumferimus, nullam corporis partem vacuam reseruamus. Ille ergo mortificationem Iesu in corpore suo circumfert, qui de se sibi, nihil relinquit, qui non sibi, sed Christo in omnibus viuit; qui terrēse à voluntatibus propriis vndique crucifigit. Hic itaque dilectus Myrrhæ fasciculus fit; quia in cunctis suis actionibus se velut extinctum præbens, multiplicem quodammodo mortificationis Christi manipulum colligit. Vbi & aptè subiungitur: Inter vbera mea cimorabitur. Nemo dubitat inter vbera pectoris esse locum cordis. Dilectus ergo inter sponsæ vbera commorabitur, quia indeficiens eius amor, ac desiderium ex eius memoria non deletur. Inter vbera mea commorabitur, tanquam diceret: qui mihi fasciculus myrrhæ factus est per amaritudinem passionis, inter vbera mea ingiter commorabitur per dolcedinem cordis: & qui me extrinsecus per exemplum susceptæ mortis exasperat, per infusam gratiam me intimæ suauitatis oodulcat.

CAPVT IV.

Ex Sermone in Natali Virginum.

Ego sum lilium conuallium. Lilium planè se sponsus nominat propter niueum cādorem mundissimæ castitatis. Cant. 2. Lilium non montium, sed conuallium; quia pias eligit mentes humilium, non scopulos inhabitat superborum.

CAPVT V.

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Cant. 2. Non ait: dedit quam non reperit, sed ordinauit, quam inordinatam inuenit. Nonnulli namque in principali cordis sui loco habent vxores, filios, prædia, vel honores; in secundo autem quodammodo Deum ponunt, dum eum minus diligunt. Hi nimirum videntur quidem habere charitatem; sed inordinatam: nec illum seruant ordinem charitatis, quem Veritas ipsa disposuit, cùm dicit: Diliges Deum ex toto corde, Luc. 1. hoc est maximum, primumque mandatum; secundum autem simile est huic, vt diligas proximum. Non ergo se iactet quis habere charitatem, si ordinata non est; sicut nec etiam fidem, si sine operibus, ac per hoc otiosa est.

CAPVT VI.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. Læua quippe subesse capiti dicitur, cùm præsens vita à mente, quæ cogitationum caput est, despecta calcatur. Dextræ verò

amplexibus stringitur, quia solius æternæ vitæ desideriis vndique delectatur.

CAPVT VII.

Cant. 2. SVrge amica mea, sponsa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Anima quippe sancta iure Christi amica, & sponsa vocatur; quia illi per fidem dilectionem que coniungitur. Sed hæc sponsa quasi adhuc iacet, dum in mundanis actionibus implicatur; tunc surgit, cùm ad procinctum diuinæ seruitutis erigitur. Ac si dicat: Quæ in secularis vitæ mollitie iaces, iam surge, atque ad familiare contubernium meæ contemplationis erige. Columba mea in 1. Cor 10. foraminibus petræ. Si iuxta Apostolum, petra Christus est, foramina petræ vulnera sunt Redemptoris; quæ profectò non casu quinque sunt, lanceæ scilicet, & clauorum; sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti. Istæ siquidem portæ erant, per quas die Sabbati Propheta ne inferrentur onera grauia, prohibebat. In his ergo foraminibus Dei columba consistit; quia sancta quælibet anima totam propriæ salutis spem in sui Redemptoris passione constituit. Ibi velut ab accipitris incursu defenditur, quia a cunctis malignorum spirituum insidiis custoditur. Ibi plane nidificat, quia illic fœtus bonorum operum coacervat. De Psal. 103. hac petra per Psalmistam dicitur: Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis. Quod autem additur: In caverna maceriæ; Inlent ex lapidibus maceriæ fieri ad custodiam vinearum; sicut per Isaiam dicitur: Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi, & maceria circumdedit, & circumfodit eam. Quid ergo per maceriam lapidum nisi præsidium, & excubias intelligimus Angelorum? quibus videlicet anima in certamine posita, dum vallatur, atque circumdatur, à cunctis aduersantium spirituum tentationibus custoditur. Porro quod sequitur: Ostende mihi faciem tuam; tunc anima cælesti Sponso faciem suam ostendere dicitur, cùm eius speciem internis obtutibus quasi reuelata facie contemplatur: Sonet, inquit, vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. O quam suaue commercium, immo quàm inenarrabilis dulcedo in humanis visceribus oritur, cùm Creator, & creatura alternis in se inuicem affectibus delectantur! sicut per Prophetam dicitur: Suauis sit ei Psal. 103. laudatio mea, ego verò delectabor in Domino.

CAPVT VIII.

EN lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. Fortes eum lectulum Salomonis ambiunt, dum Intimarum pacificè Redemptoris nostri requiem sancti quique indefessa desiderij sedulitate custodiunt.

CAPVT IX.

Cant. 4. OCuli tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Isti sunt oculi, de quibus Domi- Matth. 5. nus in Euangelio: Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Absque eo quod intrinsecus latet. Quia licet sancti Doctores nunc Creatorem suum per contemplationis gratiam aspiciunt, latet tamen adhuc magnum aliquid, ad quod in hac corruptibili carne humanæ mentis acies non aspirat. Vbi mox sequitur: Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Galaad. Sicut enim per oculos, Ecclesiæ Doctores intelliguntur, qui ad videnda in inferioribus membris summa, ac specialia sunt prælati: sic etiam per capillos, gregesque caprarum designantur simplices & subiecti. Qui nimirum & si præ simplicitate mystica quæque ac summa non penetrant, multitudine tamen, & comparatione sua sanctam Ecclesiam velut capilli caput exornant; quia plerumque pro peccato aufertur figura peccati. Galaad, aceruus est testimonij. Per Galaad ergo Christum, cui Sanctorum omnium multitudo perhibet testimonium. Per capillos verò, vel caprarum greges, multitudinem intelligimus subiectorum. Greges ergo caprarum ascendunt de monte Galaad; quia Sanctorum omnium multitudo de Christo, quem sibimet faciunt fundamentum, conscendere satagunt excelsa virtutum. Vnde colligere possumus, quia quantùm distat inter oculos, & capillos, tantùm ferè in contemplationis studio inter Prælatos distare debeat, & subiectos; quatenus eorum, qui sibi sunt commissi, spiritualibus studiis sint intenti, & videant non modò sibi, sed & illis.

CAPVT X.

DEntes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Porro dentes Ecclesiæ sancti no- Cant. 4. cuntur esse Doctores; quorum Primo dictum est: Macta, & manduca. Ac si diceret: Ab eo quod Act. 11. sunt, gladio Spiritus, hoc est, verbo prædicationis, occide, & in corpus transfer Ecclesiæ. Dentes igitur sponsæ, sunt Doctores sancti; qui quoniam simplices per innocentiam sunt, & omnia relinquentes facultatum suarum velleribus sunt exuti ac sacri Baptismatis vnda purificati, sicut gres tonsarum sunt, quæ ascenderunt de lauacro.

CAPVT XI.

DVo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Cant. 4. Sicut enim duo vbera duo sunt testamenta, ita duo hinnuli, duo populi sunt Ecclesiæ filij, Iudæcus scilicet, & Gentilis.

CAPVT XII.

Ex Sermone in Natali Virginum.

TOta pulcra es amica mea, tota pulchra, inte- Cant. 4. rius scilicet & exterius. Totis in perfectione clari operis; intrinsecus in munditia purissima cogitationis.

CAPVT XIII.

In Sermone de SS. Flora & Lucilla.

COronaberis de vertice Sanir, de capite Amanà, & Cant. 4. Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Amana siquidem mons est Ciliciæ, qui & Taurus à compluribus appellatur. Sanir verò, & Hermon, Iudaicæ terræ montes sunt, in quibus leones & pardi habitare creduntur. Per hos ergo montes, Reges & Principes, diuersæque mundi huius intelligendæ sunt potestates; quæ velut montes in superbiæ se cacumen at-

tollunt, & malignis spiritibus tanquam pardis, atque leonibus habitaculum fertur. Peruersi quippe spiritus, leones vocantur propter crudelitatem: Pardi autem, quia hoc animal varij coloris est, propter deceptionis, ac fraudis multimodam varietatem. De his ergo montibus, vel quæque fidelis anima, vel sancta coronatur Ecclesia, quando sæculi Principes conuertit ad fidem, vel sanctæ conuersationis dirigit rectitudinem. Coronatur autem, vel quia pro apportato eorum lucro remuneratur à Christo: vel ab eisdem, quibus antea premebatur, honoratur in sæculo. Coronatur, inquam, de cubilibus leonum, & montibus pardorum, quando superbos quosque, atque dolosos à sua prauitate conuertit, & pro correctis eorum moribus, æterna præmia recipit.

CAPVT XIV.

Ex Sermone in Natali Virginum.

Cant. 4. S*Vrge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Quid per Aquilonem, qui nimirum ventus est frigidus, nisi persecutionis asperitas? Quid per Austri tempora, nisi malè blandientium remissio designatur? Sed inter vtrinsque persecutionis genera, inter vtraque maligni spiritus argumenta Ecclesiastici horti fluere iubentur aromata; quia fortis animus inter hæc certamina deprehensus aperit quicquid virium, quicquid fidei, quicquid inuictæ fortitudinis eatenus occultauit: & velut aromata foras prefluunt, dum ad humanam notitiam virtutes prodeunt, ac piæ opinionis odores longè latéque diffunduntur.

CAPVT XV.

Cant. 5. E*Go dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Dicit Ecclesia: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quia videlicet sancta mens quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò veriùs interna cognoscit; & tantò ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine solerter occultat. Dormit itaque sponsa à negotiis, & concupiscentia sæculi; sed apertos atque peruigiles tenet oculos in æstu amoris Dei. Sed quia non est hoc tempus plenæ quietis, sed laboris potius atque certaminis, repente dilectus ostium pulsat, eamque ad procinctum conferendi belli suis exhortationibus excitat. *Vox*, inquit *dilecti mei pulsantis.* Pulsat dilectus, cùm fideles suos prouocat Christus, aut ad suarum incrementa virtutum, aut E certè ad lucrandas animas proximorum. *Aperi mihi soror mea.* Soror vtique, quia regni mei mihi cohæres effecta, & in necessitudine mihi fraternæ adoptionis adscita. *Amica mea*; quia de iugo seruitutis erepta, cognouisti meæ veritatis arcana. *Columba mea*, quia fellis amaritudine vacua, & Spiritus mei, qui in columba descendit, dono ditata. *Immaculata mea*, quia effusione mei sanguinis ab omni peccatorum tuorum labe purgata es. Aperi itaque mihi, hoc est, de quiete & otio dilectæ tibi contemplationis egredere, & ad perhibendum veritati meæ testimonium feruentissimè, & constanter impende. *Quia caput meum plenum est rore, & cincin-* (1. Cor. 11.) *nis mei guttis noctium. Caput Christi Deus est*, vt

A dicit Apostolus; cincinni verò intimæ Sanctorum cogitationes sunt; quæ non laxæ fluunt, & dissolutæ, sed timoris, & amoris Dei sunt vinculo colligatæ. Enimuero quid per rorem, & guttas noctium, nisi tenebrosas, & frigidas quorundam reproborum mentes accipimus? Caput ergo sponsi in reprobis plenum est rore, cùm sæculares quique à Dei charitate torpescunt, & per voluptatum suarum lasciuiam defluunt; iuxta id quod Dominus dicit: *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.* (Matt. 24.) Huiusmodi planè cùm sanctos Dei persequuntur, & odiunt, in illorum cordibus quasi cincinni sponsi guttis noctium pleni sunt; cumque tales multiplicantur, & Ecclesiam persecutionibus aggrauant, tunc sponsus sponsam exhortatur vt surgat, & studio præuaricationis valenter insistat. Et sponsa ad eum. B *Exspoliaui me*, inquit *tunica mea, quomodo induam illam?* (Ibid.) Ac si dicat: Exui me curis, & occupationibus sæculi, & in solo me tuæ contemplationis amore constrinxi; quomodo nunc discussionis iter arripiam? quomodo strepitus, & luctamen obloquentium feram? Quòd autem tunica curas, sollicitudinesque significet, ostendit Dominus cùm dicit: *Qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam*, (Matt. 28.) quod est apertè dicere: Qui sublimi contemplationis arce subnititur, nequaquam descendat, vt iterum sæcularis negotij occupationibus implicetur. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* id est, gressus mei operis ab aspersione terreni pulueris dignis pœnitentiæ fletibus ablui, quo pacto iam potero, nisi, C quibus assueta sum, cælestia meditari? Veruntamen postponit contemplationis requiem, & ad feruorem obedientiæ intrinsecus accensa mox perhibet dicens: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Dilectus planè manum per foramen mittit, & ventrem tangit, cùm occulta Conditor inspiratione cor visitat, atque ad agonem certaminis, & sancti laboris inflammat. Nam quòd venter cor significet, ostendit Propheta cùm dicit *Ventrem meum doleo*; (Ierem. 4.) quod profectò quid esset, D aperit, cùm subiungit: *Sensus cordis mei dissipati sunt. Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Surgit, vt aperiat, quia promptissimo animo humiliter obediens, calcat propriam, vt totis viribus voluntatem impleat meo sancta diuinam.

CAPVT XVI.

In Epistola ad Blancam: & in Sermone de SS. Flora & Lucilla.

D*Ilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus; caput eius aurum optimum.* (Cant. 5.) Dilectus siquidem candidus virginitate, rubicundus est passione. Candidus, quia dicit: *Ego lilium conuallium*; (Cant. 2.) rubicundus, de quo Ioannes dicit: Quia *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* (Apoc. 1.) Electus ex millibus, quia ex omnium Sanctorum multitudine solus est, qui dignus fuit audire: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* (Matth. 3. & 17.) De quo & Salomon: *Virum* inquit, *de mille vnum reperi.* (Eccl. 7.) Millenarius quippe numerus totius humani generis est intelligenda perfectio; in quo Saluator tamquam passer est vnicus in ædificio. *Caput eius aurum optimum*; quia *Caput Christi Deus*; (1. Cor 11.) qui nimirum sicut aurum metallis, ita (licet incomparabiliter) omnibus supereminet creaturis.

CAPVT

CAPVT XVII.

Cant. 5. *OCuli eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Sancti quippe Doctores Ecclesiæ iuxta fluenta plenissima resident Scripturarum, ex quibus nimirum exuberantem ipsi veræ sapientiæ gurgitem hauriunt, & auditoribus suis mysterij cælestis arcana transfundunt.

CAPVT XVIII.

In Sermone de S. Ioanne Apostolo, & Euangelista.

Cant. 5. *VEnter eius eburneus, distinctus Sapphiris.* In membris nempe humani corporis, vix aliquid ventre fragilius siue tenerius inuenitur; ideoque per ventrem, rectè fragilitas in Christo assumptæ humanitatis accipitur. Ebur autem os est Elephantis, quod videlicet animal fertur esse castissimum, frigidissimæque naturæ. Venter ergo sponsi eburneus est, quia suscepta Redemptoris humanitas ab omni peccatorum contagio casta
Pet. 2. prorsus & inuiolata permansit. Siquidem *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Sapphirus autem lapis est sereni cæli colorem ha-
Exod. 24. bens. Vnde & in visione Domini dicitur: *Erat sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphiri, & quasi cælum cùm serenum est.* Per Sapphiros ergo opera diuinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus ostendebat. Venter ergo sponsi distinctus erat Sapphiris, quia Christi humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec plenus esse Sapphiris dicitur, sed distinctus; ita videlicet, vt inter Sapphiros candor eboris appareret; quia sic Dominus ex parte assumpti hominis operabatur humana, vt aliquando nihilominus ex parte deitatis ostenderet & diuina. Nam esurire, flere, postremò crucifigi, & mori, humanitatis erant opera: miracula verò facere, & non solùm alios, sed semetipsum etiam a mortuis suscitare, euidentissima erant diuinitatis indicia.

CAPVT XIX.

Cant. 5. *GVttur illius suauissimum;* Quia suorum melliflua suauitate verborum mentes audien-
Psal. 38. tium obdulcantur. *Quàm dulcia,* inquit, *faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum ori meo! Totus* etiam *desiderabilis;* quia *in eo,* teste Petro, *de-*
1. Pet. 4. *siderant Angeli prospicere*: vel quia humanitatis eius omne mysterium, desiderium accendit in mentibus electorum; vt eos videlicet non modò resurrectionis gloria prouocet, sed ad imitationis exemplum, ipsa quoque ignominia passionis inuitet. Desiderabilis est, quia præclarus atque conspicuus est in singulari natiuitate, in viuifica morte, in gloriosa resurrectione, in triumphali ascensione; desiderabilis est, dum loquitur, dum mirabilia operatur.

CAPVT XX.

In Homilia de Natiuitate B. Virg. Mariæ.

Cant. 6. *DEscendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Malum quippe punicum amaro quidem cortice tegitur, sed dulcis in eius granulis suauitas occultatur. Sunt autem nonnulli, qui dum per afflictionis ama-

A ritudinẽ crucem Christi assiduè patiuntur in corpore, per amoris desiderium dulcedine contemplationis intimæ reficiuntur in mente. Mala ergo sponsi vinea germinat; quia tales parere sancta Ecclesia numquam cessat. De hac eadem vinea in eisdem Canticis sponsa ad sponsum loquitur, dicens: *Mane surgamus ad vineam, videamus,* Cant. 7.
si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Huius vineæ ille vindemiator extitit, qui in torculari passionis suæ pressus, mysticos nobis diuini eloquij sensus aperuit, & vino nos Euangelicæ gratiæ propinauit. De quo videlicet vino sponsæ voce ad sponsum iterum dicitur: *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum di-*
B *lecto meo ad potandum.*

CAPVT XXI.

In Sermone de S. Marco Euangelista.

NEscini, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Vox est Synagogæ; quæ Cant. 6.
videns tantam sanctæ Ecclesiæ gratiam esse collatam, dolet se tardiùs recepisse fidem, eò quòd Euangelij non agnouerit veritatem. Aminadab autem abnepos Iudæ fuisse cognoscitur; qui in genealogia Domini cum Patribus numeratur. Interpretatur autem Aminadab, populi mei spontaneus; ideoque non incongruè significat Christum, qui populi sui spon-
C taneus fuit; quia cùm Deus esset, sponte factus est homo, qui enim non necessitate, sed sola bonitate nos condidit, propria nihilominus voluntate redemit. Vnde & Iacobus ait: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Spontaneus ergo Iacob. 1.
factus est populi sui; quia quem à se humana prauitas repulit, sola voluntas diuinæ gratiæ redonauit. Quadriga verò Aminadab, Christi est Euangelium, concordissima quatuor Euangelistarum diuersitate compactum. Quam sane quadrigam Christus auriga disponit, & quadrifidam mundi machinam agillima prædicationis celeritate percurrit, sicut per Psalmistam dicitur: *Qui emittit eloquium suum terræ, ve-* Psal. 147.
D *lociter currit sermo eius.* Videns ergo Synagoga repente gratiam Euangelicæ prædicationis erumpere, cunctasque mundi prouincias agiliter peruolare, subitò turbata conqueritur, quòd sola in sua perfidia, conuersis ad fidem gentibus, deseratur: *Nescini,* inquiens, *turbauit me anima mea propter quadrigas Aminadab.*

CAPVT XXII.

VMbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Vmbilicus autem fragilissima Cant. 7.
pars corporis est. Quid ergo per Ecclesiæ designatur vmbilicum, nisi cœtus infirmorum atque debilium? Quid verò per craterem, nisi prædicatorum intelligimus ordinem? Qui ni-
E mirum mentibus auditorum cœlestis doctrinæ vina propinant, easque poculis sanctæ prædicationis inebriant. Vmbilicus ergo Ecclesiæ crateri meritò comparatur; quia plerumque debilis, & infirmus quilibet vas doctrinæ cœlestis efficitur; qui non indiget poculis, quia cœlestis eloquij non desinit irriguus esse fluentis. Vnde bene crater hic tornatilis dicitur; torno siquidem quis faciliùs operatur. Expeditius enim sæpè, atque inoffensè in sancta prædicatione discurrunt, qui prædicationis gratiam non suo

ſtuaio, ſed diuinitus acceperunt. Hanc prædica- A rionis gratiam viris ſimplicibus, ſine ſanctis mulieribus tribuendam, illa Samſon victoria figurauit, qua videlicet mandibulam aſini ſeruefactus accipiens, mille Philiſtinorum viros occidit. odorem cœleſtis concupiſcentiæ humanatum mentium naribus inſpirare; vt incitatus ad ſequendum, mens noſtra ſibi gratulans dicat: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1.

CAPVT XXIII.

Cant. 4. *COma capitis tui, vt purpura Regis iuncta canalibus.* Sicut per caput intelligimus mentem, ita per comas capitis non inconuenienter accipimus cogitationes. Sicut enim capilli de vertice prodeunt; ita cogitationes ex mente procedunt. Purpureus verò color, quia ſanguinis habet ſpeciem, quid per myſterium, niſi Dominicam innuit paſſionem? Quid verò canales, niſi ſanctorum ſignificant mentes? B Sicut enim in canalibus conchiliorum ſanguis effunditur, vt in purpureum colorem lana vertatur; ſic in ſanctorum mentibus Dominicæ paſſionis cruor aſſidua meditatione recolitur: & ita quodammodo pia quælibet anima ſanguine tingitur, vt æterni Regis purpuram imitetur. Hoc nimirum modo efficimur Saluatnti noſtro conformes, vt ſimus etiam meritò poſtmodum cohæredes.

CAPVT XXIV.

Cant. 7. *QVàm pulchra es, & decora chariſsima in deliciis; ſtatura tua aſsimilata eſt palmæ.* Mens quippe ſancta chariſſima in deliciis dicitur; quia dum perſecutionibus attrita foris affligitur, piis æſtuans deſideriis, ſuauitatis intimæ dulcedine recreatur. Cuius ſtatura palmæ ſimilis dicitur; quia ſicut non vitiorum titillantium flatibus, ita nec perſecutionum quarumlibet terroribus inclinatur. C Dumque eam perſequentium rabies, velut impactis minarum arietibus pulſat, illa fundamento inuictæ fidei conſtanter innixa, recta ſtans & ſupereminens, inſuperabilis perſeuerat. Nequaquam illi ſimilis, cui per Prophetam de malignis ſpiritibus dicitur: Quia, *humiliauerunt te, & dixerunt animæ tuæ: Incuruare vt tranſeam*; ſed illud potius ſeruans, quod filiis Iſraël Dominus ait: *Ego ſum Dominus Deus, qui eripui vos de ergaſtulo Ægyptiorum, vt incederetis recti.* Et quoniam palma ſolet manum ornare victricem, rectè ſancta & inſuperabilis anima palmæ eſſe ſimilis perhibetur; quia per omnem ſui certaminis curſum peractæ victoriæ præmium meditatur; atque idcirco floccipendit omne quod in infimis tolerat; quia erecta velut palma, id quod in cœleſtibus aſpicit, firmiter ſperat. D

Isai. 51.

CAPVT XXV.

In Sermone de Inuentione S. Crucis.

Cant. 5. DIxi, (inquit ad Sponſam Sponſus) *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius; & erunt vbera tua, ſicut botri vineæ; & odores tui, ſicut malorum; guttur tuum, ſicut vinum optimum.* Fructus nempe Crucis omnes electi ſunt. Aſcendit igitur Dominus in palmam, & apprehendit fructus eius; quia mox vt in Cruce pro noſtra ſalute pependit, omnes electos ad ſemetipſum per amoris deſiderium traxit. Et tunc ſancta Eccleſia per duorum Teſtamentorum vbera ſpiritualis cœpit lætitiæ vina diffluere, atque

CAPVT XXVI.

Cant. 2. *SVb arbore malo ſuſcitaui te.* Cùm dilectæ ſuæ Sponſus præmiſiſſet: *Sub arbore malo ſuſcitaui te,* conſequenter adiunxit: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Ac ſi dicat: Quia ego te in tantum dilexi, vt per mortem Crucis te mortuam ſuſcitarem; tu etiam me alterutrum dilige; meque interius non modò cogitationibus, ſed & operibus, veluti integri, atque perfecti amoris ſignaculum pone. Nam arborem malum debemus Dominicam Crucem accipere: cui videlicet arbori ipſum alibi Chriſtum comparat, dicens: *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios.* Cant. 2. Arbor ergo mali crux eſt Chriſti, per quam ſuſcitata eſt anima, à mortis ſcilicet æternæ vinculis abſoluta. *Pone me,* inquit, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Cant. 8. Quid per cor, niſi cogitationem? Quid per brachium, niſi operis debemus intelligere fortitudinem? Chriſtum ergo tamquam ſignaculum cordi noſtro debemus imprimere, vt nulla hæc valeat hoſtilis irruptio violare. Chriſtum etiam operibus noſtris debemus inſculpere, vt per omne quod agimus, Crucifixi nos præceptoris diſcipulos demonſtremus.

CAPVT XXVII.

In Epiſtola ad Blancam; & in Sermone de ſancto Caſsiano.

Cant. 8. *POne me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Sæpè nos ob rei memoriam, quam oblinioni tradere nolumus, digito noſtro, vel brachio ſignum aliquod innodamus: vt dum ſignum frequenter attenditur, res, quam intercidere potuiſſet obliuio, iugiter in memoria teneatur. Quiſquis autem Chriſtum quaſi amat, ſed operari bona diſſimulat, iam quodammodo ſponſum ſuper cor ſignaculum poſuit. Quiſquis verò bonis operibus videtur intentus, ſed à diuini amoris torpet incendio frigidus, iam iſte ſanctitatis imaginem ſuper brachium poſuit, ſed adhuc in corde Chriſti ſignaculum non expreſſit. D Vt ergo ſancta anima Chriſti charactere vtrobique ſignetur, eum in corde ſuo ſignaculum ponat, vt amoris eius facibus medullitus inardeſcat. Ponat etiam conſequenter in brachio, vt piis operibus valenter inſiſtat. Signaculum Paulus in corpore ſuo velut in brachio Ieſum poſuerat, cum dicebat: *Ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto.* Galat. 6. Signaculum ſuper cor poſuerat, cum alibi gratulabundus aiebat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ibid. Cuius ſanè ſtigmata expreſſa gerebat in corpore, eius ſe ſignaculum habere gloriabatur in mente. Porrò autem & ipſe cœleſtis Sponſus electum quemque ſuum ſibi ſignaculum ponit, eumque gratia vice tamquam ne de memoria deleatur, attendit: iuxta quod Zorobabel duci Iudeæ pollicetur, di-

Aggai 2. cens: *In illa die suscipiam te, Zorobabel serue meus. & ponam te sicut signaculum in conspectu meo.* Et contra de quodam reprobo Rege Domioua di- A cit: *Si fuerit Iechonias annulus dexter in manu mea, inde euellam eum.* Hier. 22.

Expliciunt Testimonia de Canticis Canticorum.

Incipiunt Capitula Libri Sapientiæ.

Expliciunt Capitula.

CAPVT I.

In libro Gratissimo.

Sap. 1. BEnignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis suis. Benignus namque Spiritus sanctus congrue dicitur; quia mala merentibus bona retribuit, & dignis supplicio gratiæ suæ nimnus impertit. Quis autem hoc loco maledicti nomine, nisi Redemptor noster debet intelligi, qui vt nos à maledictionis vinculo solueret, ipse non respuit maledictionibus subiacere? Vnde & Paulus dicit: *Christus*, inquit, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum;* Galat. 3. Deut. 21. quia scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.* Benignus ergo Spiritus sanctus non liberauit maledictum à labiis suis; quia cuncta Dominicæ passionis, mortisque supplicia, quæ de Christo per ora Prophetarum antè prædixerat, congruo tempore per exhibitionem operum efficaciter adimpleuit. Tunc enim quodammodo à suis eum labiis liberaret, si quod de illo propheticis enuntiaret oraculis, per rerum ordinem non impleuisset. Vbi notandum quàm profunde, quàm mystice simul congruat Doctoris vtriusque sententia. Quod enim vous dixit: quia spiritus non liberabit maledictum à labiis suis, hoc est, quod alter asseruit, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem; atque vt ostendat vir Sapiens, de quo maledicto loqueretur, præmissa sententia protinus addidit: *Quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ illius auditor.* Quia enim Patris & Filij inseparabilis, & coessentialis est vnitas, renum Filij testis, & cordis eius scrutator iure Pater asseritur: cuius nimirum virtus, & sapientia ipse Filius nulla ab eo creditur inæqualitate diuersus, nulla probatur adiunctione remotus. Linguæ etiam illius auditor est, sicut ipse testatur: *Pater*, inquit, *gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis.* Ioan. 11. Idcirco igitur spiritus non liberauit maledictum à labiis suis; quia Deus testis, atque scrutator est cordis illius, & linguæ auditor. Ac si patenter diceret: Ideo Dei Filius passionis supplicia pertulit; quia ipse Filius, cui cum Patre, & eodem Spiritu sancto vna voluntas, vna est prouidentia, id fieri pro humani generis salute decreuit. De quo nimirum Apostolus: *Qui dilexit me*, inquit, *& tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2.

CAPVT II.

In Sermone secundo de S. Bartholomæo Apostolo.

DVm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo à regalibus sedibus venit. Sap. 18. In aduentu quippe Domini medium silentium omnia continebant, quia iam Prophetæ cessauerant, & nondum Apostoli ad prædicandum nouæ fidei gratiam veniebant. In quodam planè mundus meditullio consistebat, dum & Prophetarum nequaquam oracula superessent, & Apostolica nondum prædicatio coruscaret. Quid autem hîc per nox intelligitur, nisi diabolus, qui auctor est tenebrarum? Qui nimirũ quodammodo tunc ambulat cùm non facilè valet implere quod optat; tunc verò currit, cùm malitiæ suæ vota absque vllo contradictionis obstaculo perficit: & non iam viæ marginem, sed medium iter tenet, dum nihil sibi videt occurrere, quod sui cursus impetum valeat retardare. Cum igitur sub tanti noxia mundus silentio conticesceret, & hæc ad perdendos homines occasio diabolum vocaret, ille non modò medium iter habebat, sed & currebat; quia quidquid nequitiæ suæ mente conceperat, efficaciter adimplebat. Nam & cuncta iam Romanum occupabat Imperium, & necesse erat eos, qui legem Dei eatenos saltem vtcumque tenuerant, iam subesse legibus paganorum. Sub hoc igitur pereuntis mundi silentio sermo Domini à regalibus sedibus venit, quia de pectoribus Apostolicis, quæ Regis æterni veraciter sedes sunt, verbum Euangelicæ prædicationis erupit. Ipsi quippe regales sunt sedes, quas Deus inhabitat: ipsi Reges, & Patres Ecclesiæ; sicut dicitur: *Omnis gloria eius filiæ Regum ab intus.* Psal. 44. Isti sanè Reges armati gladio spiritus, *quod est verbum Dei*, debellarunt principem mundi. De quo nimirum Apostolorum gladio legitur: *Durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans: & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat, stans in terra.* Ephes. 6. Sap. 18.

Expliciunt Testimonia de libro Sapientiæ.

Incipit Capitulum de libro Ecclesiaſtici.

CAPVT I.

In Sermone ſecundo de S. Matthæo Apoſtolo, & Euangeliſta.

Eccli. 24. L*Egem mandauit Moyſes in præceptis iuſtitiarum, & hæreditate domui Iacob, & Iſraël promiſſiones.* Vt autem in his verbis non diutius immoremur, lex iſta, quæ hæreditas promiſſionis dicitur, ſanctum eſt Euangelium: quod quidem antiquis Patribus eſt promiſſum, nobis autem hæreditario iure, Chriſto veniente, collatum; vbi præſtò ſubiungitur:
Ibid. *Poſuit Dauid puero ſuo excitare Regem ex ipſo fortiſſimum in throno honoris ſedentem in ſempiternum. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum, qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Geon in die vindemiæ.* Hæc itaque, fratres mei, tam lucidè, tam apertè de Chriſto, & ſanctis Euangeliſtis dicta A ſunt, vt ad hoc inſinuandum exponi non egeant; ſed dum in ſanctis, ac myſticis verbis vindemiæ nomen auditis: qui ex temporis occaſione terrenas vindemias præ manibus habetis, debetà circumſtantibus ad interiora recurrere, & ſpiritualem vindemiam ſancta veſtra prudentia cogitare. Ait enim in fine ſententiæ: *Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Geon, in die vindemiæ.* Quis eſt ille, qui mittit diſciplinam ſicut lucem, niſi is, qui poſt velatam faciem Moyſi, poſſeſſo tenebris mundo, radiantem B Euangelij ſui ingerit claritatem? Aſſiſtit itaque quaſi Geon, de quo & per Prophetam dicitur: *Dominus Deus noſter fluuius glorioſus exiliens in terram ſitientem.* Quæ eſt autem vinea, cui quaſi Geon aſſiſtit, & prædicationis ſuæ madoribus irrigare non deſinit, niſi illa, de qua per Prophetam dicitur: *Vinea autem Domini Sabaoth domus* Iſai. 5.
Iſraël eſt? Hanc vineam de Ægypto vetuſtæ legis Dominus tranſtulit, & ad terram Euangelij, quæ mel & lac manat, induxit.

Explicit Teſtimonium de libro Eccleſiaſtici.

Incipiunt Capitula de libro Iſaiæ Prophetæ.

1. *DE eo, quod dicitur: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.*
2. *Quòd dies Domini ſit ſuper omnem ſuperbum.*
3. *Quòd Seraphim ſenas alias habentes, volabant ante faciem Dei.*
4. *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus.*
5. *Ponam ſuper his, qui fuerunt de Moab, Leonem; Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.*
6. *Quòd viſio omnium erit, ſicut verba libri ſignati.*
7. *Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtrutiones, quia dedi in deſerto aquas.*
8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, & dabit impium pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua.*
9. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?*
10. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus?*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Teſtimonia.

CAPVT I.

Iſa. 2. E*T conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Impatientibus ſanè correptiones quaſi gladij ſunt; ſed ſi volunt vt hi gladij vertantur in falces, hirſuta vitiorum ſuorum dumeta, quibus horrent, permutantur in meſſes. Vnde Propheta cum præmiſiſſet de Saluatore noſtro: Quia,
Ibid. *Iudicabit gentes, & arguet populos multos*: protinus addidit: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres; & lanceas ſuas in falces.* Nimirum congruus ordo; dum primò quidem peccator arguitur, deinde & gladij in vomeres, & lanceæ conflantur in falces. Nam dū impatiens quiſpiam per diſciplinam mitior factus tamquam planus ager increpationis cultro proſcinditur, deinde ſuaui ſemine ſanctæ prædicationis aſpergitur, & ſic demum fœcunda bonorum operum fruge veſtitur, huic ſcilicet & gladij facti ſunt vomeres, & lanceæ conuertūtur in falces; quia qui reprehendi prius tamquam gladio percuti deputabat, nunc & vomerem ſacræ doctrinæ libenter ſuſtinet, vt fruges fe-

rat, & falcem supernæ messionis expectat, vt A horrei cælestis promptuarium repleat.

CAPVT II.

In Epistola ad Blancam.

Isai. 2. **D***ies Domini super omnem superbum, & excelsum, super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrem excelsam, & super omnem mu-* B *rum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne quod pulchrum visu est.* En rebus insensibilibus dies diuini Iudicij dicitur imminere; sed per figuras rerum ratione carentium, stoliditas intelligitur hominum reproborum. Cedri quippe Libani sublimes & erectæ, potentes sunt huius sæculi, per excellentiam quidem terrenæ sublimitatis elati, sed bonorum operum fructibus infœcundi. Quercus autem fructus quidem proferunt, sed non quibus homo reficitur, sed vnde sues aluntur. Sues autem immundi intelligendi sunt spiritus, qui spurcis sordentium hominum operibus saginantur. Porro montes excelsi, & colles eleuati, superbi quique sunt, quasi per aggestum tumidæ cogitationis in alta porrecti; sed frumento, quo valles abun- C dant, cunctisque spiritualium studiorum frugi- *Isal. 64.* bus alieni. Iam verò turris excelsa, & murus munitus illos insinuat, qui cùm peccatores sint, in quodam se velut innocentiæ arce constituunt, seseque defensionis clypeo contegentes, reprehensorum suorum iacula ad se pertingere non permittunt. Tharsis autem, exploratio gaudij dicitur. Quisquis enim in hoc sæculo, vnde gaudere possit, explorat, huic superueniens dies Domini, quibus perpetualiter amarescat, mœroris atque tristitiæ molestias irrogat. Venit etiam dies Domini, non super omne quod pulchrum est, sed super omne quod visu pulchrum est; quia in die diuini Iudicij pondere premitur, qui intrinsecus quidem vitiorum latenter ingruentium deformitate confunditur; foris autem quadam D adumbratæ virtutis, vel potius honestatis pulchritudine palliatur.

CAPVT III.

Ad Olericum, Episcopum Firminum.

QVæcunque humana mens sano viget fulta consilio, si se subtiliter & solerter inquirit, vix in se suis facultatibus inuenit, vnde meritò sperare præconium possit. Mortalis quippe conditio vndique coarctata atque constricta, quid nouit vnde possit extolli? Quis enim sciat, quid E in æternitate fuerit, antequam Deus hunc conderet mundum? Sed cum ignoret, quid fuerit ante mundi principium, nouit forsitan, quid post eius terminum sit futurum: verum scilicet in ministerio sui cursus vlterius astra deseruiant: & vtrum ne post, ea quæ nunc sunt, alia rursus elementa succedant. Vnde & Seraphim illa, quæ Isaias Propheta in conspectu Domini stare conspexit, senas habuisse describit: *Duabus*, inquit, *Isai. 6.* *velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* Velabant porro faciem, siue pedes, non suos, sed vtique Dei. Et quid per faciem Dei, nisi mundi principium? quid per pedes, nisi eiusdem mundi finis debet intelligi? Alarum ergo Seraphim & plures sunt quæ velant, & paucæ quæ volant; quia ex diuinorum operum celsitudine cùm perpauca ad nostram permittantur aduolare notitiam, plurima in thesauris secretorum cælestium seruantur occulta. Nam quod funditus ignoremus, quid ante mundi principium fuerit, & quid iam post consummationem iam sit futurum, idem perhibet Isaias: *Priora*, inquit, *annuntiate mihi & nouissima, quæ futura sunt, & dicam, quia dij estis.* *Isai. 41.* De medijs autem pauca vtcumque cognoscimus, quæ ex Scripturarum attestatione nobis panduntur. Porro autem & in his ipsis quantam notitiæ patiamur inopiam, qui sapientissimus inter homines extitit, non erubuit confiteri. Ait enim Salomon: *Sunt iusti & sapientes, quorum opera in manu Domini; & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* *Eccli. 9.* Vbi notandum, quia cùm iustos dicat & sapientes, qui nimirum debuerant subtilius nosse, ipsos etiam perhibet, quæ futura sunt, ignorare.

CAPVT IV.

In Epistola ad Hermisindim; quòd ædificium humanæ superbiæ citò destruitur.

C **Q**Vi contempta terrenæ conuersationis, concupiscentiæque structura, spiritualia ædificij fabricam construunt, hi quasi laterca in lapidem vertunt; & non in arena mundanæ spei, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria numquam lapsura constituunt. Vnde per Isaiam dicitur: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.* *Isai. 9.* Lateribus quippe candentibus & lapidibus quadris ædificat, quisquis vitiorum, voluptatumque lasciuiam districtioris vitæ rigore castigat; qui legem carnis lege spiritus superat, qui fortitudinem corporis animi virtute demutat. Vnde rursus per Isaiam dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.* *Isal. 47.* Nam dum non assument, sed mutabunt, dixit, patenter innotuit, aliam esse fortitudinem, quæ deponitur: D aliam, quæ nouiter inchoatur. Hinc electis per Psalmistam dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* *Psal. 30.* Hinc Salomon ait: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* *Cant. 3.*

CAPVT V.

In libro contra Iudaeos.

ISaias perhibens testimonium de Christo: *Pœnam*, inquit, *super his, qui fuerunt de Moab leo-* *Isai. 16.* E *nem, & reliquis terræ. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* De hac enim gente Moabitarum egressus est Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, qui dominatur in orbe terrarum. Nam qui Leo propter fortitudinem dicitur, ipse Agnus propter mansuetudinem perhibetur. Petra autem deserti Ruth intelligitur, quæ deserta prioris morte coniugis, Obeth de Booz genuit; de quorum etiam Christus stirpe descendit.

CAPVT VI.

In Sermone de S. Luca Euangelista.

Isai. 29. ET *erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum; Et respōdet: Non possum: signatus est enim.* Quis enim est liber ille signatus, nisi sanctum Euangelium mysticis figurarum sententiis obuolutum, & ab humanæ mentis intelligentia procul, arcana quadam profunditate, remotum? Hic profectò liber ille est, de quo Ioannes ait: *Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Quæ sunt autem sigilla, quibus liber Euangelicus obsignatus dicitur, nisi septem illa Sacramenta, quibus vtique totus ordo Dominicæ dispensationis impletur? videlicet: Incarnatio Domini, Natiuitas, Passio, Resurrectio, ad cælos Ascensio, deinde Iudicium, postremò Regnum? His itaque sigillis liber Euangelicus ita signatus est, vt nisi eum Christus aperuisset, cuiliber omnino patere non posset. Vnde subiungitur: *Ecce vicit leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.*

Apoc. 5. Ibid.

CAPVT VII.

In eadem Epistola.

Isai. 43. GLorificabit *me bestia agri, dracones & strutiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Quid enim bestia designat agri, nisi gentilitatem vtique rationis expertem? Quid per dracones, nisi malitiosi? Quid verò per strutiones, qui pennati sunt, sed volare nequeunt, nisi hypocritæ figurantur? Hæ ergo bestiæ Deum glorificant, dum Christus gentili populo, qui desertus erat, & inuius, exuberantis Euangelij verba propinat. Scyphus itaque Euangelicæ prædicationis in Benjamin datus est Paulo, vt ipse desertum gentilitatis specialiter excolat, & ariditatem ejus largo sanctæ prædicationis imbre perfundat. De quo scilicet imbre scriptum est: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam.*

Psal. 146.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Albericum Card. de decem quaestionibus.

Isai. 53. ILlud etiam Isaiæ, quod tibi petis exponi: *Propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua;* vt nobis videtur tale est: Pater omnipotens Filium propter populi sui peccata percussit, quia illum, vt nostra peccata deleret, crucis patibulum subire constituit. Ad hoc enim est Filius à
E Patre traditus, vt seruus fieret absolutus; sicut
Rom. 10. & Apostolus: *Qui proprio, inquit, Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad hoc innocens vulneribus est percussus, vt peccator exultet à suorum vulnerum liuore sanatus. Sicut per eumdem Isaiam dicitur: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.* Sed Redemptor noster pro duobus populis, Gentili videlicet, & Iudaico pati dignatus est: quorum alter impius, alter diues meritò dicebatur. Et Gentilis quidem populus impius erat; quia ido-

Isai. 53.

A lis seruiens, pietatem diuini cultus ignorabat. Hæc autem pietas Græce dicitur, θεοσέβεια. Iudaicus verò populus diues extiterat, quia dum Sabbata, Circumcisionem, Neomenias, omnesque cerimonias diuinæ legis accepit, tamquam copiosis thesauri cælestis diuitiis abundauit. Quibus exuberare diuitiis Corinthios iam conuersus Paulus exultabat, cum diceret: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu; quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Saluator ergo noster pro morte, quam in se suscepit, duos de morte resuscitatos Patri populos red-
B didit: Gentilem scilicet, qui dæmonibus olim impiè seruiebat; & Iudaicum, qui quamuis occidentem litteram tenens, & viuificantem spiritum nesciens, diuinæ tamen legis diuitias possidebat.

1. Cor. 1.

CAPVT IX.

In Homilia de Natiuitate S. Mariæ Virginis.

QVis *est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et paulò post: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Indumentum quippe Christi
C nihil est aliud, nisi corpus, quod sumpsit ex Domina & Virgine Maria. Nec tamen aliud est vestimentum eius, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur. De quo vestimento per Ioannem dicitur: *Habebat in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Per femur quippe propagatio carnis fit. Qui ergo per propaginem generis humani in mundum hunc venit ex Virgine, & per incarnationis suæ mysterium, qui Rex esset, & Dominus, cunctis gentibus indicauit, in vestimento, & femore scriptum habuit: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Vnde enim mundo innotuit, ibi scientiam suæ maiestatis inscripsit. Hoc
D autem indumentum, rubrum Prophetæ apparuit, quia Redemptor noster proprium pro redemptione nostra sanguinem fudit. Cui ipse respondit: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Solus enim torcular, in quo calcatus est, calcauit, quia sua potentia eam, quam sustinuit, passionem vicit. Nam qui vsque ad mortem crucis patibulum pertulit, de morte ipsa cum gloria resurrexit. Benè autem dicitur; *Et de gentibus non est vir mecum:* quia ij, pro quibus pati venerat, passionis eius esse participes debebant; qui pro eo, quòd necdum crediderant, de ipsis in resurrectione conquerebatur, quorum vita in eius morte quærebatur.

Isai. 63. Apoc. 19. Isai. 63.

CAPVT X.

In Epistola ad Cunibertum, Episcopum Taurinensem, de incontinentia Clericorum.

IN Pastoribus quidem inutilis esse castitas iure decernitur, quæ se sic exhibet sterilem, vt aliam non pariat castitatem. Præsertim cùm ipse Deus omnipotens per Isaiam: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* Vbi notandum, quia dum non alias, sed alios parere facio, dicat, virorum potius, ac pastorum Ecclesiæ foetus expe-

Isai. 64.

Idem. 23. ctat. Malus autem Pastor cum eodem Propheta potest lugendo cantare: *Non parturivi, &* A *non peperi, & non enutrivi iuvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*

Expliciunt Testimonia Isaiæ.

Incipiunt Capitula Hieremiæ.

1. *DE occisione, quam Dominus minatur Hierusalem, quia dereliquerunt eum.*
2. *Præcepit Dominus Hieremiæ, ut vadat ad Euphratem, & abscondat ibi in foramine petræ lumbare, quo erat præcinctus.*
3. *De eo, quod dicitur: Quod perdix fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in iudicio, in dimidio dierum suorum relinquet eas.*
4. *Quòd Dominus ait per Hieremiam: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus; & quasi malleus conterens petram?*
5. *Quòd intentat Dominus habitatoribus Hierusalem gladium, & famem, & pestem: eo quòd non audierint Prophetas quos miserat ad eos.*
6. *Quòd dum Hieremias de puteo in quem proiectus fuerat, levatur, funes & veteres pannos ad eum deponunt.*
7. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.*
8. *Inebriavit me absinthio.*
9. *Ex ore Altissimi non exierunt nec bona, nec mala.*
10. *Filij Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, viam sapientiæ.*

Expliciunt Capitula Hieremiæ.

Incipiunt Testimonia.

CAPUT I.

A

In Epistola ad P. Archipresbyterum; ubi loquitur de anima egressione à corpore.

Hier. 1. ECce ego convocabo omnes cognationes Regnorum Aquilonis, ait Dominus; & venient, & ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super universas urbes Iuda; & loquar iudicia mea cum eis super omni malitia eorum, qui dereliquerunt me. Quæ profectò verba, si præter illos terrenæ Hierusalem cives ad alios non respicerent, nequaquam hodie in sancta Ecclesia resonarent. Quæ sunt igitur illæ cognationes Regnorum Aquilonis, B nisi malignorum spirituum multitudines, in frigidis adeo mentibus superbè regnantes? Hi solium suum unusquisque in introitu portarum Hierusalem ponunt, cùm egredientem de corpore infelicem animam, circumposita, ne libera prodeat, obsidione custodiunt, ut eam secum nunc ad ignis supplicium pertrahant, in cuius antea frigida mente regnabant. O quàm luctuosa, quàm lugubris est sera, & infructuosa illa pœnitentia, cùm peccatrix anima iam incipiens carnis carcere, quo inclusa tenebatur, absolui; C respicit post se, dirigit oculos ante se. Videt post se velut angustissimum atque brevissimum stadium vitæ mortalis emensum: videt ante se interminabilium longitudinem sæculorum. Perpendit quasi momentum temporis celeriter advolasse, quod vixit: contemplatur infinitam prolixitatem temporum instare, quam incipit. Id enim brevissimum, quod est, velut in puncto transcurrit: huic autem viæ, quam nunc ingreditur, nullus omnino finis occurrit.

CAPUT II.

In Epistola ad P. Archipresbyterum, de incontinentia Clericorum.

VAde, inquit Dominus ad Hieremiam, *& posside tibi lumbar lineum, & pones illud super lumbos tuos.* De quo & paulò post: *Surgens,* inquit, *vade ad Euphratem, & absconde illud ibi in foramine petræ.* Hier. 13. Quod enim fecisset, & in Euphrate, sicut iussus fuerat, abscondisset, post plurimos dies ait Dominus ad eum; *Surge, & vade ad Euphratem, & tolle inde lumbar. Et abij,* inquit, *ad Euphratem, & tuli lumbar de loco ubi absconderam illud; & ecce computruerat, ita ut nulli usui aptum esset.* Et ait Dominus: *Sic putrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Hierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in pravitate cordis sui; & erunt sicut lumbar istud, quod nulli usui aptum est.* Quid hic Hieremiæ persona, nisi Dominum? Quid lumbar nisi ordinem significat, Clericorum? Omnis Ecclesia vestis est Christi, de cuius sibi membris per Prophetam dicitur: *Omnibus his velut ornamento vestieris.* Isai. 43. Sed sicut lumbar intimum est humano corpori, & arctiùs adhæret, quàm reliquæ vestes; ita Clericalis ordo familiariùs divinis agglutinatur obsequiis, quàm cæteri homines; sicut illic de Israëlitico populo divina vox ait: *Sicut enim adhæret lumbar ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iuda, ut esset mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam; & non audierunt.* Quibus quæso tam aptè, tam expressè, sicut Clericis possunt ista congruere, qui nomen Dei, laudem, & gloriam specialiter constituti sunt prædicare? Sicut enim Israël, & Iuda peculiaris erat populus Deo inter omnes gentes terræ; ita nunc Clerici

specialiter adhærent Christo præ cunctis membris Ecclesiæ. Isti nempe sunt lumbare lineum A arctiori diuino corpori familiaritate connexum. Linum siquidem laboriosè peruenit ad candorem: & Clerici modò litterarum studijs insudando, modò per interualla temporum quibusdam gradibus ascendendo, difficilè promouentur ad sacri ordinis dignitatem; alioquin si quis contentiosiùs astruat hoc iuxta Scripturæ seriem historialiter factum, nec spiritualiter intelligendum: quomodo Hieremias potuit inter innumerabiles Assyriorum, Chaldæorumque nationes vrbem Hierusalem constipatis agminibus obsidentes, lumbari præcinctus exire, idque in Euphrate, qui tam longè decurrit, abscondere: Postmodum quoque profligato diuturni temporis B cursu, quo pacto quasi securiùs rediit, illudque putrefactum, sicut Scriptura testatur, inuenit, cùm Hierusalem videlicet fossa, vallo, castellis, & tam crebra vndique esset munitione circumdata? Nam cùm aliquando idem Propheta ad Hier. 37. Anathoth vicum suum in tertio milliario ab vrbe situm conaretur exire, in porta protinus capitur, ad Principes trahitur, grauiter verberatur, & tanquam transfuga, siue patriæ proditor, in carcerem truditur. Quia ergo non consequitur, vt intelligitur, historialiter factum, constat proculdubio, typicæ figuræ non deesse mysterium. Benè ergo per lumbare lineum, iuxta hæc quæ superiùs dicta sunt, clerus exprimitur Clericorum. Quod autem hoc lumbare in Euphrate, hoc C est, in quo loco, & in foramine petræ, id est, in obscuritate atque vmbra poni iubetur, quid per hoc exprimitur, nisi illa Clericorum pars, quæ sub voluptatis vmbra, & in fluxu luxuriæ commoratur? De quorum duce in libro Iob Iob. 40. Dominus dicit: *Sub vmbra dormit, in secreto calami, & locis humentibus.* Protegunt vmbræ vmbram eius, circundant eum salices torrentis; atque vt ostendat quantum cum suis familiaribus in habitatione fluminis delectetur, protinus addidit: *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur;* habet enim fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. Quod autem dicitur, fuisse positum in foramine petræ, potest non inconuenienter intel- D ligi intra septa Ecclesiæ. Quasi enim in foramine petræ Clerici recluduntur, dum intra Ecclesiæ limina seu excubare ministeriis sedula frequentare iubentur. Lumbare ergo in humenti loco positum putruit; quia de his, qui in luxuriæ fluxibus immorantur, Propheta testatur: Ioel. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Iumenta quippe in stercore suo computrescunt, dum quippe carnales, ac sordidi vitam suam in luxuriæ fœtore concludunt. Nulli enim vsui aptum repertum est; Luc. 9. quia & Dominus ait: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Ac si apertè dicat: Quisquis dictante sui ordinis regula, pudicitiæ famal arripit stiuam, si postmodum par ardorem libidinis oculos reflectit ad E Sodomam; quia iam montana desperat, regno Dei se prorsus inutilem factum esse demonstrat. Ad instar ergo lumbaris in humecto loco positi Clerici computrescunt, dum humidos crapula, & ebrietate ventres ingurgitant, dum illuuie se libidinis, & cœnosæ luxuriæ fluentis inundant: sicque cunctis vsibus redduntur inutiles; quia quò magis videntur in carne virescere, eò deteriùs marcescentes obsolescunt in squalentis animæ Psal. 13. fœditate. De quibus in Psalmo: *Corrupti sunt, inquit, & abominabiles facti sunt in voluptatib⁹ suis.*

CAPVT III.

In Epistola ad P. Abbatem.

Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum suorum relinquet eas, Hier. 17. *& in nouissimo suo erit insipiens.* Nempe saluo eo, vt de his, qui alienos furantur alumnos, hoc possit intelligi, videtur tamen de totius auctore nequitiæ principaliter dici. Diabolus enim tanquam doctor in cathedra pestilentiæ super homines sibi magisterium vsurpauit, quos ipse non condidit, & errorem eos docendo quasi fouit, quos creando non peperit. Fecit itaque diuitias, & non B in iudicio; quia dum rebus alieni iuris ditescere voluit, æquitatis iudicium temerauit; sed in dimidio dierum suorum relinquet eos. Diabolus enim quasi adhuc viuit, dum eum vltimi iudicij gladius nondum transfodit. Nondum itaque mortuus suas diuitias iam relinquit; quoniam ad Creatorem suum, genus humanum ex maxima parte iam rediit. In nouissimo autem suo erit insipiens; quem sicut Apostolus ait: *Dominus Iesus* 2. Thess. 2. *interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Et Propheta: *Spiritu,* inquit, *labiorum* Isai. 11. *suorum interficiet impium.* Homo igitur magistrum deserit abusiuum, & redit ad proprium, cùm nouum damnat errorem, & ad suæ reuertitur conditionis originem. Vnde illic aptè subiungitur: C *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctifica-* Hier. 17. *tionis nostræ, expectatio Israël.* Deus itaque, qui est principium gloriæ, ipse est expectatio Israël; quoniam à quo genus humanum prodiit, per conditionis reuertitur sacramentum. Qui ergo sedebat in solio gloriæ altitudinis à principio, & hominem adocabat, ipse est expectatio Israël, vt in loco sanctificationis nostræ, id est, in sancta Ecclesia eundem hominem iterum doceat. Vnde per Psalmistam dicitur: *Reminiscentur, & conuer-* Psal. 21. *tentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.* Quisquis ergo alienum tollit violata fide discipulum, Antichristi proculdubio imitatur exemplum. Et si- D cut ille, quod alienum est, more perdicis, amittit; sic iste, quod vsurpatum est, æquitatis interueniente iudicio non tenebit.

CAPVT IV.

In Epistola ad Cardinales Episcopos.

NOn sufficit, cùm à diabolo raptus, ad Deum quisquam pia deuotione conuertitur, nisi mox etiam à status sui duritia, quasi crebro sanctæ prædicationis malleo conteratur. Vnde per Hieremiam: *Numquid non verba mea sunt quasi* Hier. 23. *ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens pe-* E *tram?* Verba quippe Domini quasi ignis sunt, quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt; malleus autem sunt, quoniam obstinationis & peruicaciæ duritiam molliunt.

CAPVT V.

In Epistola ad P. Archypresbyterum, super egressione animæ de corpore.

ECce, *ait Dominus, mittam in eos,* (in ciues videlicet Hierusalem) *gladium, & famem & pestem,* Hier. 29. *& erunt in maledictionem, & stuporem, & in sibilum, & in opprobrium.* Cur sit hoc factum, aperit, cum

subiungit: *Eò quòd non audierint*, inquit, *verba mea, quæ misi ad eos per seruos meos Prophetas, de nocte consurgens, & mittens.* Quod autem dicit, de nocte consurgens mittendi sollicitudinem indicat, & velocitatem, vt non in verbi prædicatoribus, sed in auditoribus potius torpor desidiæ valeat inueniri. Cum itaque Deus omnipotens humano more hominibus loquens, de nocte consurrexisse se, ac per hoc quasi somnum se interrupisse conqueritur; quod nobis opprobrium valet obiicere, si nobis in vltimo necessitatis periculo constitutis velut hæc permeritò responderet: Ego propter vos; cum essem Creator, factus sum creatura; ego propter vos irrisiones, & opprobria pertuli; Crucem subij, & cuncta, quæ vobis debebantur, tormenta percurri: Vos tamen me non audistis, & legis meæ cæremonias, & mandata spreuistis. Porrò si illis improperabat seruos a se missos, quantò terribiliùs nobis improperabit semetipsum? Si illis somnum improperabat interruptum, quantò magis nobis valet obiicere, se pro nobis mortuum, ac sepultum? Non liberat Deus Iudæos vallantium hostium obsidione conclusos, quia destinatos ad se famulos contempserunt: & quomodo Christianos audiet, qui missa per filium Euangelica præcepta spreuerunt? Nam qui non audit Deum, non auditur à Deo. Vnum est quod mens cuiusque fidelis debet assiduè, & solerter attendere, & intra semetipsum sollicita semper inquisitione versare: scilicet vtrum placeat Deo, quod egit: & an in eius vita Deus, vel operibus delectetur. Quid enim prodest quicquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Sic de Dauid dicitur: *Quæsiuit sibi Deus virum iuxta cor suum.* (1. Reg. 16. & Act. 13.) Nam si nunc Conditor non delectatur in homine; homo postmodum delectari non poterit in Conditore. Vnde legitur in vita Patrum: Quia cùm falsus quidam famosus, & magni nominis solitarius propinquaret ad exitum; tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneum in manibus attulit; & ecce vox ad eum facta est: Sicut, inquit, anima ista vel vna hora me in se requiescere non permisit, sic neq; tu misereatis, euellens eam: Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, & animã eius, sicut erat iussus, euulsit.

CAPVT VI.

In Epistola ad fratres Sauuicini, vbi ad patientiam prouocat.

DVo sunt, quæ si vigilantes attendimus, facilè violentosum quorumlibet insolentias, iniuriatumque molestias superamus: præcepta videlicet, & exempla. Quia & Scripturæ sanctæ nos ad pœnitentiam cohortantur; & electi quique quicquid à furiosis diaboli membris inferri potuit, æquanimiter pertulerunt. Nam quod diuinis admonitionibus, & præcedentium exemplis adiuti, de profundo nobis illatæ tribulationis eripimur, rectè Hieremia Propheta de puteo prodeunte, signatur: (Hier. 38.) *Praiecerant* quippe *eum*, sicut Scriptura testatur, *in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum; qui postmodum, vt leuetur, funes ad eum, & panni veteres deponuntur.* Quid enim funibus, nisi præcepta Dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos, & conuinciunt, & eripiunt, quasi ligant & trahunt, coarctant & leuant; sed ne ligatus his funibus dum trahitur, incidatur, simul etiam veteres panni deponũtur; quia ne diuina præcepta nos terreant, antiquorum Patrum nos exempla confortant, vt ex eorum nos comparatione facere præsumamus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo nos de hoc profundo tribulantis vitæ leuari festinamus, ligemur funibus, id est, præceptis Dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, id est, præcedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos, ac timidos præcepta subtilia vulnerent, dum leuant. Quasi quosdam pannos veteres Paulus Apostolus subiungebat, cum ad subleuandos discipulos præceptis suis spiritualibus exempla veterum commendaret, dicens: *Iusti ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* (Hebr. 11.) Et paulò post: *Habentes itaque tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* (Hebr. 12.) Et iterum: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* (Hebr. 13.) Sepesiùs videlicet dum spiritualia præcepta loqueretur, quasi funea mittebat; postmodum verò memorans exempla maiorum, quasi veteres pannos adhibebat. Enimverò seruus Dei tunc debet timere, cùm temporale quid percipit, tunc gaudere cum perdit: quia cui propositum est cælestia scandere, expeditiùs procul dubio vacuus, quàm graditur onustus.

CAPVT VII.

In Epistola ad N. Papam, super incontinentiâ Clericorum.

SIcut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt: ita nihilominus maledictioni obnoxij sunt, qui peccantibus blandiuntur, sicut per Prophetam dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* (Hier. 48.) A sanguine quippe gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis dignæ sententiæ animaduersione coercet. Facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare. Vnde & præfato Heli vir Dei, qui & Phinees fuisse putatur, ait: *Hæc dicit Dominus: Quare calce abiicitis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo, & magis honorasti filios tuos quàm me?* (1. Reg. 2.) Si ergo Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea, qua digni erant, inuectione corripuit, cum eis simul & cum tot hominum multitudine periit, qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica, & soliis iudicantium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent? Qui dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis diuinæ legis mandata confundunt.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Hermisindem.

I*Nebriauit me absynthio.* (Thren. 3.) Ebrius quippe, quod tolerat, velut arreptitius penè, vel mente captus ignorat. Quilibet ergo peruersus dum mundi lucra phreneticè concupiscit, qui tot laboribus premitur, ea quæ patitur mala non sentit, quoniam ad cuncta delectabiliter ducitur, In quibus pœnaliter fatigatur.

CAPVT IX.

In Epistola ad Albericum Card. super decem quæstiunculis.

Thren.8. POstremò, quod quæris, illud Hieremiæ Prophetæ quid sit: *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala*; famosa quæstio est penè totius Apoc. 5. Ecclesiæ. A plurimis enim quæritur, & celebris currit per ora multorum. Sed eo largiente, *qui aperit librum, & soluit signacula eius*, hæc facile quæstio soluitur, si non ex nobis, sed ex illo confidentia præsumatur. Omnipotens Pater & innocentem filium impiorum manibus tradidit, & B tamen à recto iustitiæ tramite non recessit; quoniam inde iustitiam reflorere constituit, vnde illum ad tempus iniustitiæ subiacere permisit. Sicut Sap.12. in libro Sapientiæ legitur: *Cùm sis, inquit, iustus omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas*. Pater itaque filium mortem subire permisit, veruntamen vt eum perimerent, peremptoribus non præcepit; alioquin inculpabiles extitissent, dum ministerium impietatis adscriberent pietatis auctori. Potestatem C ergo Deus Christi persecutoribus præbuit, sed vt eum persequentes occiderent non mandauit. Vnde illic præmittit Propheta dicens: *Vt peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit*. Peruerteret quippe Dominus in iudicio hominem, si condemnari præciperet innocentem. Sed aliud est condemnare, aliud à condemnationis supplicio non eripere, aliud in conatus sacrilegos furentes impellere, aliud nequaquam accepti furoris insaniam refrænare. D Vnde illic non ignorando, sed reprobando subiungitur: *Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente?* Domino dicit non iubente, non tamen prohibente. Non ergo persecutoribus Deus, vt Saluatorem nostrum crucifigerent, iussit; quia nihil in eo, quod puniendum esset, inuenit: non tamen ne crucifigeretur inhibuit, A quia pro mundi salute passurum, nullatenus eum ex impiorum manibus liberauit. Vnde benè mox additur: *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala*. Bona quippe procederent, si eum de supplicio, quod irrogabatur, eriperet; mala verò, si crimen in eo, quo suppliciis adiudicandus fuerit, reperiret. In passione ergo Christi, ex ore Altissimi nec bona egrediuntur, nec mala; quia Pater eum nec ex potestate liberat, nec ex legis æquitate condemnat; quia licet non reperiat peccatorem, pro salute tamen mundi in passione positum non eripit innocentem; nullis videt peccatis obnoxium, nec B tamen reddit impiorum manibus absolutum: vt dum subit innocens pœnam, qui peccator est, reuertatur ad veniam; & dum vnus, qui non debet, soluit omnium debita, omnes qui sub originali vetustæ cautionis fœnore tenebantur astricti, rescissi chirographi reddantur legibus absoluti.

CAPVT X.

In Epistola ad Bonifacium; vt exteriori prudentiæ spiritualis sapientia præferatur.

C SIcut cælestis sapientia cælestes facit, & legitimos Ecclesiæ filios: ita terrena prudentia terrenos reddit, & spurios. De quibus per Baruch dicitur: *Filij quoque Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est; negotiatores terræ, &* Baruch.3. *Theman, & fabellatores, & exquisitores prudentiæ, viam sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum eius*. Sæcularem ergo prudentiam assequi D cupientes, & spiritualem sapientiam contemnentes, filij sunt Agar, non Saræ: & mamzeres facti Israëlitæ, iure censendi sunt non Israëlitæ. Et quoniam Agar, aduena interpretatur, ij non sunt sapientiæ filij, sed aduenæ, & peregrini. Nec ex illis sunt, quibus aiebat Apostolus: *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei.* Ephes.2.

Expliciunt Testimonia ex Hieremia.

Incipiunt Capitula de Libris Prophetarum.

1. *QVòd domus Israël versa est mihi in scoriam.*
2. *Ibi Assur, & sepulchra eius.*
3. *Quòd terra vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ.*
4. *Quòd iudicium sedit, & libri aperti sunt.*
5. *Quòd odio habuerunt in porta corripientem.*
6. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*
7. *Quòd Domini sunt cardines terræ.*
8. *Quòd Iesus indutus erat sordidis vestibus.*
9. *De lapide qui habet septem oculos.*
10. *De quadrigis Euangelistarum.*

Expliciunt Capitula.

Incipiunt Testimonia de Libris Prophetarum.

CAPVT I.

In Epistola ad V. Episcopum.

Ezech. 22. O*Mnis domus Israël mihi versa est in scoriam.* Tunc enim domus Israël in scoriam vertitur, cùm diuina peccatorum animaduersione percussus, vel in desperationis voraginem labitur, vel contra iustè sæuientis imperium per impatientiam effertur. At contrà, quasi manente metallo scoria sub diuinis percussionibus auolat, cùm quilibet pœnitens superno verbere vapulans, & inhorrescentium à se vitiorum rubiginem proijcit, & reflorescentium candore virtutum, ac resplendentis vitæ nitore clarescit.

CAPVT II.

In Sermone de S. Stephano Papa, & Martyre.

Ezech. 32. I*Bi Assur, & sepulchra eius.* Quid enim per Assur, superbum videlicet Regem, nisi diabolus intelligitur; *Qui*, iuxta quod scriptum est, *ipse est*
Iob. 41. *Rex super omnes filios superbiæ*? Quid sepulchra, nisi mortuorum sunt habitacula? Tunc autem diabolus in mortem corruit, cum ab auctore vitæ superbiendo recessit. Quisquis ergo nequitiæ spiritum, qui verè mortuus est, in sui cordis hospitio per prauam voluntatem habitare permittit, proculdubio de semetipso sepulchrum facit. Et necesse est, vt cum ipso simul illic tormentorum supplicia perferat, cui semetipsum hic habi- C taculum per nequitiam peruersi operis exhibebat.

CAPVT III.

In Sermone primo Synodali.

Ezech. 21. T*Erra vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ* Ait
2. Cor. 3. Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Huius autem templi fenestræ, Sacerdotes sunt, qui fidelium populo lumen sanctæ prædicationis infundunt. Sed cùm terra vsque ad fenestras aggeritur, clausis fenestris templum continuò tenebratur; & cùm terrena negotia Sacerdotes implicant, quasi fenestræ clausæ, templum, quod amittit lumen, obscuratur. Nos ergo, necesse est, in quantum possumus, ab actibus vacare terrenis, vt sacris iugiter inuigilemus eloquiis. Sicut Sponsa dicit in Canticis: *Oculi*
Cant. 5. *tui sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.*

CAPVT IV.

In Epistola ad Blancam.

Daniel. 7. I*Vdicium sedit, & libri aperti sunt.* Qui nimirum libri ipsi intelligendi sunt sancti; quorum nunc meritum ab eis per custodiam humilitatis absconditur; & tamquam volumen codicis, ne legatur, inuoluitur. Tunc autem ad eorum gloriam, vniuersorum oculis aperitur; vt in eis præuaricatores tamquam per digestæ scriptionis articulum legant diuinæ legis mandata, quæ dum aduiuerent, seruare contempserant. Illic iam compelluntur & legere, qui hic per arrogá-

A tiæ fastum verba Dei dedignabantur audire. Illic iugum Domini leue, & onus eius suaue mitibus, & patientibus fuisse considerant, quod hîc Matth. 11.
superbiæ suæ ceruicibus intolerabile iudicabant. Illic superbum omne confunditur, & quicquid eleuatum fuerat, sub tantæ maiestatis indignatione curuatur. Vnde per Isaiam dicitur: *Oculi sublimis hominis humiliati sunt, &* Isai. 2.
incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa; quia dies Domini super omnem superbum, & excelsum; super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes colles eleuatos, & super omnem B *turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est; & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur; & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.*

CAPVT V.

In Epistola ad Honestum.

O*Dio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.* Quibus & paulò Amos 5.
post ait: *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis.* In porta quippe corripit, qui C ad hoc reprehensibilem quemque castigat, vt eum ad reditum patriæ cœlestis impellat. Sed is, qui corripientem odit, in domo à se ædificata non habitat; quia licet ædificium posuerit boni operis, in ea tamen non merebitur habitare, quia per correptionis portam dedignatus est introire; & qui noluit per angusti aditus asperitatem ingredi, interioris atrij non poterit amœnitate potiri.

CAPVT VI.

In Homilia de Natiuitate B. Mariæ Virg.

A*Dhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Iona 3.
Quod quia tunc non legitur historialiter factum, exspectatur adhuc spiritualiter adimplendum. Per Niniuen quippe mundus iste designatur; per quadraginta verò dies, omnis status D vitæ præsentis innuitur. Post quadraginta ergo dies Niniue subuertetur; quia post huius mortalis vitæ decursum, completo videlicet electorum numero, mundus iste destruetur.

CAPVT VII.

In Sermone I. de S. Matthæo Apostolo & Euang.

D*Omini sunt cardines terræ, & posuit super eos* 1. Reg. 2.
orbem. Orbis enim super terræ cardines ponitur, cùm sancta Ecclesia, tamquam super bases doctrinis Euangelicis solidatur. De qua & alibi dicitur: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Qui Psal. 86.
enim illic cardines, hîc appellati sunt montes.

Euangelistarum planè numero congruit, & mūdi situs, & temporum cursus; quia & quatuor mundi partes, & totidem sunt temporum diuersitates. A Non ergo mirum, si spiritualis mundus visibili huic conferatur; dum nonnullas inuicem habere similitudines vterque dignoscitur.

CAPVT VIII.

In Epistola ad Mainardum, Abbatem.

Zach. 13. *IEsus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli: Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo: Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis; Et dixit: Ponite cidarim* B *mundam super caput eius.* Quid enim per Iesum, Sacerdotem videlicet magnum, nisi mediator Dei, & hominum debet intelligi? Planè sicut per Zorobabel filium Salathiel, qui de Regali Iudæ stirpe processerat, & Iesum filium Iosedech, qui ius sacerdotalis administrabat officij, Israëliticus populus per septuaginta annos iugum Babylonicæ captiuitatis euasit, templumque Hierusalem, quod dirutum fuerat, rediuiua nouitate construxit; ita numerus electorum post huius vitæ tempora, quæ septenaria dierum repetitione decurrunt, per Iesum Christum, qui verus Rex est, & Sacerdos, de seruitute huius mortalitatis eripitur; & in cælesti Hierusalem templum Dei, quod est sancta Ecclesia, renouatur. C De qua nimirum seruitute dicit Apostolus: Rom. 8. Nam *& ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Tunc itaque Iesus in corpore suo, quod est Ecclesia, sordida vestimenta deponit, tunc honoris, ac gloriæ tegimen assumit, quia omnis electorum chorus à lugubri squalore temporalis tristitiæ liberatur, & immortalitatis stola in illo splendore sempiternæ felicitatis induitur. Quod etiam in Psalmo dedicandæ domus apertissimè canit Psal. 29. Ecclesia: *Conuertisti,* inquit, *planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia; vt cantem tibi gloria mea, & non compungar.* Cidaris etiam munda in eius capite ponitur, quia felicitatis æternæ gloria coronatur.

CAPVT IX.

In Epistola ad Cardinales Episcopos; de dignitate Romanæ Ecclesiæ.

Zach. 3. *ECce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt.* Lapis autem iste, illa proculdubio petra est, de qua verus Iesus Petro Matth. 16. pollicetur, dicens: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Septem igitur oculos habet hæc petra; quia totidem sancti Spiritus donis sancta præfulget Ecclesia: quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans, ignorantiæ tenebras effugat, & ad contemplan- E dum iustitiæ Solem, hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta: Zach. 4. *Vidi,* ait, *& ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud.* Quod vtique sacramentum & B. Ioannes in Apocalypsi se didicisse non tacuit, cui dictum est: Apoc. 1. *Mysterium septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea.* Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

CAPVT X.

In Sermone II. de S. Matthæo Apost. & Euang.

POrrò quadrigæ illæ, quas Zacharias Propheta designat, cum dicit: Zach. 6. *Et conuersus sum, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & erant montes ærei.* De quibus & paulò post dicit: *Isti sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terræ.* Et notandum quia non vna quatuor Euangelistarum quadriga dicitur; sed vnusquisque eorum quadriga vocatur, quia & vnus in quatuor, & quatuor sunt in vno; dum per eiusdem fidei intentionem, quod scribitur à singulis, reperitur B in cunctis; & quod dicitur ab vniuersis, inuenitur in singulis. Duo verò montes ærei, de quorum medio dicuntur egressi, duo sunt Testamenta, quæ ad instar æris durabilia sunt, & sonora, quia vsque ad finem sæculi non inueniunt terminum, & per omnia mundi spatia dant tinnitum. Psal. 18. *In omnem* enim *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Qui & venti esse referuntur, quia de his scriptum est: Ezech. 1. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Qui etiam egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terræ; quia quod sancti Prædicatores ex fidelium fructificatione proficiunt, non sibi tribuunt, sed auctori, à quo eorum omnia lucra procedunt. De quibus ad B. Iob dicitur: Iob. 38. *Numquid immittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus?* C

Expliciunt Testimonia de libris Prophetarum.

Incipiunt Testimonia de libro Machabæorum.

CAPVT I.

CVm in Persidem (inquit Scriptura) *ducerentur Patres nostri, Sacerdotes qui tunc Dei cultores erant, accepeum ignem de altari, occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt eum; ita vt omnibus ignotus esset lo-* 2. Machab. 1. D *cus: Cum præteriissent autem multi anni, placuit Domino vt mitteretur Neemias à Rege Persidis. Hic nisi nepotem Sacerdotum illorum, qui absconderant, ad requirendum ignem; &, sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* In quibus omnibus verbis illud vnum specialiter attendendum est, quòd in alto, & sicco vallis puteo priùs ignis absconditur, & postmodum non ignis, sed aqua crassa à requirentibus inuenitur. Mens quippe sincera, atque perfecta Domini intentione quærentis, non incongruè per puteum vallis altum designatur, & siccum; quæ nimirum, & à fluidis illecebrarum carnalium voluptatibus arida, & terrenæ concupiscentiæ ruderibus altè defossa, & in veræ humilitatis est E conualle fundata. Huic itaque puteo sacrificij ignis immittitur, cum in electi cuiuslibet mente diuini amoris flamma concipitur, atque ad cæleste desiderium priùs animus inflammatur. Sed hic ignis in aquam vertitur, quia ex igne diuini amoris lacrymarum compunctio generatur. Et notandum, quòd non pura duntaxat aqua, sed crassa aqua narratur illic fuisse reperta. Quid enim crassa est aqua, nisi lacrymarum compunctio diuinæ gratiæ pinguedine saginata?

Quia

ta: Qua videlicet saginari pinguedine æstuabat A
Psal. 62. Propheta, cùm diceret: *Sicut adipe pinguedine repleatur anima mea.* Et per alium Prophetam
Isai. 55. hæc eadem permittitur crassitudo, cùm ait: *Delectabitur in crassitudine anima vestra.* Nec prætereundum, quòd abscondentes huncignem, contutati quidem fuisse, non autem funditus extinxisse referuntur. Quia nimirum ignis diuini amoris, quem in anima nostri cordis accendimus, vt ex aromatibus bonorum operum suaue Deo sacrificium offeramus, in ipso nostræ conuersationis initio totus quidem debet occultè semper ardere, non autem foras se per vanæ gloriæ flammas expandere. Contutatur ergo sopitis flammis, non autem vi priuatur ardo- B ris; vt non prorsus intereat, sed sese postmodum mirabiliter ignis in aquam vertat. Hæc porro aqua, compunctio videlicet lacrymarum, non solùm à peccatorum nos contagione purificat, sed etiam, vt placeant ipsa Deo bona nostra, commendat. Omne namque operum sacrificium in conspectu superni Iudicis suauius redditur, si contritæ mentis lacrymis aspergatur. Vnde illic aptè subiungitur: *Et sacrificia,* inquit, *quæ imposita erant, iussit sacerdos Neemias aspergi aqua ipsa, & ligna quæ erant superposita.* Protinus historiæ series addidit: *Hoc vt factum est, tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo; & accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.* Au- C diuimus antea, quia aqua pro igne reperta est; nunc è contrario dicitur, quia per aspersionem aquæ, ignis magnus accensus est. Ergo & ex igne aqua nascitur, & ex aqua ignis inuicem procreatur. Quia videlicet & ex igne diuini amoris gratia compunctionis oritur, & rursus ex compunctione lacrymarum desiderij cælestis ardor augetur. Alterum siquidem pendet ex altero, & sibimet vtrumque inuicem præstat; dum & ex amore Dei lacrymarum compunctio profluit; & rursus per lacrymas ad amorem Dei mens nostra feruentiùs inardescit. In qua autem mente huius alternitatis reciproca varietas agitur, ab omni proculdubio reatus sui squalore purgatur. Vnde illic non incongruè postremò subiungitur: *Appellauit autem Neemias hunc locum, Nephar, quod interpretatur, purificatio.* Locus itaque noster, vbi sacrificium offertur, vbi aquæ, necnon & ignis, vt dictum est, varietas alternatur, fidelis est anima; quæ profectò non incongruè purificatio dicitur; quia dum nunc superni amoris igne decoquitur, nunc côtriti cordis fletibus inundatur, & velut secundi baptismi fluentis abluitur. Has autem successionum alternantium vicissitudines, & mutatio-
Isai. 58. num spiritualium varietates Isaias profundè perspexerat, cùm dicebat: *Orietur,* inquit, *in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus semper, & implebit splendoribus ossa tua, & animam tuam liberabit.* Ecce ignis in puteo absconditus. Sed audi, ignis hic quomodo vertatur in aquam, protinus subdit: *Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Postremò vt noueris, quia hæc rursus aqua in ignem conuertitur, & per lacrymarum gratiam diuini amoris ardor feruentiùs excitatur, paulò inferiùs addidit: *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ.*

CAPVT II.

In Epistola ad Albericum Card.

ILlud præterea, quod quæris, quid factum sit de Arca Domini, & tabernaculo fœderis, quæ fabrefacta sunt in deserto; sicut huius rei penè nil officit ignorantia, ita vix aliquid vtilitatis probatur conferre notitia. Verumtamen, sicut Scripturæ tradit auctoritas; in monte Abarim, vbi Moyses sepultus agnoscitur, tabernaculum simul cum arca, necnon & altare incensi reconditum Hieremiæ Pro- B phetæ manibus inuenitur. Quod euidenti declaratur indicio, si secundi libri Machabæorum diligenter attendatur exordium: *Erat,* inquit, *in ipsa* *2. Mach. 2.*
Scriptura, quomodo tabernaculum, & arcam iussit Pro- *Deut. 34.*
pheta, diuino responso ad se facto, comitari secum, vsquequo exiit in montem, in quem Moyses ascendit, & vidit Dei claritatem: Et veniens ibi Hieremias, inuenit locum speluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Hæc igitur tria sacramenta, sicut dictum est, Hieremias in præfato Abarim monte recondidit. Si quid autem ex his aliud postmodum factum fuerit, aut certè sic intacta permanserint, quia nusquam Scriptura com- C memorat, nostra quoque disquirere curiositas non præsumat.

Delicatus siquidem miles est, qui ante vult triumphare, quam arma conferre, prius triturare, quàm rura proscindere. Consideratio nempe ordine Scripturarum, sic perpenditur nostrarum series actionum, prius enim Lex; deinde Iudicium, postremò subsequitur historia Regum. Nunc sanè nos expedit, indicta nobis Diuinæ legis mandata seruare postea compellimur ante tribunal tremendi Iudicis rationem de nostris operibus reddere; postremò dabitur in illa supernæ claritatis gloria sine fine regnare. Teneat ergo ordinem, qui vitare vult Babylonem. Ille omnium vitæ suæ ordinem viuendo confundit, qui ante vult ridere; quàm flere. Cùm Salomon dicat: *Tempus flendi, &* *Eccl. 3.*
D *tempus ridendi.* Ille etiam recti ordinis lineam deserit, qui creatis rebus Creatorem omnium in amore postponit. Sicut peruerso homini diuina voce dicitur: *Posuisti me post corpus tuum.* Dominum quippe post corpus suum ponit, qui magis studet vtilitati, vel voluptati carnis suæ consulere, quàm Dei præcepta seruare. Hinc est, quod sponsa dicit in Canticis: *Ordinauit in me charitatem.* Nusquam cer- *Cant. 2.*
tè præceptum in veteris testamenti cæremoniis inuenitur, vt mel sacrificiis misceatur. Per quod intelligitur, quia his, qui vitæ suæ Deo sacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult inesse dulcedinem, nihil in eis viuere, quod ad carnalem pertineat voluptatem. Oleum autem frequenter im- E mittitur, vt omnis nostræ operationis oblatio hilariter offeratur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* *2. Cor. 9.*
In omnibus etiam sal præcipitur admisceri, vt omne boni operis sacrificium, rationis, discretionis, ac cælestis sapientiæ sit sale conditum.

De petitionibus Lincidarij, & responsionibus eiusdem.

P.D. tom. 3. opusc. 3. Quæst. 1. SI Christus non venit soluere legem, sed implere, cur carne non circumciditur Christianus?

Respons. Immo iam se ideo Christianus minimè circumcidit; quia quod circumcisione prophetabatur, Christus impleuit. Expoliatio quippe vitæ carnalis, quę in veteri lege fuerat figurata, in Christi iam cernitur resurrectione completa: & quod exspectamus in nostra resurrectione futurum, iam in sacri baptismatis mysterio commendatur. Carnalis itaque circumcisio tanquam superflua, iure contemnitur, cùm iam spiritualis, propter quam significandam illa præcesserat, figuratur.

Quæst. 2. Cur omittit Christianus Sabbatum colere, si Christus non venit legem soluere, sed implere?

Respons. A nobis Sabbatum ideo non seruatur: quia quod tunc erat in figura præmissum; per exhibitionem rei iam videmus impletum. In Christo quippe verum spiritualis otij Sabbatum colimus, cùm in eo solo spem ponimus, & sic in illo toto cordis amore, ac deuotione quiescimus, vt ab omni vitiorum seruili opere, ac terrenarum rerum ambitione cessemus. Ad quod Sabbatum celebrandum ipse Matth. 11. nos prouocat, dum clamat: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Carnalis ergo Sabbati cultum superuacuum dicimus, cùm iam illud verum, & salutiferum, propter quod institutum est, celebramus.

Quæst. 3. Si Christus non venit legem soluere, sed implere, cur Christianus negligit ciborum differentiam, quæ in lege præcipitur obseruari?

Respons. Immo idcirco hæc à Christianis ciborum differentia non admittitur; quoniam à Christo, quod per hanc figurabatur, impletur. Immunditia quippe, quæ tunc cauebatur in cibis, nunc in moribus reprobatur humanis. Sicut enim sancti quique, ac iusti transferuntur in corpus Christi; sic ab eo reprobi, & iniqui tanquam cibi repelluntur immundi. Postquam ergo ipsa Veritas, quæ significabatur, aduenit, meritò significationis vmbra cessauit.

Quæst. 4. Si Christus non venit legem soluere, sed implere, cur & animalium carnibus sacrificium Deo Christianus non curat offerre?

Respons. Immo idcirco à Christianis huiusmodi sacrificium non offertur; quia quicquid in illis hostiis typicè gerebatur, totum in immolatione Agni, *qui* Ioan. 1. *tollit peccata mundi*, veraciter adimpletur: & quia omnia illa nil aliud salutis habebant, nisi vt ad hoc nostrum sacrificium vnanimiter tenderent, hoc vnum omnis cæremoniarum diuersitas designaret, postquam hostia singularis illuxit, multiplex vmbra, quę præcedebat, euanuit. Quis enim nesciat eadem sacrificia potius ad hoc inobedienti populo, ne cum idolis fornicaretur, imposita, quàm Deo, tanquam ipse desideret, oblata?

Quæst. 5. Si Christus non venit legem soluere, sed implere, cur Christianus azymam, quam lex præcipit, non obseruat?

Respons. Idcirco à Christianis visibilis illa, & corporalia azyma flocci penditur; quoniam expurgato veteris vitæ fermento, noua conspersio spiritualiter adimpletur. Tunc enim erat legis scriptura præceptum, nunc est testimonium: & postquam id, quod significabatur, aduenit, hoc quod significabat, interiit.

Quæst. 6. Si Christus legem venit implere, cur Christianus Paschalis Agni sanguine Pascha non celebrat, cùm hoc tantoperè lex ipsa decernat?

Respons. Hic idipsum respondendum, quod iam superius dictum est; quia postquam verus ille Agnus, qui significabatur, aduenisse cognoscitur; ille, qui significabat, superfluus iudicatur. Cuius vtique sanguine non iam ligneas, siue lapideas fores inungimus, sed interioris potius hominis viscera consignamus.

Quæst. 7. Si non soluit legem Christus, cur lege mandatam non celebrat Neomeniam Christianus?

Respons. Propter hoc etiam Christianus celebrare contemnit; quoniam id totum, propter quod olim celebratum est, Christus impleuit. Nouæ quippe Lunæ solemnitas, nouam designat in homine fieri creaturam; de qua dicit Apostolus: *Si qua igitur in* 2. Cor. 5. *Christo noua creatura, vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua.*

Quæst. 8. Si Christus non venit legem soluere, cur Christianus illa ablutionum baptismata, quæ lex pręcipit, non obseruat?

Respons. Ideo hæc Christianæ non merentur obseruantiæ cultum, quia tunc vmbræ fuerunt futurorum, quorum nunc perspicuum possidemus effectum. *Conse-* Rom. 6. *pulti enim sumus Christo per baptismum in morte; vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

Quæst. 9. Si lex à Christo impleta est, non soluta, quid rationis obiicitur, vt à Christianis Scenophegiæ solemnitas non colatur?

Respons. Tabernaculum Dei societas est populi Christiani, & quoniam illud tabernaculum sanctam præfigurabat Ecclesiam, contemnitur signum, postquam venit quod fuerat præsignatum. Nec enim diceretur tabernaculum testimonii, nisi attestaretur alicui, quæ declaranda erant suo tempore veritatis. Quod itaque tunc agebatur præcepto figuratum, nunc præsentialiter cernitur testimonio reuelatum: & cùm iam id, quod figurabatur, aspicitur, quod figurabat, superfluum per omnia iudicatur.

Quæst. 10. Si Christus legem soluere noluit, sed implere: quare Christianus septimum remissionis annum, vel etiam Iubilæum negligit obseruare?

Respons. Quoniam Veritas, ac Sapientia Dei, quæ cùm doceat Angelos in cælo, homines etiam docere venit in terra. Quod prius iusserat carnaliter sub ænigmatis vmbra seruari, postmodum Discipulis suis spiritualiter mandauit intelligi. Sic enim dies septimus feriatus esse præcipitur, vt æterna per eum requies designetur. Sic & in anno septimo, sic & in Iubilæo, qui per annorum circulum septenario numero septies replicato, & monade superaddita, in quinquagenarium ducitur, secura quies perpetuæ beatitudinis intimatur. Incipiente quippe Iubilæo tubis canitur, omnesque ad possessiones proprias reuertuntur: Quia, sicut dicit Apostolus, *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba* 1. Thess. 4. *Dei descendet de cælo; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Ad possessiones autem suas vnumquemque redire, & corpora sua protinus incorrupta recipere. Tunc reuertetur Adam ad antiquam carnis suæ terram, in qua primitus habitauerat; tunc Noë, Abraham, Moyses; cunctisque propria possessio redditur, dum corpus illis incorruptibile reformatur. Redemptor itaque noster, qui Luc. 24. *Discipulis aperuit sensum, vt intelligerent mysteria Scri-*

penrarum, noluit Iubilæum, noluit septimum remissionis annom, vel cæteras legalis ritus cæremonias carnaliter obseruari, postquam hæc omnia spiritualiter fecit intelligi, tunc enim mandata legalia veraciter adimplentur, cùm, iuxta spiritualem intelligentiam, ad quam instituta sunt, fiunt. Nam tunc erant vacua, vmbra scilicet, & imago rei, non ipsa res, cùm carnaliter seruabantur.

De Minitationibus, & Promissionibus Dei.

Pet. Dam. Tom. 3. Opusc. 4. NVllatenus debuit immutari quod Papa concessit, quod decreto constituit. Quid mirum, si homines statuta mutant, quando omnipotens Deus ea quoque, quæ à semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo, quod promittit, aliquando minuit, vel etiam totum subtrahit, aliquando mala minatur, & non infligit. Quid est, quod Deus vnquam promisit, & minuit? Si non excidit, reminisci potes, quia dixit Dominus ad Noë: Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, qui caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Sed cùm Scriptura commemoret quingentorum tunc annorum extitisse Noë, quando hæc sibi Dominus loquebatur, sexcentorum verò tunc iam esse cùm cataclismus erupit, liquido patet viginti annos de præscripti numeri spatio fuisse subtractos. Vitæ itaque spatium quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia peruersitatis eorum reatus excreuit. Iudæ quoque per os Patriarchæ promisit Spiritus sanctus, dicens: Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*; & tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu Iuda semper super Israël tenuisse ducatum: nec Reges ex eadem tribu principatum tenuisse vsque ad Christi reperiuntur aduentum. Constat ergo, quia sæpe Deus omnipotens quod homini promisit, imminuit, quoniam homo, quod Deo debuerat, non impleuit.

Vbi Deus promisit bonum aliquod, & non impleuit? Recordare quia dixit Dominus ad Iosiam Regem Iuda: 4. Reg. 22. *Pro eo* inquit, *quod vidisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, & scidisti vestimenta tua, & flenisti coram me, idcirco colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace*; & tamen paulò post Scriptura dicit: *In diebus eius ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abiit Iosias in occursum eius, occisus in Mageddo, cùm vidisset eum.* Ad Sedechiam quoque Regem Iuda per Hieremiam dicitur: Hier. 34. *Audi verbum Domini, Sedechia Rex Iuda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, sed secundùm combustiones patrum tuorum, Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te; quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus.* Quod nimirum quomodo potuerit fieri, qui seriem scrutatur historiæ, numquam poterit inuenire. Nam postquam à Rege Babylonis semel est captus, Babyloniamque translatus, vlterius numquam legitur ab eius vinculis absolutus. Iusto ergo iudicio subtraxit Deus homini nonnunquam bona, quæ promisit, cùm rebellis homo illius seruare mandata contempsit.

Prosequere etiam; quomodo Deus quod minatus est, non infligit?

Nemo qui limen Ecclesiæ terit, ignorat, quia Ionas ad Niniuem à Domino missus exclamauit, dicens: Iona 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Sed quia ciuitas illa ad Dominum toto est corde conuersa, nequaquam iuxta minacem Domini sententiam excidij est euersione deleta. Cùm ergo Deus omnipotens non modò verax, sed & ipsa sit veritas, inuiolato consilij sui manente proposito, exterioris iudicij sui sæpè variat ordinem iuxta humani, siue probi, siue improbi meriti qualitatem, quatenus & à prauitate correctus, quod Deus iustè minatur, euadat: & prolapsus in culpam, nullatenus quæ pollicetur bona percipiat. Hinc est quod per Hieremiam dicit: Hier. 17. *Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos.* Hinc est quod ad Heli quoque per virum Dei Dominus ait: 1. Reg. 2. *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum: nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me, sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Rectè planè cuncta quæ proposueras, perspicuis roborasti testimoniis Scripturarum, nunc autem de Domini mei Regis iniuria rationem redde.

Glorioso Regi, nobis eligendo Pontificem, absit, vt nos intulissemus iniuriam; cùm ad hoc nos necessitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos inuitos attraxit imminens periculum ciuilis belli, non lædendi liuor Imperij.

Quid mihi omnia hæc? dum constet, quia quicquid accideret, nullo pacto sancti Papæ sententiam debuisti infringere; nulla ratione Synodalis Decreti mysterium licuit violare? Sicut enim Scriptura perhibet: *Melius est vt oriatur scandalum, quàm vt veritas relinquatur.* Nam si hoc bellum timuissent beati Martyres, fierent proculdubio sanctæ militiæ desertores.

Non ignoras, quòd inter omnes sanctos Martyres, Petrus, & Paulus in Apostolici Senatus culmine possideant principatum. Eorum sunt nobis tenenda vestigia, eorum forma nostris est actibus imprimenda; sub eorum magistra debemus viuere disciplina.

Hoc vtique clarum est.

Audi ergo Paulum de Coapostolo suo Petro veraciter perhibentem: Galat. 2. *Priusquam*, ait, *venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem venissent, subtrahebat se, & segregabat, timens eos, qui ex circumcisione erant.* Cernimus ergo Petrum non rigidum, sed discretum: timebat enim Iudæos, ne per occasionem Gentium à fide recederent Christianorum; & ne perderet gregem perditum, boni pastoris est imitatus exemplum. *Factus est enim Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret*; sicut Christus apparuit in forma carnis peccati, vt à peccatis hominem liberaret; & cùm legem Moysi non ambigeret abolendam, consolens tamen adhoc rudibus, & infirmis fratribus, tenuit ad tempus vmbram legis, vt eos quandoque proueheret ad perfectè noscendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo B. Petrus discretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando, vbi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquantulum à tramite rectitudinis, vt consolere valeamus infirmis.

Qui dicis, quòd Petrus aliquandò legem Iudaïcam tenuit; cur non etiam dicis; quod in eadem Epistola legitur: Nimirum, quia *Paulus eum in faciem reprehendit? In faciem, inquit, ei restiti, quia reprehensibilis erat, eique dixit: Si tu cùm sis Iudæus, Gentiliter, & non Iudaicè viuis, quomodo cogis Gentes iudaizare?*

Quod Petrus egit compassione misericordiæ, hoc

Paulus arguit pro magiſterio diſciplinæ. Ille hoc A fecit diſpenſatiuè, vt infirmis tolleret ſcandalum; hoc iſte corripuit, ne indiſcretus quilibet paſſim adduceret in exemplum. In Petro diſcamus, vt periculo ſimus imminente diſcreti: In Pauli ſermonibus inſtruamur, vt ſanis rebus vita noſtra verè deſeruiat rectitudini. Audi etiam conſequenter & Paulum, diſcretionis aureæ lineam noſtris oculis opponentem, eiuſdemque diſpenſatiuæ compaſſionis auctorem. Sicut enim Apoſtolicorum
Act. 16. Actuum teſtatur hiſtoria, *Perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, peruenitque in* B *Derben & Lyſtram, & ecce diſcipulus quidam erat, nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis, patre autem gentili.* Hunc ergo, vt ad compendium veniamus, Apoſtolus circumcidit; quoniam Iudæos, immò Iudæis, qui in illis erant regionibus, timuit. Cur itaque circumcidit fidelem hominem non Iudæum, qui videlicet incircumciſus erat, ſed natione gentilem, niſi vt diſcretionis ſtudio deſeruiret, ne Iudæi fideles in ſcandalum corruentes, à fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam redit; quoniam aliquando iuxta morem Nazaræorum, C comam ex voto nutriuit; & poſtquam nauigaſſet
Act. 18. in Syriam, in Cenchris poſitus, caput iuxta legis mandata totondit. Refert adhuc Lucas ſacræ ſcri-
Act. 21. ptor Hiſtoriæ: *Cùm veniſſemus*, inquit, *Hieroſolymam, libenter ſuſceperunt nos fratres; & ſequenti die Iacobus, & omnes Seniores, qui cum eo erant, Euangelio illius comprobato, dixerunt ei. Vides frater, quot millia ſunt in Iudæa, qui credidere in Chriſto, & hi omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quòd diſſenſionem doceas à Moyſe eorum, qui gentes ſunt Iudæorum, dicens: Non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem; audierunt enim te ſuperueniſſe.* D *Hoc ergo eſt quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe; his aſſumptis, ſanctifica te cum ipſis: & impende in eos, vt radant capita, & ſciant omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt; ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. Tunc Paulus aſſumptis viris, poſteriori die, purificatus cum illis intrauit in templum.*

Nulli liceat ignorare: Omne quod Domino conſecretur, ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quicquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet Sacerdotum; propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui à Domino, & Eccleſiis ciuem petit, aufert, vaſtat, E inuadit, vel eripit, vt ſacrilegus diiudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur. Qui abſtulerit aliquid patri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit; mater verò noſtra ſancta Eccleſia, quæ nos in Baptiſmo regenerauit. Ergo qui Chriſti pecuniam, & Eccleſiam aufert, rapit, aut fraudat, homicida eſt, atque ante Dominum homicida deputatur. Qui enim res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Vt unus ergo contra malignos ſpiritus ſpiritualis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe eſt vt per charitatem ſemper vniti atque conſtricti, & numquam interrupti per diſcordiam inueniamur; qui qualibet bona in nobis opera fuerint, ſi charitas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendum nos valeat hoſtis intrare. Antiquus verò inimicus caſtitatem in nobis, ſi ſine charitate fuerit, non timet; quia ipſe nec premitur carne, vt eius luxuria diſſoluatur. Abſtinentiam non timet, quia ipſe cibo non vtitur, quia neceſſitate corporis nō vrgetur. Diſtributionem terrenarum rerum non timet, ſi eidem operi charitas deſit; quia diuitiarum ſubſidiis nec ipſe eget. Valde autem in nobis charitatem veram, item amorem humilem, quem nobis viciſſim impendimus, timet, & nimis concordiæ noſtræ inuidet; quia hanc nos tenemus in terra, quam ipſe tenere nolens amiſit in cælo. Bene ergo dicitur: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*; quia *Cant. 6.* Electorum multitudinem, eò maligni ſpiritus pertimeſcunt, quò eos per charitatis concordiam vnitos contra ſe, & conglobatos aſpiciunt. Quanta autem ſit concordiæ virtus, oſtenditur, cùm ſine illa reliquæ virtutes, virtutes non eſſe monſtrantur. Magna enim eſt virtus abſtinentiæ; ſed ſi quis ita ab alimentis abſtineat, vt cæteros in cibo diiudicet, & alimenta eadem, quæ Deus creauit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus damnet; quid huic virtus abſtinentiæ facta eſt, niſi laqueus culpæ? Vnde Pſalmiſta quoque nullam eſſe abſtinentiam ſine concordia deſignans, ait: *Laudate eum in tympano, & choro.* *Pſal. 150.* In tympano enim corium ſiccum reſonat; in choro autem voces concorditer cãtant. Quid ergo per tympanum, niſi abſtinentiam? quid per chorum, niſi charitatis concordia deſignatur? Qui itaque ſic abſtinentiam tenet, vt concordiam deſerat, laudat quidem in tympano, ſed non in choro. Quiſquis verò vitæ ſuæ cuſtodiam negligit, diſcutereque agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut deſpicit, aut neſcit, coram ſe ipſe non ambulat; quia qualis ſit, in ſuis moribus, vel actibus ignorat; nec ſibimetipſi præſens eſt, quia ſemetipſum quotidie exquirere atque cognoſcere ſollicitus non eſt. Ille autem veraciter ſe anteponit, ſibique præſens eſt, qui ſe in ſuis actibus tanquam alium attendit. Nam ſunt multa peccata, quæ committimus, ſed idcirco nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes clauſis nobis oculis in noſtra deceptione blãdimur. Vnde fit plerumque, vt & noſtra grauia leuiter, & proximorum mala leuia grauiter iudicemus. Erunt homines ſemetipſos amantes; & ſcimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus. Ex quo fit, vt hoc, quod nos agimus graue eſſe non æſtimemus, & plerumque quod agitur à proximo, nimis nobis deteſtabile eſſe videatur.

Cætera deſiderantur.

LECTORI SVO
DOMNVS CONSTANTINVS
ABBAS CAIETANVS, S.

ADMONENDVM te putamus, Lector optime, huiuſmodi Collectanea ex Operibus S. Petri Damiani excerpta, magna cum diligentia à nobis fuiſſe conquiſita. Sed tamen in vetus dumtaxat Teſtamentum, eaque imperfecta, vt apparet, quæ nunc in lucem damus, fuiſſe inuenta. Nam expoſitiones noui Teſtamenti, quas etiam (vt vetus inſcriptio indicat) idem Auctor, ſancti Doctoris diſcipulus, compilauit, reperiri minimè potuerunt. Vale.

Et exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam, Deus.

VENERABILIS VIRI

PETRI DE HONESTIS CLERICI RAVENNATIS REGVLA,

Quingentos ante annos ad Clericos suos scripta

A DOMNO.

CONSTANTINO CAIETANO, Syracusano, Abbate S. Baronti ex Congregatione Casinensi, & Abbate Præsidente Romani, Apostolicique Collegij Gregoriani,

DOMVS S. BENEDICTI,

Ex M. S. Codice eiusdem Collegij Bibliotheca Aniciana, nunc primum recognita, atque edita.



PARISIIS,

M. DC. LXIII.



DOMNI CONSTANTINI

ABBATIS CAIETANI, AC VINDICIS BENEDICTINI.

B

In Regulam Venerabilis viri, Petri de Honestis, Clerici Rauennatis,

Ad Lectorem suum Humanissimum, Præfatio.

IN fine huius Quarti Tomi Sanctissimi Doctoris nostri, Petri Damiani, addendam curauimus Regulam illam, quam ad Clericos, & Canonicos informandos scripsit Petrus Clericus Rauennas duplici potissimùm de causa. Primò, vt studiosi quique, qui ferè hucusque vtrumque confudere, intelligant, alium esse Petrum hunc à nostro. Secundò, vt etiam cognoscant Petrum Clericum suam hanc Regulam edidisse pro Clericis; & Canonicis illis, qui regulariter apud Matrices Ecclesias penes ipsos Episcopos, vel in Collegiatis aliis ad Normam potissimùm Concilij Aquisgranensis degebant: non verò pro S. Augustini
C Professoribus. Huius enim Regulæ obseruantia (si Regula ea fuit, vel potius Epistola) ab eiusdem Sancti Doctoris obitu vsque ad eam ferè tempestatem, vix audita fuerat.

Quod igitur ad primum spectat; etiam si vterque Petrus vocaretur, eandemque Rauennam pro patria haberint; professione nihilominus, atque ætate, cælo distare cognoscuntur. Nam noster Petrus à maiori natu fratre, qui eum paternè nutriuerat, relicto Genitis suæ cognomine, Damiani cognomen assumere voluit; tametsi (vt ex eius Scriptis alibi notabo) nobilibus, non obscuris (vt quidam gratis affirmarunt) natus sit; Petrus etiam hic alius Honestorum Stemmate, & familia quoque clarus, editus est. *Alius fuit S. Petrus Dam. alius Petrus de Honestis.*

Professione quoque Petrus Damiani Monachus fuit, Eremita, & Prior Monasterij Sanctæ Crucis de Auellana, in Vmbria, non longè ab Eugubio, Ordinis S. P. N. Benedicti, vt non tantùm ex grauioribus, iisdemque coætaneis Scriptoribus, verùm etiam ex illiusmet Scriptis patenter habemus; quidquid alij fingant, affirmantes ipsum Augustinianum, non Benedictinum fuisse; vel etiam (vt falsò adhuc alij) ex Augustiniano Benedictinum euasisse; cum is antè Monasticam vitam nulli Regulæ fuerit addictus; immo Sacrarum Litterarum, & vtriusque Iuris Doctor, Parmæ Legis peritiam docuerit, vt nos in eius Vitæ commentariis, Deo duce, clariùs ostendemus.

Alius verò Petrus fuit Clericus, Clericorumque Prior: Qui cum videret multos in Clericis abusus
D (quos Petrus Damiani suis præsertim in Epistulis deplorat, reprehenditque) ille condito Monasterio in littore maris Adriatici, in Beatissimæ Mariæ Virginis honorem, Regulam ex Sanctis Patribus, ac præcipuè, vt videre est, ex ea S. P. N. Benedictini conflatam, præscripsit, & Paschali II. Pont. Max. confirmandam transmisit, vt corruptos mores componeret. Non negamus tamen, hoc ipsum eiusdem Monasterium (sicut & Benedictinorum quamplura) Augustinianorum postea iuri addictum fuisse. *Card. Bar. Annal. to. 18. ad ann. 1072.*

Postremò, quod ad ætatem attinet, Petrum Damiani obiisse anno Christi Millesimo septuagesimo secundo, omnes eiusdem temporis Scriptores (vt fusè quoque probat Eminentissimus Cardinalis Baronius) contestatum relinquere. In primis, qui totidem id verbis annotauit, Bertholdus Constantiensis in Auctario ad Hermannum Contractum, hæc habet: *Anno millesimo septuagesimo secundo, Petrus Damiani, piæ memoriæ, migrauit ad Dominum VIII. Kal. Martij, cui Dominus * Geroldus, reuera Monachus, scientia Scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in Episcopatu successit.* ** Domnus Giraldus.*

Ad hæc, Petrum Damiani anno ætatis suæ sexagesimo sexto, in suo sanctæ Mariæ Congregationis Auellanensis, seu Columbæ Monasterio, Fauentiæ decessisse, Sacrasque illius reliquias ad hunc vsque diem, magna ibidem cùm veneratione asseruari, adeo clarum est, vt probatione non indigeat. E contra verò Petrus Clericus ad Paschalem II. Pont. Max. qui ab anno MXCIX. ad MCXVIII. vixit, cuique Regulas suas confirmandas direxit, ætatem protraxit: vnde etiam eiusdem Paschalis extant litte-
E ræ ad illum, datæ Laterani III. Non. Iul. Indictione VII. Incarnationis Dominicæ anno MCXV. addunt quoque Scriptores, eum octogenario maiorem, & in Portuensi S. Mariæ Monasterio, quod ipse paulò extra Vrbem Rauennam in littore maris Adriatici construxerat, obiisse anno Domini MCXIX. xv. Kal. April. Eius autem tumulo hi versus, qui & nostram confirmant sententiam, incisi feruntur. *Vide Præf. nostram ad Tom. 4. Petri Damiani.*

Hic situs est Petrus, Peccans cognomine dictus,
Cui dedit hanc Aulam meritorum condere Christus,
Anno milleno centeno debita soluit.
xv. Kal. Apr.

Doctè quidem in hanc rem Hieronymus Rubeus: *Satis autem, vt puto, constare potest quantùm inter hunc Petrum Portuensem, & Petrum Damiani intersit. Est quidem vterque Petrus, vterque Rauennas: sanctè ambo, atque innocenter vixerunt, eodemque ferè tempore, quodque fecit, vt eos multi non internoscerent, ambo* *Hier. Rub. Hist. Raue. lib. 5.*

Peccatores appellati. Inoleuerat enim mos, vt qui religiosè tunc viuerent, ob animi demissionem, sese inscriberent Peccatores; idque facilè cognoscet, qui monumenta illorum temporum euolverit. Petrus tamen Portuensis Præfectus, semper Sacerdos, & Clericus, vt aiunt, Petrus autem Damiani Monachus. Ille in Portuensi Cænobio perpetuò ferè vitam traduxit; Hic in Catriana solitudine. Ille Rauennæ diem obiit suum; Hic Fauentiæ. A
* Septuagesimo secundo, corrige. *Ille IV. Kalen. Aprilis; Hic VIIJ. Kal. Martij. Ille anno millesimo centesimo decimo nono; Hic* * *octogesimo supra Millesimum. Quodque hac ratione sic ij differrent, Dantes de Petro Damiani scribens, videtur testari. Dum enim Petrum Damiani loquentem inducit, se Petrum Damiani fuisse inquit, in Catrianaque solitudine vixisse: Petrum autem Peccatorem in Diuæ Mariæ Virginis ad littus Hadrianum, commoratum.*

Dant. Cant. 20. paradis. Dantis verò Aligerij, Poëtæ Etrusci, Testimonium hoc est:

Tra duo liti d'Italia surgon sassi,
E non molto distanti alla tua patria,
Tanto, che i tuoni assai suonan più bassi
E fanno vn gibbo, che si chi ama Catria,
Di sotto al quale è consecrato vn Eremo,
Che suol esser disposto à sola Latria. B
Così ricomminciommi illi terzo sermo,
Et poi continuando disse quiui
Al seruigio di Dio mi fei si fermo,
Che pur con cibi di liquor d'vliua
Lieuemente passaua Caldi, & Gieli,
Contento ne pensier contemplatiui.
Render solea quel Chiostro a questi Cieli
Fertilmente, ed ora a fatto vano,
Si che esto conuien, che si riueli.
In quel luogo fui io Pier Damiano:
E Pietro Peccator fu nella casa
Di nostra Donna in sul lito Hadriano.
Poca vita mortal m'era rimasa,
Quando fui chiesto e tratto à quel Capello.

Petrus Marionus V. C. Hos autem Dantis versus Petrus Marionus V. I. D. rerum multiplicium eruditione insignis, mihique amicissimus, latinè sic reddidit. C

Talibus est rursus dictis mihi farier orsus:
Inter vtrumque Italum iuga surgunt ardua littus,
Non procul Vrbe tua, rapidus sonat atheris ignis
Inferiora plaga, sic vertice nubila tangunt:
Angulus hinc oritur, cui nomen Catria, sub quo
Surgit adorando Superum domus apta parenti,
Desertas inter cælo gratissima rupes.
Hic ego tam certus mansi seruire Tonanti,
Vt mea mensa alias haud tempore quolibet [illegible]
Perfusas oculas quam Palladis arbore nosset,
Cælestes sed erant mea gaudia volvere curas:
Fertilis ille Polo quondam locus esse solebat, D
Seminaque ingenti cum fœnore reddidit, at nunc
(In populi mox ora ibit) pro frugibus illic
Infelix lolium, & steriles nascuntur auenæ.
Illic Petrus ego Damiani tempora duxi,
Ac Petrus falso peccator nomine dictus,
Virginis Hadriacum prope littus vixit in æde,
Instabat mihi iam mortalis terminus æui,
Cum mea nolentis sunt tempora cincta Galero.

Aug. Ticin. Propug. cā. Ord. par. 4. cap. 22. At cùm hæc adeo clara sint, vt clariora magis esse non possint; nihilominus rerum Augustinianarum Scriptores ad hanc vsque diem inuictè satis contendunt, Petrum Clericum, cognomento Honestum, hunc ipsum esse, qui & Petrus Damiani, Monachus, & Cardinalis. Quod tenera nusquam crederem, nisi multoties legissem apud Augustinum Ticinensem, qui de Canonici Ordinis sui propagatione edisserens, sic commentatus est: *In Italia vsque ad tempora B. Petri Damiani apud Rauennam in Canonica S. Maria in Portu, deinde per Italiam ab eo capite est propagatus. Ipse namque vir Sanctus, clara ex familia de Honestis Rauenna natus, prius apud Auellana locum Eremiticam duxit vitam: deinde Episcopus Ostiensis, & Cardinalis ordinatus, tempore Schismatis inter Cadaloum Episcopum Parmensem, & Alexandrum II. Pileo à se sponte abdicato, ad Canonicam præfatam se transtulit, ibique post multa præclara librorum edita Opuscula, & pietatis magnificè gesta, eiusdem loci Prior, sanctè, piéque in Domino quieuit. Extant vsque in præsentiarum Constitutiones ab eo edita, de Communi Vita Canonicorum Regularium, & Paschalis II authoritate confirmata.* E

Idem par. 5 confirmat cap. 8. Sed attende etiam, quæso Lector, quæ figmenta in medium proferat, suos Canonicos Ticinensis iste propugnans: *Ordo idem Canonicus*, inquit, *ad Regularem obseruantiam effloruit per Sanctum virum Petrum Damianum, in Portuensi Canonica, Diœcesis Rauennatis, deinde toto in Tuscia, præsertim in agro Lucensi apud Frigionariam, ipso authore Petro Damiani, coadiuuantibus Alexandro II & Illustri Comitissa Mathilde.* Huic accedit Ioannes Trullus Canonicus etiam Regularis Augustinianus qui postquam multa contra rei veritatem affirmasset, Trithemiũ Abbatẽ, verissimè licet scribentẽ, non veritus est apprehendere:

In Trul. de Ord. Canō. lib. 1. cap. 5. *Hæc omnia*, subdit, *eo retuli, vt manifestũ fieret, Petrũ Damianum fuisse Canonicũ Regular. Episcopum Ostiensem, & Cardinalem: nec quemquam moueat Ioannes Trithemius, astruens, Monachum fuisse Benedictinum quem-*

A *claruisse inquit, sub Henrico IV. anno Domini ML.* In eumdem labuntur errorem Ioannes de Nigravalle, Titulo de Doctoribus Ordinis Canonici: Raphaël Volaterranus Anthropologiæ lib. 21. Alphonsus Ciaconius, in vitis Summorum Pontificum sub Stephano X. dicto IX. Ioannes Baptista Signius de Ordine, ac Statu Canonico lib. 1. cap. 4. Basilius Serenius lib. priuileg. Canonicorum S. Augustini pag. 10. alijque complures non nisi nouissimi, falsissimam hanc eandem opinionem totidem verbis confirmantes.

Cæterum non defuerunt & alij, qui Petrum eundem Clericum Portuensem, ipsum fuisse Petrum Damiani asseuerantes, Benedictinis, non Augustinianis annumerarunt. Erroneam istorum opinionem Antonius Possevinus nouissimè amplexus est, ita dicens: *Petrus Damiani filius, qui ita ferè ab omnibus appellatus est: cum eius familiæ cognomen esset Honestorum; quamobrem & de Honestis dictus est: se verò ipsum altero cognomento insigniuit, dum ad alios scribens, se peccatorem subscribebat, nobilis Rauennas. Monachus autem Monasterij * S. Andreæ de Auellana Ord. S. Benedicti Congregationis Columbæ, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, anno 1058. sed anno 1072. ad Monasterium suum amore quietis, & solitudinis reuersus obijt Faventiæ in Cœnobio S. Mariæ quod cum quinque aliis construxerat, anno 1080. die 22. Februarij. Cùm autem Volaterranus lib. 21. Anthropologiæ, & quidam alij scripserint, eum fuisse Ordinis Diui Augustini, sine dubio hoc, quod diximus, aut ignorarunt, aut minus rem ipsam indagarunt.*

Ant. Possen. apparat. Sacr. tom. 3.

Sed iam huiusmodi commenta missa faciamus. Sicut enim nebulæ à Solis radiis effugantur, sic ea, quæ

** Imo S. Crucis.*

B contra leges historiæ asserunt, veritatis lucem sustinere non possunt; sed ad exactam temporum rationem ponderata euanescunt. Maneat igitur suus cuique Religioni honos: proprias, ac peculiares vnaquæque suorum Maiorum imagines seruet, ac veneretur: nec altera alterius titulos sibi vendicet.

Certè in Ecclesia Sancta, quæ circumamicta est varietatibus, ita omnium timentium Deum, eiusque mandata custodientium merita per charitatem communicantur; vt tamen diuisiones gratiarum in singulis Religiosorum Ordinibus Vestium diuersitate notentur, ac discernantur.

Verùm enim verò demonstrata iam veritate, quòd Venerabilis Dei seruus Petrus de Honestis, Rauennas Clericus fuerit, & diuersus ille a S. Petro Damiani Ordinis S. Benedicti Cardinalis doctissimus, operæpretium nunc iudicamus errorem alium detegere de eiusdem Petri Clerici professione. Canonici namque S. Augustini, & quidem recentissimè suum illum vindicant, & eiusdem S. Augustini Canonicum: Quemadmodum & S. Vbaldum Eugubinum Episcopum. Quod omnino falsissimum apparet ex eius ætatis scriptis monumentis. Etenim nos cùm Regulam ipsius B. Petri Clerici ad Canonicos suos instruendos scriptam hoc loco inseramus, non tam se offert occasio, quàm postulat argumentum, vt inquiramus: An Regulam ille Magni Augustini professus fuerit; Cùm & multa lux hinc affulgebit rei historicæ, & ex Gentilitio errore emergent plurimi, qui hactenus autumati sunt, & docuerunt illum Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini. Quod vt nulla veritate subsistens, facili negotio conuincetur erroris. Nam

Petrus de Honestis Clericus Rauennas non fuit Canonicus Regularis S. August.

C (vt Hieronymus Rubeus habet) *Petrus de Honestis cùm esset Sacerdos, vt votum persolueret, quod in tempestate actus nuncupauerat Diuæ Mariæ Virgini, in Portu Rauennati Ædem, ac Cœnobium exstruxit. Quod deinceps ob eam à loco sumptam caussam, Portuense Cœnobium est appellatum: ibi Sacerdotum Conuentum instituit, de quo diximus, &c.* Et Baptista Signius: *Petrus Primus Portuensis Rector, qui & ibi Ordinem Canonicum primus instituit.*

Hier. Rub histor Rauennat. l. 5.

Nulla igitur præter ab Institutore illo, primoque Portuensis Cœnobij Rectore inuectam, Regularis Institutio inquirenda est in Portuensi Cœnobio Hæc autem Augustiniana, siue ad Magni Augustini Regulam non fuit. Præscripsit enim suis Regulam Petrus; quam post Paschalis PP. II. Apostolica auctoritate confirmauit. Præter hanc autem seu Regulam, seu Constitutiones ab eo scriptas, quas hîc damus, per id temporis nullam legimus Normam ibi Sacerdotum mores formasse. Hoc duplici probamus argumento: Primò, ab his ipsismet Constitutionibus: Secundò, quòd ea, quæ nunc vocatur S. Augustini Regula, quæ sola in controuersiam venire poterat, Regulæ nomen, naturamque vix induerat. Ad primum quod attinet, in Proœmio harum Constitutionum ita Petrum loquentem habemus, & affirmantem: *Diligenti inquisitione facta neminem Sanctorum Patrum Prophetica, & Apostolicæ doctrinæ sermantem exempla, & scru-*

Signius lib. 1. prope finem.

D *tantem interna, Clericis in vnum commorantibus certam, fixamque, & sufficientem Regulam, & Ordinis Canonici singularum varietatum quæque negotia continentem dictasse: Vbi sicut Monachis in Regula Monastica, sic Clericis modus conuersandi & singula necessaria faciendi, ac quæque debita, & Ordini Canonico congruentia exhibendi, haberetur certissimus.* Ita ille. Quo quid clarius in rem nostram? Nam si nullus Sanctorum Patrum Clericis in vnum commorantibus certam, fixam & sufficientem Regulam dictauit, ergo Regula S. Augustini aut Orbi nota non erat per ea tempora, vt alibi probamus: aut quod huius loci magis est, B. Petro de Honestis, & Portuensis Cœnobij Cultoribus erat incognita. Aliàs enim non sic audacter, & vniuersim affirmasset Petrus, nullam Sanctorum Patrum Regulam Canonicis dictauisse, aut eam dictandi prouinciam sibi assumpsisse.

Petr. Cleric. in proœmio Regulæ.

Si regerat aliquis; S. Augustinum Regulam quidem scripsisse, at non sufficientem, non continentem Ordinis Canonici singulares varietates, modum conuersandi, & singula necessaria faciendi. Ride Lector, indignissimum effugium, quod ab Augustini filiis, aut cultoribus proficiscatur: Vt magnum illud eloquentiæ flumen, totius scientiæ promptuarium, & sapientiæ, ac doctrinæ, tum humanæ, tum cæ-

Obiectio.

Solutio.

E lestis Immensus Oceanus, cùm se ad Regulam scribendam Canonicis applicuisset, tamen imminutam illam, imperfectam, deficientem scripserit. At nec sic effugiunt. Nam si vllam etsi insufficientem S. Augustinus exarasset, eamque obseruassent Portuenses, saltem illius meminissent, vt Regulæ fundamentalis, vt suæ vitæ essentialia continentis. Nam prodne mihi quascunque cuiuscunque Religionis Constitutiones; vt vocant, quæ diductiùs, explicatiúsque persequuntur, quæ in Regulis continentur, an non in singulis Capitulis, foliisque Regulæ meminerunt? Et cùm Cõmentaria quædam in Regulã sint, cùm glossæ, in textum, an non futile esset imaginari eas, quam Regulam commententur, cuius textus sint glossæ, non explicari? Pari modo Constitutiones hæ Portuenses si Regulam S. Augustini tamquã basim supposuissent, & quæ breuiùs in ea diducuntur, explicuissent; debuissent certè vel semel ad minimum, illius meminisse, eamque nominasse Regulam, quam ipsæ originariam, & essentialem, quamque copiosiùs illustrabant, & perficiebant. Quod non fecerunt. Immo clarum ex iisdmet est, eorumque contextu, nihil illis esse cum sancti Augustini Regula commercij. Hoc in libro nostro de Antiquitate Canonicorum Regularium, &

Cōſtit. Caiet. inſt. de Antiquita. to Canon. Regular. & Regul. August. cap. 1. 2.

Auguſtinianæ Regulæ deduximus hiſce verbis: *Deinde in corpore ſuarum Legum Portuenſes, quid inutili repetitione, obedientiam, paupertatem, continentiam, victum, veſtitumque, communia & plura eiuſmodi ſtatuerent, nulla habita mentione Regulæ profeſſionis ſuæ, aut facta ad eam relatione; quæ ea prius ſtatuerat, ſi ab illis fuiſſet recepta?* Exemplum eſto primum Conſtitutionum Caput in quo communi definitione concluſum fuit, *Clericum propriis facultatibus, nec non voluptatibus renunciare debere.* Hoc enim iniungunt, quia Dominus Leuitis in veteri Lege poſſeſſionibus, & proprietate interdicit, Quia Christus in Euangelio conſulit: Quia Apoſtoli exemplo firmauerunt: Quia Doctores Hieronymus, Auguſtinus, & Proſper ita docuerunt: non quia Regula hoc illis imponit. A

Conſtitut. Portuenſ. cap. 1.

At quæſo tibi, nunquid breuiùs, firmiùs, efficaciùs ſtatuiſſent (ſi in Regulam S. Auguſtini tanquam in viuendi Legem iuraſſent) paupertatem, rerumque propriarum abdicationem, vnà cum Regula profeſſus fuiſſe, & voluiſſe Clericos, ac proinde vota reddenda: Diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio. At, inquam, non promiſſionis huius, non Regulæ promiſſæ, non Voti, non Auguſtini vt Patris, vt Legiſlatoris, ſed tantùm vt Eccleſiæ communis Doctoris, ſicut aliorum, etiam meminerunt. Deinde in hoc ipſo primo Capitulo, bis mentionem fecit Auguſtini, primò docentis in Commentariis de Verbis Domini, B deinde quæ docuerat executioni mandantis in Sermone de Cōmuni vita Clericorum. At ne per vmbram quidem, quod potius debebant, Regulæ mentionem faciunt, quæ mihi pro argumento efficaciſſimo ſunt, Regulam Auguſtini (etiamſi ea tum modo cognita fuiſſet. & recipi cœpta) non fuiſſe introductam, nec obſeruatam in Monaſterio Portuenſi, & conſequenter Petrum de Honeſtis nequaquam Auguſtinianum fuiſſe. Hæc nos ibi.

Vbi ſup.

Et certè conſideranti hæc primi Capitis Conſtitutionum verba: *Sed ne ſoli hoc ſuper Vita, & Regula Catholicorum Clericorum videamur ſentire, accedant & alij teſtes in idem conſentientes, viri religioſiſſimi, & omni ſcientia pleniſſimi: Hieronymus videlicet, Auguſtinus, Proſper, & quid ſuper hoc dixerint, vel intellexerint, audiamus.* Et poſtea, *Auguſtinus in nonodecimo capitulo de Verbis Domini ſic ſcribit, dicens: Venerunt Publicani ad*

Luc. 3.

Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis, quàm quod conſtitutum eſt vobis. Et poſt pauca, *interrogauerunt eum milites, Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hic iam cognoſcere ſe debet omnis homo, qui militat: Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, &c.* Paulóque poſt: *Nam & Clericus Catholicus hac ſententia retinetur: Si enim non contentus ſtipendiis fuerit, quæ de Altario Domino* C *iuben te conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur eſſe, quàm Clericus, & cætera. Qui (vt facta eius magis loquerentur, quàm lingua) in domo ipſe Epiſcopi ſtatuit Monaſterium Clericorum, vbi nemini licebat habere aliquid proprium, ſicut ipſe teſtatur dicens: Volui habere in domo iſta Epiſcopi Monaſterium Clericorum. Ecce quomodo viuimus, nulli licet in Societate noſtra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent? Nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet.* Hæc Auguſtinus: Et hæ Conſtitutiones Portenſes.

S. Auguſtinus.

Vbi mecum obſerua: Inquirere eos diligenter, quid de Vita, & Regula Clericorum Catholicorum dixerit Auguſtinus, vel intellexit. Potuitne ſe offerre aptior Regulam Auguſtinianam allegandi, & coram adducendi locus, ſi Auguſtinianam Regulam ipſi obſeruaſſent: Nam in ipſo Regulæ, quam vocant, limine habes: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia nō æqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuique, vt cuique opus fuerit.* Paulóque poſt: *Qui verò aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium libenter velint id eſſe cōmune.* Habes hic bonorum communionem, quam vndique conquiſitis argumentis ſtabilire contendunt Portuenſes clarè & expreſſis verbis inuoctam. Multò igitur illi ad rem aptè magis hæc ſuæ Regulæ verba allegaſſent ex Auguſtino, quàm Commentaria in verbis Domini, Quæ non ita ad propoſitum, vt Regula, faciunt. Deinde, ſi factum Auguſtini doctrinæ ſuæ conſonans, quærendum erat, quid D. illi ad Sermonem potius de Vita Clericorum recurrunt, quàm ad ipſam Regulam? Nam vt magnus Filius Gregorius de magno Patre Benedicto ſcripſit: *Si quis velit ſubtilius mores, vitamque cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione Regulæ, omnes Magiſterij illius actus inuenire: Quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter viuere quàm docuit.* Ita de S. Auguſtino philoſophandum erat, eius actus, vitamque melius, quam in ipſa Regula inueniendam: Nec enim potuit aliter viuere, quàm docuit. Igitur concludamus oportet, cùm nuſquam Portuenſes meminerint Auguſtinianæ Regulæ, imò nihil ex ea, ſed de Benedictina potius in ſuas Conſtitutiones tranſtulerint (nam finis primi Capitis, & ſecundum penè totum deſumptum eſt, ex cap. 4. & 6. Regulæ S. Benedicti) cùm eam vt fundamentalem lapidem non ſuppoſuerint Inſtitutis à ſe factis, è quibus clarum eſt, nullum ius, auctoritatemve in illud Monaſterium, eiuſque Cultores obtinuiſſe in Regulam S. Auguſtini; planè fatendum eſt: Eam nondum in Portuenſe Cœnobium inuectam, eiuſue impoſitam Incolis Et conſequentia legitima Petrum in Honeſtis S. Auguſtini aut Regulæ, aut Inſtituto nomen non dediſſe. Et hoc alio argumento ſic dedocemus.

S. Auguſtini Regula putatiua.

Gregor. 2. Dial. 26.

Nam iuſto nos volumine probamus S. Auguſtinum nullam viris aut dediſſe, aut ſcripſiſſe Regulam: Idque euincimus non leuiuſculis coniecturis, ſed auctoritate multiplici eorum qui Regulæ huius non meminerant, cum maximè debuerint: Qui ſolùm Patriarchā Benedictum ante annum milleſimum Legiſlatorem agnoſcunt: Qui illius vt iunioris Canonichorum, vt recentiorū mentionem faciūt: Qui expreſſe aſſerūt, S. Auguſtinum Regulam aut nō omnino, aut viris ſaltem non dediſſe. Ratione autem illud probamus ex natura Regulæ deſumpta, quodque illius nuſquam meminerit Poſſidius, nuſquam Auguſtinus, ſed ſuos ad Actus Apoſtolorum remiſerit a tempore, quo eam ſcribere debuerit: Quodque totò illo interſtitio inter Auguſtinum, & Iuonem ſcilicet, vſque ad aliquos poſt ſæculum decimum annos, nuſquam, nunquam inueniantur Canonici Regulares: hocque ex omni genere Auctorum, & Conciliorum, ex defectu Virorum Illuſtrium, Sanctorum, & Priuilegiorum deducimus inuictè; eóſque ementita antiquitate exuimus, & nonnullis ſuorum Albo adſcriptis Sanctis ante milleſimū annū denudamus. Vt cùm B. Petrus de Honeſtis primo poſt milleſimū ſæculo vixerit, quo S. Auguſt. Epiſtola centeſima nona ad Moniales ſcripta, primò in Regulam virorum emerſerit, & tranſlata fuerit, certe credendum eſt, vix illius notitiam habuiſſe eum, & fatendam omnino, non tum fuiſſe in Monaſterium Portuenſe inductam, cùm ſicut nonarū Conſtitutionum à Portuenſibus editarum inſignis mentio habeatur apud Hiſtoricos, ita & notitiæ Regulæ iam tum pri- E

Quibus argumentis probatur S. Auguſtinū nō ſcripſiſſe Regulam.

Petrus de Honeſtis Regulam S. Auguſt. nō agnouit.

A mò mando cognitæ, & in Monasterium illud introductę præclara memoria fuisset adposteros transmissa. Nam sicut summa laus erat eidem Petro suas edidisse viuendi formulas, ita summo dignus fuisset encomio, si magni Augustini præclaram Regulam recenter iuris publici factam, aut à viris cultam amplexatus fuisset. Quod eum arguit, nequaquam S. Augustini normæ, aut Instituto subiectam fuisse. Omitto alia huiusmodi argumenta prosequi, quæ latissimè (vt etiam supra innuebam) deducta sunt in libro nostro de Canonicorum Regularium antiquitate, qui prælo paratus mox publici iuris fiet.

Præterea, omittere etiam non possum, quin optima coniecutione deducam; Si B. Petrus de Honestis non fuit Canonicus S. Augustini Regularis, Portuense Cœnobium primis iis annis Regulam eiusdem S. Augustini non obseruauerit: nec S. Vbaldum, Eugubinum Episcopum, Canonicum S. Augustini Regularem fuisse: Qui præter Portuenses Constitutiones, Regulam nullam aut in Portuensi Cœnobio obseruauit, aut secum ad Eugubinum Monasterium suum reduxit. Obserua igitur Ecclesiam SS. Martyrum Mariani, & Iacobi fuisse quidem Regularem, at non ad Augustinianam, sed Aquisgranensem Regulam, quæ digesta, & descripta in Aquisgranensi Concilio sub Imp. Ludouico Pio, & eius iussu publicata, plures per Italiam, Galliam, aliasque Prouincias obtineat. Veruntamen cum per S.

S. Vbaldus Episc. Eugubinus nõ fuit Canonicus Regularis S. Augustini.

B Petri Damiani tempora, seu lapsa plerisque in locis eius Obseruantia esset, seu in desuetudinem abiisset, ipse grauiter de iisdem Canonicis conquestus, plures apud Alexandrum II. Papam querelas deposuit, præsertim Epistola 18. vbi Regulæ huius mentionem facit. Disciplina autem Canonicorum, siue Clericorum Ecclesiæ Eugubinæ iam dictæ, qualis fuerit, describit nobis B. Theobaldus in Vita Vbaldi, atque in Episcopatu Eugubino eidem successor, ita inquiens: *Cùm autem Dei famulus (Vbaldus) adolescentiæ annos seniliter transiisset, & morum illum grauitas omnibus commendaret, in prædicta Ecclesia SS. Martyrum Mariani, & Iacobi, Prior efficitur, & prælationis Ecclesiasticæ dignitate, communi omnium voto honorificè sublimatur. Et quidem suscepti Prioratus dignitas satis erat honorabilis; sed qui suscepti fuerant ad regendum Clericos, omni honore & reuerentia erant indigni. Nam in prædicta Ecclesia nulla tunc temporis Ordinis obseruantia, nulla prorsus Religioni colebatur memoria, mercede annua erat conductus, qui campanas pulsaret in hora Officiorum: & quia Clericorum vnusquisque in domo propria epulabatur, & dormiebat: Tota ferè obseruantia Monastici cultus custodiebatur in pulsu Nolarum: Claustrum patebat omnibus, viris scilicet, & mulieribus: nec vllo ibi tempore porta claudebatur: quisque habebat pellicem suam, & relicta disciplina Ecclesiastici Ordinis, turpitudini, & luxuriæ seruiebat muliebri.* Hæc ibi.

Petr. Dam. Epis. 18. l. 1.

Theobaldus Episc. in Vita S. Vbaldi non longè à princ. extat ap. me MS.

C Ex quibus deduci facilè potest; SS. Mariani, & Iacobi Ecclesiam nunquam suscepisse Regulam S. Augustini. Nam cum nomen ea, naturam, vigoremque Regulæ annum circiter millesimum tantummodò induisset, si in dicta Ecclesia fuisset recepta, nunquam profectò decem, vel viginti annis ita in obliuionem abiisset, vt nullum illius vestigium remaneret: nunquam qui dictæ Ecclesiæ Incolæ, qui primò illam amplexari fuerant, sic abiissent retrorsum, vt de sub iugo illius tantillo tempore se subtraxissent, vt præstantissimæ illi Normæ adeo difformes essent. Conclude igitur, cum S. Vbaldus disciplinam, Regulamue Augustinianam in dicta Ecclesia nec reperierit, nec professus fuerit, cum à Portuensi Cœnobio Portuenses B. Petri de Honestis Constitutiones, non S. Augustini Normam secum deuexerit ad suos: Conclude, inquam, illum Augustinianum aut Regula, aut professione nequaquam fuisse.

Obiicies ea Romani Breuiarij in festo S. Vbaldi verba: *Vbaldus Sacerdos effectus patrimonium suum pauperibus, & Ecclesiis distribuit: Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Institutum suscipiens, illud in Patriam transtulit, atque in eo aliquandiu sanctissimè vixit.* Fateor quidem magni ponderis auctoritatem esse, quæ à tanta pharetra procedit. At respondendum: Non omnia de fide esse, quæ in particularibus

D Sanctorum historiis leguntur. Nam digestores Romani Breuiarij Sanctorum Legendas securi, quas ipsi prudenter autumantes verissimas pro talibus eas proposuerunt recitandas; Nihilominus quod in eisdem historiis aliqui næui irrepsissent, iis eluendis, & à Pio V. Sanctissimo, & ab Vrbano VIII. Prudentissimo, Maximis Pontificibus, Correctores adhibiti sunt. Quod si aliquid eorum diligentiam effugerit, non iis id vertendum vitio, nec aut diligentia in iis, aut prudentia, aut doctrina desideranda; sed illis imputandum, qui Acta, Vitasque non ita veras eisdem subministrarunt. Quandoquidem prout etiam accidere solet in narratiuis Bullarum Pontificiarum, vt falsa aliqua irrepant, non sanè culpa Pontificis, sed eorum potius, qui malè narrant. Ita eorum errore factum, vt hic næuus permanserit in Breuiario Romano, culpa tamen eorum, qui res gestas S. Vbaldi Sacrę Rituum Congregationi falsas obtruserunt. Vt sicut vitio non est vertendum Correctoribus, aut Pii V. aut Clementis VIII. Romanorum Pontificum, quod aliquid eorum diligentiam fugerit, à Sanctissimo D. N. Vrbano VIII. corrigendum: ita nec culpandi, quod Sanctitas sua Correctioni nuperæ proposuit, si summam illorum industriam, & laborem, ac doctrinam tantillum quid euaserit à posteris obseruandum. Dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Hæc autem sicut à me sincerè dicta sunt, non vt quemquam carperem, sed vt veritatis patrocinium sumerem, sic in optimam partem velim, Candide Lector,

E accipias. Vale.

De Petro Clerico, siue Priore Portuensi, cognomento Peccatore.

Ex libro quinto Hieronymi Rubei, Historiæ de gestis Rauennatum.

INsignis hoc tempore habebatur Petrus Portuensis Cœnobij Præfectus, qui nobili Honestorum Rauennati familia genitus, litterarum haud omnino expers, cum esset Sacerdos, vt votum persolueret, quod in nauigatione tempestate actus, nuncupauerat Diuæ M A R I Æ Virgini, in Portu Rauennati, Ædem, ac Cœnobium extruxit: quod deinceps ob eam à loco sumptam causam, Portuense Cœnobium est appellatum; ibi Sacerdotum Conuentum instituit, de quo diximus, quibusdam præscriptis Legibus, quas Paschalis II. Pontifex Maximus exitu huius anni Millesimi centesimi decimi sexti ad se missas firmauit, Petro ipso ita postulante. Eæ autem Petri fuere litteræ: Paschali Dei nutu, summæ, & Apostolicæ Sedis Episcopo, Petrus Peccator, Clericus, cum Confratribus suis in Christo salutem, & obedien-

tiam omnem. Cùm Vestræ Beatitudini Petri vicem in Ecclesia gerere gratia Diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcumque in Ecclesiis statuuntur vbilibet facienda, vestra auctoritate, iudiciis, A
pro iusto, vel reprobari vel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ institutionis Normam ex pluribus, vt in sequenti patebit, collectam, & pro nostri temporis fragilitate diseretiuè constitutam, Maiestati vestræ præsentandam mandauimus; vt eam perspectam, & vbi oportuerit, emendatam, huius Apostolicæ Sedis auctoritate firmatam, atque susceptam, nobis remittatis, de cætero vestra præceptione tenendam. Benè valete. *Paschalis autem Pontifex omnibus legi, examinarique diligenter iussis, ad hunc modum rescripsit:* Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis apud Ecclesiam S. Mariæ in Portu Rauennatis Exarchatus regulariter, commorantibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Hanc Institutionis Canonicæ Regulam, tam ore Sanctorum Patrum auctoritate conceptam, quam & Religiosorum virorum exemplis, & morum honestate compositam nobis perspectam, Deo Auctore suscipimus, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter obseruandam iniungimus; vt quorum se- B
qui vestigia deuouistis in terris, eorum obtinere consortium possitis in cælis. Datum Transtyberi, duodecimo Kalen. Ianuarij, Indictione decima. *Huiusmodi Pontificis Litteris hi Cardinales subscripsere*: Crescentius Sabinus; Petrus Portuensis, Cono Prænestinus, Vitalis Albanus, Episcopi; Bonifacius Tituli S. Marci; Deusdedit S. Laurentij; Desiderius S. Praxedis; Vvido S. Balbinæ, Presbyteri: Petrus SS. Cosmæ, & Damiani; Petrus S. Hadriani, Rosemanus S. Georgij ad Velum aureum: Comes S. Mariæ in Aquiro: Gregorius S. Angeli, Ioannes S. Luciæ, Diaconi. *Et non longè post* Anno, qui fuit à partu Virginis Millesimus centesimus decimus nonus, Petrus Peccator, Senex obiit quarto Kal. Aprilis, Rauennæ, in Portuensi ab se extructo Cœnobio: ibique ad læuam ingredientibus templum, iuxta Sacram Turrim sepultus est.



INCIPIT REGVLA CLERICORVM
Petri Peccatoris, Clerici Rauennatis.

Epistola ad Paschalem summæ Sedis Pontificem, in qua ei sequens Opus destinatur emendandum.

PASCHALI Dei nutu, summæ, & Apostolicæ Sedis Episcopo, * P. Peccator, Clericus eum Confratribus suis, in Christo salutem, & omnem obedientiam. Cum Vestræ Beatitudini Petri Vicem in Ecclesia gerere gratia Diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcumque in Ecclesiis statuuntur vbilibet facienda, vestræ auctoritatis iudiciis pro iusto, vel reprobari, vel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ Institutionis Normam ex plurimis (vt in sequenti patebit) collectam, & pro nostri temporis fragilitate, discretiuè statutam, Maiestati Vestræ præsentandam mandauimus, vt eam perspectam, & vbi oportuerit, emendatam, huius Apostolicæ Sedis auctoritate firmatam, atque susceptam, nobis remittatis, de cætero vestra præceptione tenendam. Bene valete.

* Petrus.

Incipit Prologus sequentis Operis.

DIVINI cultus amore in vnum collecti, Fratres charissimi; cœpistis nobiscum diligenter inquirere, virum quia Sanctorum Patrum Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ seruans exempla, & scrutans interna, Clericis in vnum commorantibus, certam, fixamque, & sufficientem Regulam, & Ordinis Canonici singularum varietatum, quæque negotin continentem dictauerit. Vbi sicut Monachis in Regula Monastica, sic Clericis modus conuersandi, & singula necessaria faciendi, ac quæque debita, & Ordini Canonico congruentia, exhibendi haberetur certissimus Quæ omnia sic disposita, vt vestro sacro Conuentui visa sunt fore necessaria, quin inuenire nequiuistis, Diuina inspirante gratia, hæc singula nobiscum pro captu, & viribus vestris, partim ex Diuinæ Scripturæ, aut Sanctorum Conciliorum auctoritate, partim ex vsu quorumdam Religiosorum virorum, aut locorum: partim prout melius arbitrari potuimus, cœpistis statuere, statuta vestræ solummodò Congregationi tradere, & tradita semper tenenda mandare. Quibus seruandis cùm Sanctitas Vestra satis intenderet, cœpit super quibusdam eorum obliuione, & diuersitate immemorem oriri dubietas. Quæ de re charitati vestræ mihi iniungere placuit, vt hæc omnia, quæ vel ex auctoritate Diuinarum Scripturarum, seu Sanctorum Conciliorum, vel ex consuetudine Regularium locorum, siue virorum, vel ex vestræ deuotionis religioso affectu, aut prouido arbitrio, nobiscum vestris siquidem seruanda tradidistis in vnum digesta transcriberem: ne alicuius occasione ignauiæ, vel relinqui vnquam statuta deberent. Et ideo licet tantæ rei me imparem, & quasi inscium nouerim; elegi tamen magis vestris præceptionibus superbiam declinando obtemperare, quam inuidorum carpentia irrisiones euitare. Hæc ergo quia ad pleniorem Diuinæ legis obseruationem sancti Spiritus gratia fauente, conscripta vestræ solummodò congregationi, prout petitis, seruanda tradidimus. & si incomposita, tamen quia à nobis statuta, & vestro rogatu, iussuque dictata sunt, benignè quæso, suscipite, suscepta seruare, vt per ista ad altiorum præceptorum verticem scandere, & postremò cælestis Regni gloriam consequi valeatis; adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

Quòd Clericorum Ordo, Leuitarum & Apostolorum vices teneat: & eorum vitam imitari, propriis quoque facultatibus, necnon voluntatibus renunciare debernt. Cap. I.

CLericorum Ordinem in Ecclesia Tribus Leuiticæ locum tenere, & Apostolicæ dignitatis iura seruare, & officia gerere, nemo sanè sapiens dubitat. Vnde certum est, eos Leuitarum, & Apostolorum regulas & vitas imitari debere: quoniam noscuntur locum tenere, dignitatem habere & officia gerere. Quæ enim lex Leuitis, & quæ à Domino regula datur Apostolis, hanc eandem Catholicis pariter Clericis, vsque in finem mundi vices eorum supplentibus, indictam, nequaquam ambigitur. Equidem quod Leuitis interdicitur, adhuc in vmbra gradientibus, quomodo nobis conceditur iam in veritate persistentibus? cum multa legamus illis fuisse permissa, quæ nobis proculdubio sunt prohibita? Aaron itaque, & filiis eius, cæterisque
Num. 18. Leuitis à Domino dicitur: *In terra filiorum Israël nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego enim pars & hereditas vestra in medio filiorum Israel.* Et paulò post subsequitur: *Filiis Leui dedi omnis decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et de eisdem post pauca:
Ibid. *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum & necessaria separaui.* Et hæc quidem in veteri. In nouo autem Testamento, quid cuique sui discipulatus perfectioni adhærere volenti
Matt. 19. dixerit, audiamus: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et alibi:
Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Etiam alio loco, cum Apostolos ad prædicandum mitteret, prohibuit eis, dicens: *Nolite possidere aurum vel argentum*
Matt. 10. Quod se Petrus implesse euidenter ostendit, dicens:
Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi.* Hoc etiam cæteros Apostolos fecisse testatur idem Petrus, cum pro se,
A & aliis condiscipulis suis interrogat Dominum, dicens: *Domine ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur erit nobis?* cui, & in quo omnibus idem facientibus respondens Dominus, dicit: Matt. 19.
Ibid. *Amen, amen dico vobis: quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hæc Leuitis, & hæc Apostolis mandata sunt vtrisque; vna regula, & eadem lex præcipitur; vtrisque possessio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alij regula & lege ista tenentur, nisi Clerici, qui Leuitarum Domini, & Discipulorum Christi locum tenent, ministerium implent, vices seruant, ordinem habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum, & perpetuò implêdum, Ecclesiis suis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac deci-
B mas rerum Deus dari instituit; quatenus ij, qui Diuino cultui mancipati propriis facultatibus expoliantur, sibi statuta perpetuò stipendia haberent, vnde viuant, Ecclesiæ seruiant, & pauperum necessitatibus subministrêt, atque studiosiùs quæque sui Ordinis ministeria impleant, nulliusque rei, vel necessitatis occasione ab his vnquam se separent, aut sæcularibus negotiis intendât. Ex his igitur patenter ostenditur, Christo militâtibus Clericis fore illicitû & terrenas facultates tenere, & res Ecclesiæ sumere; in sæculo patrimonium habere, & Ecclesiarum portionem suscipere. Cui sententiæ confirmandæ aptatur illud Apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; vt placeat, cui se* 2. Tim. 2.

probauit. Et illud Salomonis: *Væ peccatori ingredienti duabus viis.* (*Eccli. 2.*) Quapropter qui Christi discipulatum sequi voluerit, sæcularibus negotiis renunciare debebit; & qui semel sacer effectus, & de Sacro viuere cœpit, iam ad viuendum Sacris vti præcipitur. Sed ne soli hoc super vita & regula Catholicorum Clericorum videamur sentire, accedāt & alij testes in idem consensientes, viri religiosissimi, & omni scientia plenissimi: Hieronymus videlicet, Augustinus, & Prosper, & quid super hoc dixerint, vel intellexerint, audiamus. Hieronymus ad Nepotianum, de vita & moribus Clericorum inter cætera scribit, dicens (*S. Hieronymus.*): Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prælata, nitatur esse quod dicitur. Si enim Cleros græcè, latinè sors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de sorte sunt Domini: vel quia Dominus ipse sors, id est, pars Ecclesiarum est: & quia vel ipse Clericus pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui possidet Dominum, & cū Propheta dicit: *Pars mea Dominus*, (*Psal. 15.*) nihil extra Dominum habere potest. Quod si quispiam aliud habuerit præter Dominū, pars eius non erit Dominus; verbi gratia, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus; sed quasi Leuita & Sacerdos viuo decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Et post pauca in eadem Epistola eidem scribit, dicens: Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarū, quomodo possunt esse Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Huc usque Hieronymus. Augustinus autem in nonodecimo capitulo libri de Verbis Domini sic scribit, dicens (*S. Augustinus.* *Luc. 3.*): *Venerunt autem & Publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum; Magister quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis, quàm quod constitutum est vobis. Et post pauca interrogauerūt eum milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* Hic iàm cognoscere se debet omnis homo, qui militat. Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideò hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, & protectoribus, cunctisque rectoribus, & quicumque stipendia sibi publicè data consequitur; si amplius quærit, tanquam calumniator, & concussor Ioannis sententia condemnatur. Et paulò post addit, dicens: Nam & Clericus Catholicus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur esse quàm Clericus, & cætera. Qui (vt facta eius magis loquerentur, quàm lingua) in domo ipsa Episcopi statuit Monasterium Clericorum; ecce quomodò viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium; sed fortè aliqui habent? nulli licet; si qui habent, faciunt quod non licet. Hæc Augustinus. Sed nunc quid inde beatus senserit Prosper, audiamus (*S. Prosper.*): Proinde quem possidendi, inquit, delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creauit, expedita mente possidet omnia quæ creauit, expedita

A mente possideat, & in eo habebit, quæcumque Sancti habere desiderant; sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; sit ipse primitus Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor, & portio. Et paulò post subiungit, dicēs: Quid vltra quærit, cui omnia suus creditor fit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Et post pauca in eodem Capitulo: Quis, inquit, cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? Aut quis præ amore illius omnia, quæ putantur magna, non contemnit? Ergo qui Deum vult possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio. Nec renunciet mundo is, quem terrenæ possessionis delectat ambitio; quia quamdiu sua non relinquit mundo, cuius bona retinet, seruit. Et vtique non potest mundo seruire,

B simul & Deo; ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renunciare, propter quę diligitur mundus, vt exclusa cupiditate mundi, Diuina in eis charitas possit augeri, vel perfici. Et ideò decimas frugum atque primitias, primogenita & sacrificia pro peccato, vel vota, quæ sibi Deus iussit offerri, Sacerdotibus, ac ministris distribui debere constituit, vt deuotissimo populo necessaria ministrante, ipsi Creatori, ac pastori suo liberis mentibus ministrarent. Hucusque Prosper. Nunc iam igitur ista de propriis facultatibus renunciandis sufficiant. Quod autem, fratres charissimi, propriis etiam voluntatibus renunciare debeatis, euidenter Dominus in Euangelio ostendit, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & sequatur me.* (*Matth. 16.*)

C Et: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; & qui perdiderit eam propter me, inueniet eam.* (*Ioan. 5. & 6.*) Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et alibi sacra perdocemur Scriptura: *Fili auertere à voluntatibus tuis.* (*Eccli. 18.*) Nam sicut alibi dicitur: *Voluptas habet pœnam, necessitas parit coronam.* Et in alio loco præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas*: quas qui sequuntur, quid de eis per Prophetam dicitur, audiant: *Corrupti, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.* (*Psal. 13.*) Vnde idem Propheta voce Prælatorum suscepta scribit, dicens: *Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* His ergo exemplis, fratres, commoniti, aliis pro Deo subesse non recusemus, sed penitus nostris voluntatibus renunciatis, Christi vo-

D luntatem alieno, sed spirituali, ac discreto arbitrio in omnibus exequamur.

Quid præ omnibus Canonici imitari debeant.

CAPVT II.

ANte omnia igitur Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis monitis edocemur (*Deut. 6.*), Dominum Deum nostrum, toto corde, tota anima, & tota virtute: & proximos nostros vt nosmetipsos diligere. Ex his enim duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ (*Matth. 22.*). Non ergo occidant, non aliquem

E odio habeant, non adulterent, furtum non faciant, alienam rem non concupiscant, falsum testimoniū non dicāt, quicquid sibi optant fieri, hoc alteri exhibeant: & quod sibi nolunt, alteri non faciant. Nō sint superbia tumidi, luxuriæ & ebrietati non seruiant. Fratribus non detrahant; libidini & impudicitiæ penitus resistant, iracundiam tēperent, inuidiam abiiciant. Non sint vaniloqui, non pigri, non susurrones, non murmuratores, non somnolenti, non vinolenti, non nimis edaces, non maledici, maledicentibus benedicant, persequentibus & calumniantibus ex affectu orationis suffragium præbeant (*Ex Regul. S. Benedict. c. 4.*); malum pro malo non reddant, sed bo-

num pro malo reſtituant, vindictam non requirant, A læſi non lædant, omnem iniuriam & offenſam dimittant; ſolis occaſum iracundiæ occaſu præueniant. Iuramenta abſque ineuitabili neceſſitate nec aliis faciant, nec ab aliis exigant; fraudes & doloſitates caueant; vſuris nequaquam inſeruiant; malum ſibi imputent, bonum ſoli Deo attribuant; diſcordiam fugiant; diſcordantes ad concordiam reuocent; audiant dicentem Apoſtolum: Rom. 13. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Christum*, ſobriè & iuſtè ac piè viuant, ab omni malo declinantes, & facientes bonum; ſæculi negotia cuncta prorſus abiiciant, illud attendentes Apoſtolicum: B 1. Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt placeat ei, cui ſe probauit.* Ament præterea ieiunium, pauperes recreent, hoſpites colligant, nudos veſtiant, infirmos viſitent, mortuos ſepeliant, tribulantibus ſubueniant, dolentes conſolentur, cum flentibus fleant, cum gaudentibus gaudeant, charitatem non derelinquant; pacem, ſi fieri poteſt, cum omnibus habeant; diem iudicii timeant, vitam æternam per omnia concupiſcant; ſpem ſuam Deo committant, amori Chriſti nihil præponant; Prælatorum ſuorum imperiis per cuncta obediant; proprio Epiſcopo in omnibus ſecundùm Canonum inſtitutionem obtemperent; poſtremò ſpiritualibus doctrinis operam tribuant; C lectionibus, pſalmis, hymnis, canticis, & cæterorum bonorum operum exercitiis vigilanter inſiſtant, auerſos reuocent, conuerſos vita & doctrina ad meliora pertrahant; religionem ac propoſitum ſuum nequaquam illicitis actibus deturpent, contubernia fœminarum nullatenus appetant; vanis oculis, infrænis lingua, tumido quoque ac petulanti geſtu & diſſolutis renibus non incedant; ſpectaculis & pompis ſæcularibus non interſint; aleæ, aut quibuslibet venationibus minimè inſeruiant; pretioſas veſtes ſe ſe habere non delectentur; turpium lucrorum occupationes nequaquam appetant, ſæcularia officia prorſus abiiciant; pro Diuinæ medicinæ beneficiis D munera non ſuſcipiant, per ambitionem honorum gradus non ſubeant; pudorem & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant; obſcœnitatem non ſolùm operum, ſed & verborum penitus execrentur, viduarum & virginum frequentes viſitationes fugiant; caſtimoniam inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant; nulloque iactantiæ ſtudio ſemetipſos extollant; poſtremò vitiis omnibus reſiſtant ac renuncient, virtutibus adhæreant, atque eas ſemper poſſideant; legi Diuinæ & ſanctarum Scripturarum monitis obtemperent, corpus caſtigent, delicias non ament, iram non perficiant, tempus iracundiæ non ſeruent, fictam pacem nõ tribuant; veritatem corde & ore E proferre ſtudeant; orationibus, & officiis Diuinis Regul. S. Bened. c. 4. aſſiſtentes, hoc cordibus pſallant, quod ore proferunt, actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodiant; cogitationes malas ad Chriſtum allidant, & Senioribus ſuis patefaciant: verba vana, aut otioſa, vel riſui apta nullatenus proferant; multiloquium, riſumque & maximè excuſſum fugiant, dicente Domino Luc. 6. in Euangelio: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* Et Eccli. 21. in Propheta: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.* Lectioni, & orationi ſine intermiſſione incumbant. Præterita mala ſemper in oratione Deo cum gemitu confiteantur, & ab his penitus non deſiſtant, carnis deſideria non perficiant: voluntatem propriam odio habeant, & Chriſti voluntatem in omnibus impleant: Prælatorum ſuorum ordinationibus & iuſſionibus non reſiſtant: etiam ſi ipſi, quod abſit, aliter agant, recolentes illud Domini præceptum, dicentis: *Quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite.* Matth. 23. Iuniores ſpiritualiter diligant, ſeniores honorent: pro iunioribus in Dei amore exorent: inuicem ſe diligant; viciſſim ſibi ſecundùm ordinem Charitatis officio ſubminiſtrent; grauitatem non ſolùm in loquendo, vel operando, ſed & in eundo, vel ſtando teneant: decorem morum, ſanctitatem, honeſtatem non ſolùm actionum, ſed & locutionum habeant: omnes, quibus ſe iunxerint, ſale ſapientiæ condiant, & eos ſuis exemplis ad meliora trahant. Poſtremò omnia, quæ veteris, B vel noui Teſtamenti ſeries narrat, confiteantur, & credant, ſeruent, & doceant. Ad horum ergo, Fratres chariſſimi, & his ſimilium obſeruationem hæc omnia, quæ me veſtra Charitas ſcribere compulit, vobis facienda ſtatuiſtis: quorum etſi aliqua videantur quaſi alia, pro his tamen ſeruandis, & animabus ſaluandis honeſtiſque conuerſationis moribus imitandis ſunt inuenta. Iſta ergo, benignè rogo, ſuſcipite, ſuſcepta ſeruate, & in ſeruando perſiſtite, quatenus per hæc ad plenioris arcem ſanctitatis, & ad ſummam religionis perfectionem, & poſt vitæ præſentis labores ad gloriam ſempiternæ beatitudinis peruenire mereamini.

C *Quòd his exemplis fratres communiti, propriis facultatibus, & voluntatibus renunciauerint.*

CAPVT III.

HIs vos Diuinarum Scripturarum monitis, Fratres chariſſimi, & ſanctorum Patrum parentes exemplis, cuncta ſæculi negotia, & mundum cum pompis ſuis reliquiſtis, propriis rebus & voluntatibus, ac terrenis facultatibus renunciaſtis, & hanc Regulam à ſocietate veſtra perpetuò tenendam ſtatuiſtis; quatenus qui hic voluntaria propriæ deſideriis reſtitiſtis, & rebus ſæcularibus renunciaſtis, illic ſanctæ veſtræ voluntatis pleniſſi- D ma deſideria effectu comprehendatis, & perennis vitæ inæſtimabiles, & aſſiduas delicias ſine fine poſſideatis.

Quòd vnus præeſſe cæteris debeat.

CAPVT IV.

QVòd autem in vnaquaque Congregatione Canonica vnus eligendus ſit, qui cæteris præeſſe debeat, & vſus Eccleſiaſticus diuinitus inſpiratus exigit, & in veteri, & in nouo Teſtamento euidenter oſtenditur: cum Moyſen, & poſt Moyſen Ioſue, omnibus filiis Iſrael, & Aaron cæteris Le- E uitis, Petrum quoque cæteris Diſcipulis Dominus præpoſuerit.

Qualis eſſe debeat, qui ad Prioratum eligitur.

CAPVT V.

QValis eſſe debeat, qui præfertur, trina Do- Io. 21. mini interrogatio, & trina Petri manifeſtè monſtrat reſponſio. Cùm enim paſcendarum ouium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum, ſi diligat: & ter Petrus reſpondet, quia amat: & ter Dominus iubet, vt paſcat.

seat. Trinam igitur Domini interrogationem A trina Petri de dilectione responsio, & trinam eius responsionem trina pascendi gregis iniunctio sequitur. Sed nunc quomodò trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet, qui Deum, & quæ Dei sunt, mente credit, & amat; voce confitetur, & prædicat; opere imitatur, & seruat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum sicut debemus, exquirimus, præuidemus, & discutimus, vtrum eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quòd si cordis fidem & dilectionem, competens sermo, & actus foris ostendit, trinæ interrogationi iam satisfacit trina responsio. Cui etiam benè ter pascendi gregis cura iniungitur; quià quisquis oues pascendas suscipit cordis iugi vigilantia prospicere, vocis officio monere, & defendere, & actuum exemplis semper eas ad Christum debet pertrahere. Illi ergo rectè pascendi gregis cura iniungitur, qui in mente plenam habet fidem, & dilectionem interius, & in voce perfectè monendi, liberè arguendi, prudenter exhortandi scientiam, & possibilitatem exterius: & qui opere quæcunque loquitur, seruat, & sequitur. Nec quisquam pro qualibet culpa, si iam satisfecerit, in hoc officio recusandus est; cum & Petro post trinæ negationis lacrymabilem satisfactionem, quia trina in eum dilectio patuit, gregis à Domino iniuncta sit pastio. C Hæc igitur trinæ dilectionis forma. Fratres charissimi, in primo Pastore, non ab alio, quàm à Christo præfigurata, in eligendis est præuidenda, non solùm Prioribus, sed & omnibus personis in Ecclesia præferendis.

Vt post Prioris obitum intra tres, vel quatuor hebdomadas eligatur alius.

Cap. VI.

S. Ben. Reg. cap. 13.

SAnctitas vestra, dilectissimi Fratres, summoperè rogo, semper vt studeat, ne quandoque hæc vestra Congregatio vltra tres, vel quatuor hebdomadas Priore viduata remaneat: sed intra hunc D terminum collectis in vnum fratribus, & diligenter super eligendo pertractatis omnibus, si sit cunctorum minimus, ille tamen concorditer eligatur ab omnibus, qui fide, & sanctitate præstantior, discretione prudentior, charitate feruentior, scientia quoque, si fieri potest, sit plenior: quique Fratrum animas, & corpora sapienter custodire, regulariter regere sciat, & valeat. Quòd si in eligendo ex diuersitate personarum orta fuerit inter fratres discordia, in tantum vt vltra statutum terminum differatur electio, tunc Prælati Ecclesiæ statuto in communi, cum oratione, & ieiunio eum eligant, quem ad hoc meliorem co- E gnouerint, & cuius electioni plures, & meliores fratres consenserint.

Qualiter ordinetur Electus.

CAPVT VII.

CVm ergo Prior ordinatur, præparatis ad Missam Officiis, & persolutis Horæ tertiæ laudibus, fratribus astantibus, prosternat se in medio is, qui ordinandus est: cui Præpositus, vel Maior Presbyter per iussum, & consensum Fratrum, dicat ista, vel similia verba: Frater N. iniungunt tibi fratres tui ex obedientia, vt de cætero corporibus, & animabus eorum secundùm Deum subministres. Ad quæ ille hæc, vel alia similis subsequenter respondeat; Quia voluntati Dei, & iussioni vestræ parere debeo, onus, quod imponitis, non recuso, sed pro charitate suscipio, & secundùm Deum portare promitto. Moxque à fratribus respondeatur: *Suscepimus Deus*, & cætera, vt moris est, cum *Gloria*, & *Kyrie eleison* ter, & Oratione Dominica, & Capitulis competentibus. Deinde sequitur hæc, vel alia similis Oratio. S. Ben. Reg. cap. 58.

Oratio super Priorem.

OMnipotens sempiterne Deus, benignitatis tuæ clementiam suppliciter petimus, vt B hic famulus tuus semper sibi tuæ opis sentiat adesse suffragium, quatenus gregem tuum sic in præsenti regat, atque custodiat, vt in futuro felicitatis æternæ præmia cum ipso pariter percipere valeat. Per Dominum nostrum, &c. Amen. Et exinde in loco Prioris sedeat, & Prioratus sui Officium gerat.

Quid Prior post ordinationem suam facere debeat.

CAPVT VIII.

C ORdinatus itaque Prior, Fratrum in Congregatione iam susceptorum, & animas, & corpora canonicè regere, & suscipiendos debet canonicè suscipere. Primò itaque qualiter fratrum susceptio, deinde qualiter susceptorum gubernatio fieri debeat, ostendamus.

Qualiter, & in quâ ætate Parentes filios suos Ecclesiæ tradere valeant.

CAPVT IX.

SI quis fidelis Laïcus filium suum intra ætatem annorum quatuordecim, per deuotionem Ecclesiæ offerre, & Diuino cultui mancipare voluerit, D præsente Priore cum Fratribus, repræsentet eum ante Altare in his, vel similibus verbis: Ego fideli animo hunc filium meum N. Deo Omnipotenti, & his Sanctorum Pignoribus trado, & vestræ fraternitati in omnibus associo, ac sanctitati nutriendo committo. Ponatque super Altare Chartulam continentem eadem verba. Post hæc puero prostrato, vel posito ante Altare dicatur versus: *Suscepimus Deus*, cum *Gloria*, & *Kyrie eleison*, & Oratione Dominica, & Capitulis congruentibus. Sequatur Oratio competens, quæ habetur in sequentibus. Post tres itaque, vel quatuor ablactationis annos, si sic paruus offertur, Clericus effe- E ctus ab omnibus diligatur vt filius. Post annos verò quatuordecim, non potest pater eum offerre, nisi filius voluerit. Huius enim ætatis hominibus, inuitis quoque Parentibus, licitum est habitum Religionis suscipere, quem elegerint. Qui ergo sui iuris sunt, vel in se, vel in suo tradendo, & se frequenter ad Clerum vestrum suscipi postulauerint, non indiscretè suscipiantur, quia, secundum Apostolum, *non omni spiritui credendum est, sed magis probetur vtrum sit ex Deo.* Probationis autem modum, & tempus certum non statuimus, sed in prudentia, & arbitrio Prioris, vel pariter Fratrum semper statuendum dimittimus. Aliter namque probandi sunt parui, aliter magni, aliter sani, & fortes, aliter infirmi, & debiles: aliter

S. Ben. Reg. cap. 58.

1. Io. 4.

diuitiis, & deliciis, aliter laboribus, & inopiis A assueti: aliter quantum vita secura, seu dubia: scientia certa vel incerta: voluntas nota, vel incognita. Quorum omnium distinctione, perspecta Prioris diligentia vigilanter attendat, & prudenti arbitrio modum, & tempus probationis, secundum quod cuique conuenit, statuit. Qui probati, si suscipiendi videntur, legalem ante omnia de patrimoniis, & rebus suis, si habeantur, dispositionem faciant: ea vel propinquis relinquentes, vel pauperibus erogantes, vel Ecclesiæ offerentes. Qua facta & frequenter prius Regula, quam seruaturi sunt, audita, deducantur in Choro, & Clerici secundum vsum, & ordinem efficiantur. Post hæc præsentibus fratribus, prostrati in medio, legant Chartulam continentem hæc, vel similia verba, Ego N. meipsum Omnipotenti Deo offero: & B seruitium, ac stabilitatem meam his Sanctorum Pignoribus, obedientiam quoque Prælatis huius Ecclesiæ secundùm Deum, & Ordinem vestrum in eo promitto. Moxque fratres, Deo gratias respondentes, subiungant Versum: *Suscepimus Deus*, pro more cum *Gloria*, & *Kyrie eleison* ter, & Oratione Dominica, & Capitulis competentibus, deinde Oratio hæc sequatur, vel similis.

Oratio super Professum.

FAmulum tuum Domine, quæsumus, prò tui nominis amore sæculo renunciantem benignè suscipias, & Spiritus tui gratia perfundas: qua C confirmatus, & peccatis omnibus absolutus, promissa perseueranter impleat, & ad vitam æternam perueniat. Deinde coniunctus fratribus, sub omnibus ante se ingressis, hilariter maneat, & susceptum Ordinem semper implere, & fideliter tenere studeat. Quòd si ante quatuordecim annos oblatus Parentibus venerit, teneatur inter pueros, & nutriatur. Post hanc autem ætatem facta dispositione, si quid habet, & ad Clericatum, & ad professionem modo superiùs comprehensa suscipiatur, superiorem modum professione facta, suscipiatur in Fratrum Collegio.

Vt in aggregandis fratribus modus teneatur pro quantitate Ecclesiasticæ facultatis.

CAPVT XI.

PRælati Ecclesiarum summopere studeant, ne in Congregatione sibi commissa, vel plures admittant, quàm Ecclesiæ facultates exigant: vel eos, quibus possunt sufficere, auaritiæ causa relinquant. In minimis namque locis pauci admittendi sunt numero, sed magni scientia, virtute & merito; vt quod fratrum paucitas denegat, multitudo scientiæ, virtutis, & meriti subministret.

Vt noniter suscepti cæteris subesse non erubescant.

CAPVT XII.

SVscepti itaque Fratres, aliis ante se ingressis S. Ben. licet minoris gradus, vel ætatis, aut scientiæ Reg. c. 63. sint, subesse tamen non erubescant, & sub ipsis ferre iugum obedientiæ non recusent. Quia satis melius est hic humiliari, vt in futuro exaltemur, quàm hic exaltari, vnde postremò humiliemur. Et quantò plus hic pro Christi nomine subiicimur, tantò plus in futuro sine dubio exaltabimur. Quapropter nulli vnquam recusandum est, humilibus etiam, & abiectis personis reuerentiam ferre, in quibus veraciter Christo cognoscimus ministrare.

Quòd Prior minimos etiam, & nuper ingressos, aliis præferre debeat, si hoc Fratrum vtilitas deposcat.

CAPVT XIII.

QVòd si Prior de minimis etiam, & nuper in- S. Ben. gressis aliquos, vt præsint, posse Congregatio- Reg. c. 63. ni prodesse cognouerit, non solùm eos præferre non interdicimus, sed & mandamus. Quoniam D Præpositi Ecclesiarum non sunt personaliter constituendi, vel eo ordine, quo suscepti sunt in Fratrum Collegio, sed pro vitæ meritis, & donorum spiritualium prærogatiuis; vt ii semper præsint, qui verbo doctrinæ, & opere sanctitatis, & bonos ad meliora animent, & malos à peruersitate reuocent.

Qualiter Prælatis subiecti obedire debeant.

CAPVT XIV.

OMnia quæcunque secundùm Deum, & sanctam Fratrum conuersationem Prælati mandauerint, subditi quique humiliter, libenter & sine mora suscipiant, alacriter impleant, & diligenter, 2. Cor. 9. ac sine murmuratione perficiat. *Hilarem namque*, ait Apostolus, *datorem diligit Deus*. Sicut ergo hilarem diligit, ita sine dubio tristem, & murmurantem odit. Et ideo murmurationem, & inobedientiam omni loco, & tempore, vt ratio exigit, damnandam penitus esse censemus. Quapropter nihil à Fratribus cum tristitia, vel murmuratione fiat; sed cuncta Seniorum mandata festiuè percipiant, & cum alacritate perficiant. Quòd si etiam impossibile videatur, quod iniungitur, suscipere quidem hoc fratres non recusent, exemplo Christi commoniti. Qui Patri obediens, mortem etiam

De susceptione omnium Clericorum non ordinatorum, notorum quoque, & incognitorum.

CAPVT X.

S. Ben. Reg. c. 60. & 61. SI quis verò Clericus non habens Ordines, nec Ecclesiæ alicui professione propria, vel paterna traditus, vestro Collegio se sociari petierit, & in petendo perseuerauerit, probetur primò, vt supra significauimus; deinde Regula perlecta vel audita, & intellecta, si cuncta se seruaturum promiserit, Episcopi, aut etiam Archidiaconi, seu Archipresbyteri sui acquisita licentia, per consensum eorundem personarum illius Episcopatus, in cuius diœcesi se recipi deprecatur, susceptionis ei aditus non negetur. Quòd si maiores, vel minores E etiam gradus habuerit, post probationem factam, & Regulam frequenter auditam Canonicè petitus; ac dimissus, suscipiatur ad professionem, secundùm quod superius diximus. Si autem peregrinus seu de incognitis partibus Clericus se recipi rogauerit, non citò audiatur, nec quandoque eius petitioni annuatur, nisi habeat commendatitias, quæ certè sint sui Episcopi, litteras, in quibus vita eius, & votum, gradus, & Episcopalis licentia innotescat. Is ergo cura diligentissima per prolixa tempora probatus in omnibus, Regula quoque frequenter audita, suscipi debeat, præsentis Ecclesiæ Episcopo permittente, secundùm

suscipere non recusauit. Verùm qui huius perfectionis Normam sequi non possunt, cum præcepti obseruatione grauari incipiunt, & ad impossibile veniunt, Senioribus suis hoc humiliter denuncient: quos Prælati non spernant, sed vinculo importabilis oneris soluant: ne, quod absit, si aliter fecerint, & illi importabile onus leui deponant, vt credo, peccato; & isti ex numero eorum efficiantur, de
Matth. 23. quibus dictum est: *Imponunt onera grauia, & importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere.*

Quòd Canonici nihil habere, vel possidere, dare, vel accipere minimè debeant.

CAP. XV.

S. Ben. Reg. cap. 38. CVm huius nostræ Congregationis Fratres non solùm facultatibus, sed & voluntatibus propriis in ipsa Ordinis susceptione renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, vel possidere, dare, vel accipere sine sui Prioris licentia, debere. Quod si propinquus, vel amicus quilibet Fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.

Quomodò Fratres ad se venientes alloqui debeant.

CAP. XVI.

SI qui aduenientes cum aliquo Fratrum loqui quæsierint, & Prior ex charitate, vel necessitate concesserit, tribuatur ei socius prudés, & prouidus, in quo nulla sit mali suspicio; quo præsente quicquid audiendum est, audiat: & quicquid respondendum est, respondeat. Si quid tamen secretius dici oporteat, illis non negetur, de quorum stabilitate nequaquam ambigitur. Pueris autem,
D & his, quorum vita dubia est, minime concedatur, nisi testis, vt dictum est, affuerit.

Si Fratres litteras mittere, vel suscipere debeant.

CAP. XVII.

S. Ben. Reg. cap. 54. SI quando Prior necessarium viderit aliquem Fratrum cuiquam litteras mittere, ipse eas fieri, factas perlegi, perlectas a quo voluerit portari præcipiat. Quòd si cuiquam eorum litteræ, ab aliis missæ deferantur, non is, cui mittuntur, sed aliquis de Prælatis eas suscipiat, Priori dandas. Quas cum Prior opertas perlegerit, illi etiam cui missæ sunt, & aliis ostendat, si oportuerit.
E

Si hi, qui litterati sunt, docere aliquid audeant.

CAP. XVIII.

SI qui Canonicorum humilia sentientes, non arrogantiam habentes, in tantum fuerint litteris eruditi, & Diuinarum Scripturarum scientia pleni, vt inde aliquid vtilitatis afferre valeant; & Prior iustum probauerit, & necessarium viderit, omni protsus inuidiæ, & odij remoto fomite, concedat eis, vel præcipiat in his laborare, quorum scientiam magis necessariam vtilemque perspexerit.

Quòd Prælati animas, & corpora subditorum regere debeant.

CAPVT XIX.

PRælati itaque Ecclesiarum, iugi cura super sibi commissos fratres inuigilent; & eorum non solùm animas, sed & corpora sic regere, tueri, & pascere studeant, vt nullius necessitatis causa peccandi occasionem inueniant. Et sicut eis cuncta necessaria Prælati subministrare non desistunt, ita & ab ipsis cura instantissima totius Ordinis obseruationum indesinenter exquiratur. Sed cum omnis
B ferè obseruatio Ordinis intra Claustri mœnia principaliter fieri soleat, vbi grex Dominicus communiter commorari, & maiorum iussis obtemperare præcipitur: ante omnia quid sit Claustrum, & quas in eo Officinas fieri oporteat, cóscribamus; vt post, quæ in his agenda sint, liberiùs prosequamur.

De Claustro, & eius Officinis.

CAPVT XX.

QVid sit Claustrum, ipsa sui nominis explanatione cognoscitur. Claustrum namque dicitur
C clausum atrium, eo quòd Ecclesiæ atrium muris, vel aliis parietibus vndique claudendum sit, intra quod cunctæ Canonicorum Officinæ, & omnia eorum vsibus ædificia necessaria fiant; id est, Sacrarium, Armarium, Capitulum, Vestiarium, Dormitorium, Digestorium, Calefactorium, Refectorium, Coquina, Cellarium, Molendinum, Pistrinum, & Camera; loca quoque senum, & infirmantium, loca quoque, si fieri potest, puerorum, & adolescentium sub munitissima adhuc disciplina manentium, ne fortè si morentur cum fratribus, impedimento sint legentibus, ac meditantibus. Quòd si hoc non potest fieri in remotiori parte Claustri, eos esse sub Magistro, & Custode Prior instituat: vbi sub eorum arcta custodia manentes, quæcunque necessaria sunt, addiscant: & quæque mandantur, perficiant. S. Ben. Reg. cap. 66.

De Ædificiis familiæ.

CAPVT XXI.

FIant extra hæc intra eiusdem Claustri mœnia ab his penitus disiuncta ædificia, vbi omnes artifices, ac laboratores Ecclesiæ cunctaque prorsus familia omnes necessitudines suas habere, & quique sua officia gerere, vel quæ ad officia sua gerenda pertinent, seruare valeant. S. Ben. Reg. cap. 57.

De interiori Claustro, & de districtione Fratrum.

CAPVT XXII.

CLaustrum verò interius Canonicis deputetur solummodò, vbi ipsi sine omni inquietudine commorantes, Deo fideliter seruiant, propositi sui rectum tramitem teneant, ordinem proprium impleant, Prælatorum iussis incessanter obediant, vicissim sibi charitatis officio secúdùm ordinem seruiant, & ab vniuersis illicitis, & ordini ac proposito eorum contrariis penitus abstineant. Quisque ergo loco sibi deputato sedeat, Præpositi sui iussis obtemperans, nec inde ei ad aliam partem sine illius præcepto declinare liceat; quoniam instabilitatis vitium est, cum non vrgeat necessitas nunc esse hic,

nunc illic; cum isto nunc; nunc cum illo agi A & confabulari: & hoc sine dubio instinctu diaboli agitur, vt fratres, qui legere, & inde meditari, psallere & orare, aut aliquid operari debuerant, ab his auersi ad inania peccando deducantur, ne perficiant. Quapropter hoc vitium à Fratribus abscindatur radicitus, & qui eo in Conuentu vtitur, sic inde iudicetur, vt de cætero alij nequaquam hoc attentare audeant. Sint ergo Canonici grauitatis amici, dicente Propheta: *In populo graui laudabo te.* Nec citò in verbum prorumpant, nec

Psal. 34. citò de loco in locum se moueant: nisi cum Prælati præceptio mandat, vel Ordo, aut necessitas, seu Diuinæ legis obedientia postulat. Ambulantes verò, non cursim, aut indecenti, seu tumido gressu incedant. Verba autem scurrilia, vana & otiosa, risúmque mouentia, nusquam si potest fieri, proferant, confabulationibus nequaquam incumbant. Excussum risum non solùm in Claustro, B sed & in omnibus locis à se penitus abscindant; recolentes illud Euangelicum: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* Illud enim Salomonis: *Risus dolore miscebitur.* Et, *Stultus in risu exaltat vocem suam.* Sanctis verò lectionibus vacent, Diuinis officiis aliis, sacris doctrinis pro Prioris iusso discendis insistant, psalmis, hymnis & canticis spiritualibus incumbant; priuatis quoque orationibus si vacet, cum licentia tamen intendant. Faciant quandoque & aliquid operis in Claustro decentis fieri, quod fratres legentes, vel psallentes, aut de Diuina Scriptura meditantes, vel aliis sanis C doctrinis insistentes nequaquam impediat. De Claustro verò sine Prioris, vel eius vicem fungentis licentia nequaquam exeant: egressi, vltra quam sibi statutum fuerit, absque ineuitabili necessitate, morari non audeant. Soli nunquam eant, bonosque eis Prælatus socios tribuat, sine quibus nec ipsi alios, nec alij ipsos alloquantur.

Luc. 6. Prov. 14. Eccl. 21.

De foris mittendis Fratribus.

CAPVT XXIII.

TAles fratres, optimis tamen deputatis sociis, Prælati pro quolibet negotio gerendo, D seu responso reportando, vel accipiendo, foras mittere studeant, in quibus nulla sit mali suspicio, & qui iniuncti negotij causam prudenter agere, & sapienter perficere valeant. Foras ergo euntes, nihil indecens, nihil reprehensibile, nihilque prorsus Ordini, ac proposito suo contrarium dicant, aut faciant; sed potius omnes, quibus se iunxerint, sale sapientiæ condiant, & ad meliora sanctæ conuersationis exemplis trahant. Virorum autem secreta consilia his, qui foras mittuntur, non negamus, si oportet illis tamen, de quorum vita, & stabilitate non ambigitur. De mulierum verò secreta allocutione, non meum, sed E Hieronymi consilium audiant, dicentis: Si propter officium Clericatus aliqua mulier visitatur, nunquam domum solus introeas, solus cum sola secretò, vel absque arbitro, vel teste non sedeas: si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, maritatam: non est tam inhumana, vt nullam præter te habeat, cui se credere debeat. Non ergo mulierum secreta allocutio Clericis conceditur, nisi fortè probatis Presbyteris, cum earum confessiones suscipiunt. Matres tamen, & sorores, vel amitas, & eas tantùm personas, in quibus nulla est

S. Ben. Reg. c. 50. & 57.

S. Hieronymus.

mali suspicio, fratres vitæ probabilis alloqui non negamus.

Vt Clerici foras non mittantur ad ea quæ per Laicos possunt fieri.

CAPVT XXIV.

QVòd si tales, & tam fideles Laici ex ipsa familia habeantur, per quos omnia, vel quædam exteriora negotia possint prudenter fieri; ad ea, quæ per ipsos valent perfici, Clerici nequaquam mittantur.

Quòd iussu Prioris liceat Fratribus in hortis laborare, vel aliquid tale operari.

CAPVT XXV.

QVòd si talis sit locus, & Prior ad vsus Fratrum aliquos de Congregatione sibi commissa quandoque in hortis laborare, vel aliquid tale, quod oporteat alibi operari mandauerit, mandatis præceptum fideliter, & alacriter, ac sine mora impleatur acceptum.

Quid foras mittendi, cùm egrediuntur, vel regrediuntur facere debeant.

CAPVT XXVI.

CVm verò aliquis Clericus pro iniuncti causa mandati egreditur, inclinato capite, benedictionem petat; cui Prior benedicens, dicat: Angelus Domini bonus comitetur tecum, & Omnipotens Dominus prosperum faciat iter tuum; vel aliquid aliud simile. Vbi autem ille responderit: Amen; abscedat, dicens: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*; cum *Gloria Patri*, &c. siue alia similia. Completa igitur sui itineris causa, rediens, Ecclesiam adeat: & cum breuiter orauerit, exeat, & inclinato capite, fratribus, & si liceat, benedictione petita, mox ad Priorem pergat, & ab eo itidem benedictione suscepta, quid fecerit, & quid sibi de iniuncto mandato contigerit, humiliter referat. Mane verò, siue post Nonam is, qui de via venit, accedat in Capituli medio, & coram fratribus se corde, voce, & actione peccasse pronunciet, flexisque genibus, & corpore prostrato dicat: Mea culpa, peccaui; & fratres respondeant: Parcat tibi Deus; qui tamdiu genua flectens hoc dicat, & fratres hoc respondeant, quousque Prælatus eum stare præcipiat, & pro admissorum qualitate satisfactionis iniungat sententiam, siue in Psalmis, siue in ieiuniis, vel aliis aliquibus obedientiis, si Priori placuerit. Quod ergo pro admissorum satisfactione sibi iniungitur, qua hora, vel quo tempore Prior iusserit, impleant. Quòd si perpauci Psalmi sunt, mox vt de Capitulo egreditur, antequam benedictionem petat, eorum numerum exsoluat. Quo persoluto egrediens benedictionem more solito exquirat. Quandocunque ergo foras diriguntur, hunc modum in eundo, & redeundo tenere debebunt.

Psal. 24.

Qualiter Fratres ad visitandos infirmos, ad concordiam faciendam, ad animas exhortandas, vel ad aliquod bonum disponendum, mitti debeant.

CAPVT XXVII.

SI autem Fratres propter officium Clericatus infirmos visitare, concordiam inter discordes facere; aut ad aliquem locum pro exhortandis animabus, vel rebus aliquibus in bono disponendis ire oporteat; de sapientioribus & sanctioribus, duos, vel tres, aut plures, si necesse fuerit, præcipiat ire Prælatus; vt quæcumque necessaria viderint, sanctè & sapienter perficiant. Quum longè pergere debeant, in eundo, & redeundo, vt superiùs dictum est, faciant.

Si ad Parentes ire oporteat.

CAPVT XXVIII.

SI quem Fratrum patrem, vel matrem, aut propinquos suos visitare Prior, siue ex charitate, siue ex aliqua necessitate permiserit, tali eum magistro, vel socio deputet, cuius præsentiam timeat; & cui reuerentiam ferat; à quo & in cauendis custodiam, & in necessitatibus solatium, & in omnibus suffragium habere valeat. Quòd si talis est C persona, de qua nulla sit suspicio, sine magistro eum, non tamen solum, ire concedat. Nunquam enim frater aliquis solus, nec etiam pueris, vel peruersis hominibus associatus, ad aliquem locum, nisi sit firmissimus, & in perfectione probatus, ire permittatur, sed socios bonos, & probi testimonij viros, si fieri potest, Prior tribuat, cum quibus fratres securè mittantur. Qui euntes, & redeuntes in benedictione petenda, & satisfactione exhibenda, modum superiùs comprehensum seruent & teneant.

Quòd Fratres cum Fratribus priuatà Consilia facere non debeant.

CAPVT XXIX.

SI qui Fratres cum quibusdam aliis Fratribus, vel vnus cum vno priuata consilia facere præsumpserit, exceptis Priore, & Præposito, ac Presbyteris, quibus Prior confessiones dandas instituerit, & semel, bis, & ter commoniti, non corriguntur, Regulari correptioni, velut Ordinis præuaricatores subiaceant.

De Carnali dilectione non habenda: & de disciplina taliter, vel aliter peccantium.

CAPVT XXX.

QVòd si quisquam in hoc Sacro vestro Collegio aliquam immoderatè, & carnaliter dilexerit, eiusque causam diligentiùs quàm aliorum curauerit, vel præ cæteris defendere, seu laudare contra ordinem præsumpserit; vel puerum, siue iuuenculum aliquem vsque ad impudicum tactum infecutus fuerit, & hoc ad fratrum cognitionem peruenerit, multis, duris, ac parentibus verborum, ac verberum correctionibus coarctatus, ac diuturnis ieiuniorum, & orationum laboribus fatigatus, talem huius offensæ

A disciplinam ad tempus sustineat; vt cæteri hoc excogitare pertimescant. Vnde in Conuentu tanta debet semper esse custodia, vt pueri, & iuuenculi facilè iuuenibus non credantur, nisi illis, quorum vita in omnibus inuenitur probatissima. Si tamen, quod absit, quod cuiquam contigerit, & Congregationi occultum fuerit; verùm ad vnius, vel quorumdam agnitionem peruenerit, hoc Priori solummodò nunciandum fore decernimus, vt per ipsum correptus, occultis medicinæ fomentis sanetur, qui occultè deliquerit. Si quis verò hoc, vel alio modo peccauerit, & à nemine deprehensus fuerit, & ipse peccatum suum agnoscens, Priori reuelauerit, quia ipse se reprehendit, & recognouit, leuioris disciplinæ satisfactione sanabitur. Quòd si B verecundia ductus, vel terrore perterritus, Priori hoc reuelare noluerit, alicui Presbyterorum, quem Prior fratrum Confessiones suscipere mandauerit, hoc manifestet, & secundum ipsius iudicium de peccato suo pœnitentiam faciat. Et cauendum, quòd is, qui sine omni accusatione peccatum suum manifestauerit, leuiori: is verò qui accusatus non negauerit, aliquantolum maiori: qui autem accusatus negauerit, cum tandem conuictus, vel confessus fuerit, satisactiori vindictæ subiacere debebit. Illa tamen peccata, quæ turpia sunt, & obscœna, seu grauia, & quorum exempla multum officiunt, nisi ad aures tantorum venerint, vt iam celari non possint, occulta satisfactione sanari debebunt. Quòd si celari nequeunt, manifesta, vt iam dictum, curatione sanentur. Quæ autem leuia sunt, & minuta, atque aperta, & quæ omnes fere ex fragilitate frequentant, secundùm præscriptum modum manifesta accusatione, & satisfactione in Capitulo emendanda censemus.

De his, qui voluerint sub habitu Canonico arctiorem, vel solitariam vitam ducere.

CAPVT XXXI.

D SI qui fratres sob eodem Canonico habitu arctiorem, vel solitariam vitam ducere optauerint, Prælatis suis deuotionem propriam insinuare debebunt: quorum curæ, & studio pertinebit qualitatem respicere personarum: ne illi fortè hoc aggredi cupiant, qui ex debilitate naturæ, ætatis, aut diuturnitate consuetæ debilitatis, insuetum vigiliarum, atque ieiuniorum pondus portare non possunt. His ergo perspectis, illis quidem non interdicimus annuendum, qui cum velint, & quærant, virium subministrante vigore hoc valeant. Verùm si hoc Ecclesiæ detrimentum, vel confratribus spiritoale, vel corporale inferat damnum, consu-E limus penitùs denegandum. Pro his itaque, quibus erit hoc perpetim, vel temporaliter concedendum, habeatur in remotiori loco vndique munita, & clausa Ecclesia, circa quam fiant cellulæ, in quibus ij tales commorentur, secundùm Prioris iussum viuentes, & eius in omnibus sequentes arbitrium.

De virtute silentij.

CAPUT XXXII.

HIs ita praemissis, de silentio quicquid Domini concessu, Fratres proposuerint, subiungamus. Non solùm namque Clericis, sed & Christianis Laicis silenti) virtus tenenda esset, nisi propria, vel aliena necessitas, siue charitas corporalis, aut spiritualis loqui compulerint. Cum enim cessante necessitate, vel charitate verbum quis emittit, otiosum est, quod depromit; à quo eundem fore
Matth. 12. Dominus in Euangelio testatur dicens: *De omni verbo otioso reddetis rationem in die iudicij*, Quid autem sit verbum otiosum, Apostolus prohibendo
Ephes. 4. exponit dicens: *Inutilis sermo de ore vestro non procedat.* Quapropter vt ab illicitis abstinere possimus, à licitis quandoque cessandum est. Ad tollenda igitur de ore vestro verba illicita, iustum est vt designemus certa loca, & tempora, vbi, & quando à licitis etiam, secundùm propositum vestrae sanctitatis, abstinere debeatis.

Vt in Ecclesia, Refectorio, & Dormitorio silentium teneatur.

CAPUT XXXIII.

IN Ecclesia igitur, cum ad Diuina Officia peragenda intramus, & stamus, & Regularis vsus, & Maiorum auctoritas. Diuini quoque Offici) reuerentia debere teneri silentium insinuat. Idem etiam cum ad manducandum in Refectorio, vel communiter bibendum; & in Dormitorio cum ad simul dormiendum intramus, vel stamus, Regularis cautela monstrat esse tenendum.

Quòd omni tempore, à Vesperis vsque in mane cum ad Capitulum venimus, teneatur silentium.

CAPUT XXXIV.

A Vespertinis horis omni tempore. vsque ad alterum diem, cum mane Fratres secundùm
A morem de Capitulo egrediuntur, summum silentium teneant. Aestiuo autem tempore, id est, à Pascha vsque ad Autumnale Aequinoctium, ab hora sexta vsqueque post Nonam de Capitulo egrediuntur, fratres itidem sileant. Hyemali verò tempore, id est, ab Aequinoctio Autumnali vsque ad Pascha, si bis fratres reficiant, ab hora sexta quousque post Nonam de Capitulo egrediuntur, si semel quousque post Nonam non solùm Fratres, sed & seruitores pranti de Ecclesia, & postea de Capitulo egressi fuerint, silentium teneant. In quadragesima tantùm ab hora Nona vsqueque die altera soluatur Capitulum, itidem teneatur silentium.

B *Quòd in quibusdam diebus extra dictum modum teneatur silentium.*

CAPUT XXXV.

PRaeter haec Sanctitati vestrae statuere placuit, vt in summis Festis, toto die Parasceue, silentium in Claustro non soluatur. In praecipuis quoque, & popularibus Festis, à cunctis diebus Dominicis omnes omnino quousque de Capitulo post Nonam egrediantur, silentium teneant; nisi vsus, vel ordo Ecclesiae, charitas, aut necessitas loqui compellat.

C *Vt in tempore silentij in Claustro sine sono fiant omnia, absque inevitabili necessitate.*

CAPUT XXXVI.

QVoties in Claustro tenetur silentium, absque certa necessitate, sine sono legendum, & psallendum; & quicquid ibi agitur, agendum est.

Explicit Liber Primus.

Explicit Prologus.

HIS super quibusdam Fratrum obseruationibus pertractatis, modum quoque binae, & vnius refectionis, abstinentiam insuper, & vsus carnis, ac sanguinis, ouorum, & casei, piscis, & olei, atque vini, pulmentorum quoque qualitatem, & numerum, certamque panis, & vini mensuram. Quae omnia, Fratres Charissimi, Diuina gratia inspirante, nobiscum tenere statuistis, scribere inter has alias vestri Ordinis regulas procurauimus

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

Expliciunt Capitula.

Quomodo viuendum sit inter Octauas Natiuitatis, Apparitionis, & Resurrectionis.

Cap. I.

AB ipsa Dominicæ Natiuitatis, Apparitionis, & Resurrectionis die vsque in earundē Octauis, omne ieiunium exclusistis, sed & carnem Fratribus comedendam nequaquam interdixistis; exceptis quarta & sexta feria, in quibus tantùm vsum sanguinis non abstulistis.

Quomodo viuendum sit ab Octauis Resurrectionis vsque ad Pentecosten: & ab Octaua Natiuitatis vsque ad Epiphaniam.

Cap. II.

AB Octaua verò Resurrectionis, & Natiuitatis, vsque ad Pentecosten, & Epiphaniam, omne itidem ieiunium abstulistis: exceptis illis diebus in quibus ieiunandum fore, vel auctoritas præcipit, B vel vsus monstrat Ecclesiæ. Intra hos tantùm Paschales, & Natalitios dies, quarta, & sexta feria, ac sabbato, carnis esum, vt in aliis temporibus, abnegastis: sed sanguinis vsum quarta feria, & sabbato concessistis.

Qualiter viuendum sit ab ipsa die Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis.

Cap. III.

AB ipso die sancto Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, carnis vsum, & sanguinis dimisistis, & secunda, quarta, ac sexta feria ieiunandum proposuistis.

Qualiter viuendum sit à Natiuitate S. Ioannis Baptistæ vsque ad Æquinoctium Autumnale.

Cap. IV.

A Natiuitate autem S. Ioannis Baptistæ vsque ad festiuitatem S. Matthæi, carnis, & sanguinis vsum quarta, & sexta feria, ac sabbato intercA lusistis, & sexta feria ieiunandum statuistis.

Qualiter viuendum sit ab Æquinoctio Autumnali vsque ad Kalendas Nouembris: & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam.

Cap. V.

A Festiuitate S. Matthæi vsque ad kalendas Nouembris: & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, secunda, quarta, & sexta feria ieiunandum indixistis: & eisdem feriis, ac sabbato, carnis & sanguinis vsum interclusistis.

Quòd ieiunandum sit à Kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & à Septuagesima vsque ad sanctum Pascha.

Cap. VI.

A Kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & à Septuagesima vsque ad sanctum Pascha, vsu carnis, & sanguinis penitus intercluso, semel in die reficiendum deuotio vestra firmauit.

De ieiunio Quatuor temporum, & Vigiliarum.

Cap. VII.

QVarta, & sexta feria ac sabbato Quatuor temporum, & in Vigiliis, aliisque ieiuniis anC tiquitus, & vniuersaliter institutis, sine dubio non solùm Canonicis, sed & omnibus Christianis ieiunandum est; cæteris verò diebus, atque temporibus, bis vobis in die reficiendum indulsistis.

De vsu ouorum, & casei.

CAPVT VIII.

A Quinquagesima vsque ad sanctum Pascha; & ab Aduentu vsque ad Natiuitatem Domini. & in cunctis legitimis ieiuniis, omni remota occasione, ouorum, & casei vsum penitus vobis abstulistis. Ab ipso autem die Sancto Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, & à Kalendis Nouembris vsque ad Aduentum Domini: & a Septuagesima vsque ad Quadragesimam, quarta, & sexta feria, ab ouis, & caseo, nisi festum in nouem Lectionibus venerit, abstinendum censuistis.

Quale ieiunium occasione Festi solui debeat.

CAPVT IX.

HIs, Fratres, superaddendum putaui: quæ, & quibus ex causis ieiunia solui, & quæ semper inuiolabiliter custodiri debeant. Omni tempore, die quo Festum vel octauam in nouem lectionibus celebramus, binæ refectionis vsum nulla vetat auctoritas, exceptis legitimi ieiunij diebus, atque temporibus.

Si occasione Festi alicuius, carnis, & sanguinis vsus reddi debeat.

CAPVT X.

A Prima Dominica post Resurrectionem vsque ad Pentecosten: & ab Octaua Dominicæ Natiuitatis vsque ad Epiphaniam: & ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam: & à Natiuitate S. Ioannis vsque ad Kalendas Nouembris, si feria sexta festum, vel Octaua in nouem lectionibus venerit, sanguinis vsum non abstulistis: si autem secunda, vel quarta feria, aut sabbato venerit, legitimis exceptis ieiuniis, carnis vsum concessistis, vt præmissum est.

Quæ sint legitima ieiunia.

CAPVT XI.

TEmpora igitur legitimi ieiunij sunt à quarta feria quinquagesimalis Hebdomadæ, quæ dicitur Capitulum Ieiunij, vsque ad Sanctum Pascha. Quatuor tempora quoque & vigiliæ à Sanctis Patribus statutæ: & si quæ alia perenniter tenenda, sancta indixit, vel indictura est quandoque Ecclesia. In quibus omnibus si Festum in nouem lectionibus venerit, celebrari quidem debet, sed ieiunium solui non potest.

Quibus diebus à vino, & pulmento simul: vel à pulmentis tantummodò vini vsura seruata, abstineatur.

CAPVT XII.

CVm in omnibus legitimi ieiunij diebus Canonicis à vino, & pulmentis abstinendum fore suaderet religio, & id loci huius positio, & nostri temporis fragilitas in Conuentu posse seruari non sinat, hoc rogamus, & monemus, Charissimi, vt his cum parcitate vtentes, & vitium in nobis concupiscentiæ perimamus, & corporis vires sic sustentemus, qui ordinem nostrum plenè seruare, & in laude Dei ministerium, & Officium nostrum gratanter, viriliterque implere possimus. In his tamen perpaucis diebus, id est, in antiquitus, & vniuersaliter statutis Vigiliis, & in sexta feria à

A Quinquagesima vsque ad Pascha, & in sexta feria Quatuor temporum, à vino, & pulmentis abstinendum censuistis, crudas tamen herbas, & poma, si habeantur, indulsistis. In quarta feria autem quatuor temporum, & in sexta à Kalendis Nouembris vsque ad Natalem Domini, & in quarta feria totius Quadragesimæ, & præcedentis Hebdomadæ, pulmentis ablatis, vini tantummodo vsum, cum pomorum, & herbarum additamentis indulsistis.

De discretione habenda in reddendo vino, vel pulmento; & ex quibus causis discretio hæc fieri debeat.

CAPVT XIII.

B DIscretionem tamen fieri in aliquibus horum non negastis, si Prior fortè necessarium viderit. Quæ si fiat die, quo vinum interdictum est, vini tantummodò vsum reddi sufficiat: Si autem fiat die quo, vino concesso, pulmentum intercluditur, vnius pulmenti concessio sufficiat. Die verò, quo vini, & vnius pulmenti vsus conceditur, si oportuerit addi & aliud pulmentum, non negastis. Sunt enim dies quidam, in quibus vnum solummodò pulmentum Fratribus dandum censuistis: scilicet feria sexta à Pentecoste vsque ad Natiuitatem S. Ioannis, & à Septuagesima vsque ad Quinquagesimam: & quarta feria à Kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & Sabbato quatuor
C temporum. Hanc igitur discretionem in vno, vel in pluribus faciat, vel causa magni laboris, vel æstus aut frigoris maior solito nimietas, vel præcedentis sex sequentis diei impletum, seu implendum ieiunium, vel imminentis Festiuitatis laboriosæ, & optimè exhibendum Officium, vel Paschalis, aut Festiui temporis celebratio, vel nimia Fratrum imbecillitas, siue aduenientium Fratrum necessaria charitas.

Si legitimi ieiunij diebus Festum nouem Lectionum veniat.

CAPVT XIV.

D QVòd si Festum populare in his diebus in nouē Lectionibus celebrandum venerit, vino, & vno, aut si Festum præcipuum fuerit, duobus, vel tribus quadragesimalibus pulmentis vti cōcessistis.

Quòd cæteris diebus, duo Fratribus pulmenta parentur.

CAPVT XV.

HIs igitur supradictis ieiuniorum diebus exceptis, cæteris diebus, siue ieiunij, siue binæ refectionis, si facultas suppetat, duo Fratribus parentur pulmenta. Verùm in præcipuis Festiuitatibus, & Summis Solemniis tria Fratribus pulmenta, si fieri possit, præbenda statuistis.
E

De vsu piscium, & olei.

CAPVT XVI.

ESus autem piscium, & vsus olei nullo tempore, nulloque die excluditur: quo alicuius pulmenti, & vini vsus conceditur.

De mensura panis, & vini, & de qualitate pulmentorum.

CAPVT XVII.

MEnsuram panis, & vini, ac pulmentorum æquè Fratribus minoribus, & maioribus dan-

dam, & vsus Regularium locorum indubitanter expostulat; &, vt credo, Maiorum sanxit auctoritas. Quamuis enim in Apostolorum Actibus
Act. 2. Lucas referat, dicens: *Distribuebatur autem singulis,*
S. Ben. *prout vnicuique opus erat;* hæc tamen par, & cunctis
Reg. cap. sufficiens est statuenda mensura: qua, etsi quibus-
39. & 40. dam superflua vti non licet, nisi in sufficientia. Quod autem minus egentibus, vel plus abstinentibus residuum fuerit, hospitalis Frater singulis diebus id pauperibus erogandum suscipiat. Diebus itaque ieiuniorum singulis Fratribus vnam libram panis propensam, & tres vini: Diebus verò binæ refectionis, panis vnam, & mediam, & vini quinque, sicut ipsi experti estis nobiscum, vobis visum est posse sufficere. Pulmentorum autem B æqualitatem coquinæ Hebdomadarij, si autem aliter nequeunt, pro arbitrio diligenter prouideant. Si tamen alicui, vel per incuriam, vel per iussum ex discretione aliquid plus, vel delicatiùs apponitur, nullus prorsus inde murmurare præsumat.

De Lectore Hebdomadario.

CAPVT XVIII.

S. Ben. Reg. cap. 38. LEcturus per omnem Hebdomadam Frater, die Dominica expleta Missa, adhuc Presbytero Altari astante accedat in medio, & inclinato capite dicat ter:
Psal. 50. *Domine labia mea aperies*, & cætera eiusdem Versiculi. Fratribus respondentibus, & post vicem tertiam *Gloria Patri* subsequentibus. C Deinde Presbyter præsentibus Fratribus secundùm morem, versiculos, & orationem perficiat. Hic itaque per totam Hebdomadam Fratribus manducantibus, & religiosè silentium tenentibus omni sono, & murmuratione remota, Diuinas Scripturas perlegat. Et post Fratrum refectionem cum seruitoribus pariter prandeat. Seruitores igitur sic omnia omnibus subministrent, vt nullius necessitatis occasione aliquem prorumpere in vocem oporteat. Si quid tamen quærendum est, signo magis, quàm voce petatur. Priori verò, vel cui ipse iusserit, aliquotiens Fratres reficientes pro ædificatione breuiter, & planè alloqui non interdicitur. D Fratribus quoque sero ad collationem in Capitulo conuenientibus, idem Lector de Sanctorum Vitis & Patrum Collationibus Lectionem semper redditurus est. Qui Sabbato cum in Refectorio Lectionem ad Mandati charitatem sero perfecerit, adhuc Fratribus sedentibus, ante Prioris mensam accedens, reuerentiam exhibeat, & sic Lectionis suæ hebdomadam compleat.

De Hebdomadariis coquinæ, & de Mandato in Sabbatis faciendo, & de charitate exhibenda.

CAPVT XIX.

S. Ben. Reg. cap. 35. HEbdomadarij verò coquinæ Sabbato congregatis Fratribus in Capitulo ad sonum tabulæ pro Mandato faciendo, ij, qui egressuri sunt, E accedant in medio, & incuruati Fratribus reuerentiam exhibeant. Deinde per Priorem, vel vicem eius fungentem, inchoatis antiphonis Fratrum pedes abluant, & abstergant. Ii verò, qui intraturi sunt, aquam ad lauandum deferant, & post ablutionem proiiciant. Deinde exeuntes, ante Capitulum, aqua per alios Fratres allata, & gausape porrecto manus abluant, & abstergant. Post hæc qui pedes lauerunt, aquas ad manus abluendum: qui verò detulerunt aquas, gausape afferant ad abstergendum. Fratrum ergo manibus ablutis, qui A ingressuri sunt, accedant in medio, & incuruati dicant tribus vicibus; Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me: Fratribus idem respondentibus, & Gloria post tertiam vicem subsequentibus. Deinde completa oratione secundùm morem cum versiculis, in locis suis sedeant. Tunc qui intraturi sunt, in medium veniant, & incuruati dicant, tribus vicibus: *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum* Psal. 69.
me festina, Fratribus itidem respondentibus. Completis itaque cum Oratione, Versiculis, ibidem incipiatur Lectio, sed in Refectorio prius ea more à Fratribus charitate exhibita compleatur, vt iam diximus. Verùm in Vigiliis Summorum Festorum, & in Summis, ac maioribus Festis, si in Sabbato veniant, Mandatum relinquendum: charitatis tamen vsum & introitum & exitum Hebdomadariorum in bis statuistis exhibendum. Præter hæc in Summis, & magnis Solemniis, eorumque Vigiliis Charitatem sero ad Collationem fieri proposuistis: ita vt per Priorem in Summis, per Præpositum verò fiat in Præcipuis. Et cauendum, vt in Festis, ac Vigiliis Lectio ad dies eosdem, & in Sabbatis ad Mandati, & diei Dominicæ mysterium si habeatur, pertineat.

De Mandato in Cœna Domini exhibendo.

CAPVT XX.

CVm itaque Mandatũ, vt diximus; in Sabbatis Ioan. 13.
solcat fieri: in Cœna tamen Domini, ob reuerentiam Magistri nostri, & Domini, qui die eadem id mandans exhibuit, honestissimè vbiq; Ecclesia celebrãdum summa deuotione instituit. Quod vos sequentes charissimi in lauandis pedibus aduenientium pauperum, & eleemosynis dandis præcipuè vobis per totum hunc diem vacandum censuistis. Vestris quoque laïcis Conuersis post cœnam in Capitulo deductis, id idem per vosmet agendum, & in Refectorio charitatem exhibendam statuistis. Post hæc Mandatum Clericorum die eodem per Priorem agatur & per Præpositum. Cætera verò agantur pro eiusdem diei vsu, & ordine.

De Vestimentis, calciamentis, ac lectualibus Fratrum.

CAPVT XXI.

VEstimenta, & calciamenta, nec non & lectualia æstiuo, & hyemali tempore, quot, & qualia sunt necessaria, Vestiarius præbere Fratribus summopere studeat. In quibus nandis, & loci situm, temporis quoque, & singularum personarum qualitatem prospiciat. In frigidis namque locis plura indumenta, in calidis verò pauciora sunt præbenda: & quæ nec nimio decore, nec insolita vilitate Canonicum habitum dehonestẽt. In nostris igitur partibus, visum est vobis singulis Fratribus singulas pelles agninas, & singulas cappas, vnum diploidem, & duo paludamenta, duas interulas, duo paria femoralium, duo caligarum pro æstu, & frigore competentium, quo pedulium, vnum subtellarium posse sufficere. Habeant & in lectis culcitram, capitule lineolum, cultam, & coopertoriũ ouinum, siue lineum. Habeant præter hæc singuli vnam, vel, si fieri potest, duas Cortas lineas, & singulas ouinas, siue agninas pelliceas, si facultas suppetat, & necessitas exigat. His igitur omnibus Fratres pro necessitate, & temporis qualitate tam diu vtantur, quàm diu in sufficientia necessitatis decenter aptari possint, ac reparari. Hig

verò, cui ex necessitate vltra cōmunem Regulam, A aliquid concessum tribuitur, non super hoc lætetur, sed doleat sibi infirmanti concedi per indulgentiam, quod firmioribus negatur ex Regula. Quicquid enim Prior cuiquam necessarium viderit, hoc sibi exhibere debebit, quod alteri, si necessarium non esse perspexit; negabit, etiamsi ipse quæsierit. Hinc enim Lucas in Apostolorum Actibus scribit, dicens: *Distribuebatur autem, prout vnicuique opus erat.* (Act. 2.) Singulis itaque, pro viribus pro ætate, necessitate, ac qualitate sua ministrandum est: Vnde si Prior hac discretione perspecta, quibusdam aliter quàm statutum fuerit, fieri præcipiat, non inde fit in Congregatione murmuratio: quia aperte Diuinæ legi est obuius, qui vel B inuidia, vel gulæ illecebris, Infirmorum consuetudinem exigit, quam sibi necessariam non sentit. Illis tamen, qui ab hac infirmorum consuetudine valeant ad istam firmitatis virtutem consurgere; sed vt delicatius viuant, se sic esse patiuntur, sine dubio & hic peccatorum cumulatur magnitudo, & illic pœnarum præparatur atrocitas.

De Ægrotantibus, & Morientibus.

CAPVT XXII.

STatuatur intra Claustra Canonicorum domus ad sustentationem infirmorum, vbi fratres congruenter necessitatibus eorum subministrare, & C illos visitare, ac Diuinarum Scripturarum frequenti admonitione valeant consolari. Non tamen passim omnibus ad eos accedere liceat, nisi his, quibus à Priore præcipitur: nec Prior alios mittat, nisi qui vel eis vtiliter ministrent, vel eos sapienter consolentur, & ædificent. Hi ergo si febrem cōtinuari, vel languorem increscere persenserint, tunc aduocato Priore, seu Præposito, & Presbyteris, ad hoc Officium deputatis, plenam de peccatis suis Confessionem faciant, sicque præmissa de præteritis culpis secundùm Prioris iussum satisfactione, & in futuro sui amendatione, susceptaque ab omni Conuentu benedictione, & peccatorum absolutione, fideliter per eos, quibus iniunctum est, custodiantur, vt eos in cunctis ne- D cessitatibus suis ministros aptissimos habeant; qui semel saltem in die eum visitantibus se fratribus confessionem faciant, atque orationis benedictionē ab eis semper exquirāt. Quòd si languor magis magisq; increuerit, per Presbyteros aqua benedicta aspersis, Oleo Sancto perungantur, & Christi Corporis, & Sanguinis perceptione muniantur. Fratres quoque studiosè, ac suppliciter pro eorum liberatione, & absolutione in communi Dei exorent clementiam. Quòd si ad occasum venerint, item iactetur ibidem aqua sancta, adducaturque Crucis signum. Cumque ab ipsis, si fieri possit, adoratum fuerit, ponatur, & maneat ibi E vsque ad eorum transitum; deinde assistentes fratres cuncta secundùm ordinem Officia peragant. Qui vt obierint, loti vestiantur interulis, & super eos cottis lineis, pedesque induantur calceolis; post hæc inuoluti linteolia pro more ponantur in lectis. Cætere verò fiant de ipsis portandis, & sepeliendis, & de Officiis gerendis, sicut in Ordine continetur. Quibus expletis, Fratres eorum pœnitentiam intra septimum, vel trigesimum diem in Missis, Psalmis, eleemosynis, siue ieiuniis perficiant. De Missis autem, & Psalmis intra centesimum, vel annum cantandis, & de Vigiliis exhibendis, ac de pauperibus ex eorum portiunculis pascendis, & de anniuersariis celebrandis, ac deferendo ad tumulos, cuncta fiant, prout Prior statuerit, vel vsus, aut ordo docuerit.

De custodia eorum infirmorum, qui inualescunt & de medicina eis non neganda.

CAPVT XXII.

SI autem ægrotantes fratres inualescere cœperint, sic per eos, quibus Prior iniunxerit, vsque ad sanitatis restaurationem custodiantur, tegantur, ac pascantur, vt nullius rei indigentia, & nullius necessitatis occasione murmurare valeant; ipsi tamen, quæ haberi nequeunt, desistant penitus exigere. Quòd si ea, quæ noxia sunt requirunt, eorum voluntati nequaquam annuatur. Aliquando enim, vt dicit B. Augustinus, etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat. (S. Aug.) Quà in re pro infirmorum custodia etiam in talibus medici consulantur. Non enim medicinæ fomenta, quæ à Deo credimus esse concessa, infirmis neganda sunt si administret facultas; cùm tamen animarum medicina præcesserit. Nec minori cura custodiendi sunt infirmi tempore recreationis, quàm tempore languoris; tunc enim custodiuntur ne peiorentur: nunc autem recreantur, vt meliorati in statum pristinum restaurentur. Qui, vbi tempus restaurationis aduenerit, præsentibus fratribus in Capitulum veniant, & accedentes in mediū accusent se super peccatis, & negligentiis, & Ordinis corruptionibus, quæ omnia infirmitatis occasione contraxerint: & sic secundùm modum superiùs descriptum, satisfactionis suscepta sententia, ad propria loca, & fratrum societatem, ac Ordinis obseruationem redeant. Si quis autem quietem, vel delicatiorem vitam diligens, ad Ordinis obseruationem venire distulerit; & hoc Custodi in veritate claruerit, tam acri disciplinæ subiaceat, vt cæteri hoc agere pertimescant. Non tamen hæc ita dicimus, vt eos in Ordinis obseruatione fratribus iungi velimus, antequam valeant, sed ne vitium gulæ, aut simulationis incurrant. Quapropter Custos summopere studeat, vt si fieri possit, nec ante plenam valetudinem eos ad Ordinis obseruationem redire, nec eos, vbi verè potuerint, hoc differre permittat.

De vsu balneorum, & sanguinis diminutione.

CAPVT XXIV.

SI quibus Fratribus balneorum, vel minutionis vsus pro conseruatione, vel restauratione sanitatis necessarius fuerit, exhibendus est eis, etiamsi ipsi noluerint; quatenus per corporeæ salutis confirmationem fortiores inueniantur in omnem Ordinis obseruationem. Si qui tamen hoc ex vitio, vel frequentius quàm oporteat, quæsierint, nequaquam eius Maiorum prudentia annuat. Minutorum autem custodia sit vsque in tertium diem hoc modo: Qui minuendi sunt post Tertiam, vel Quadragesimali tempore post Nonam minuantur. Die igitur illa, & nocte sequenti Officiis interesse non compellantur; Psalmos tamen aliquātos cantare moneantur. A Prima autem diei secundi, vsque ad Primam diei tertij, Officia quidem audire, non tamen facere constringantur. Ast post Primam diei tertij, in Capitulum veniant, & pro negligentiis suis sese accusantes, satisfactionis sententiam suscipiāt, & in ordines suos exinde redeant; attamen vsque in hanc Horam pro facultate domus largioribus, & valentioribus epulis pasti, vel in domo infirmorum, vel in priuatis locis sub Custode permaneant, vsus quoque balneo-

rum, si qua custodia necessaria fuerit, non negetur.

De Senibus, & itidem de Infirmis.

CAPVT XXV.

STatuatur & alia domns vbi Senes maneant: cum iam & frigiditate naturæ, & debilitate nimia, seruare communem Regulam non permittuntur. Hi ergo pro ætate, pro necessitate, & debilitate à Custodibus suis regantur, pascantur, & sustententur: qui neque ieiuniorum, neque vigiliarum regulæ, sicut nec infirmi, subiaceant; nec Officiis interesse compellantur, si nequeant: attamen Psalmos cantare, & orare moneantur Quòd si facultas suppetat, fiat ibi Cappellula inter domus vtrorumque, vbi ipsi Missas, aliaque Officia breuiata, si Priori placuerit, audiant.

De pueris & adolescentibus, qui nutriuntur.

CAPVT XXVI.

PVeri verò, & adolescentes qui in Congregatione Canonica nutriuntur, & erudiuntur, sub vno conclaui, uptimis deputati Magistris cnmmorentur: à quibus sic arctissimè constringantur, vt nemini eorum in aliqua parte diuertere, vel alicubi, sine Mainris custodia, liceat pergere. Qui omnes non solùm discipuli, verùm etiam Magistri deputentur Seniori probatissimo, qui eos otiis, vel confabulationibus vacare nequaquam permittat, sed in bonis moribus instruat, in sancta conuersatione nutriat, in cunctis Ecclesiasticis disciplinis erudiat, vt Ecclesiæ vtilitatibus ipsi quandoque parere, & ad Ecclesiasticos gradus dignè valeant promoueri. Hi ergo semper Diuinis intersint Officiis, & in choro maioribus fratribus recti assistant, & ibidem tempore sedendi in subselliis suis sedeant, cunctaque secundùm vsum & ordinem faciant. In Capitulo quoque cum Fratribus conueniant: sed inde ingredientes statim cum Seniore, & Magistris ad scholas properent, & quæ necessaria sunt, addiscere studeant. In Refectorio quoque, quique in parte, & in loco suo erecti coram fratribus manducent ad mensam. In Dormitorio etiam cum fratribus dormiant: ita vt eorum lecti, maiorum lectis habeantur intermixti. In scholis itaque sint semper, cum silentium non tenetur: Fratribus autem sub silentio manentibus in statuto loco claustri sint sub Senioris, & Magistrorum suorum custodia, omnem ordinem pro possibilitate sua seruantes, & Diuinorum Officiorum disciplinis, ac sanctis lectionibus insistentes: attamen vsque ad annos sexdecim ieiuniorum Regulæ non subiacebunt In scholis item sint vsque ad annos sexdecim: vel quousque Hymnos, Psalmos, Cantum, & secundùm vsum Scripturarum optimè legere didicerint. Exinde autem de scholis educti, cum fratribus, secundùm ordinem, quo in Congregatione admissi sunt, maneant. Quòd si Prior in quadam claustri parte scholas teneri congruum vel necessarium viderit, hoc ipse, quod magis expedire cernitur; nisi fratribus contrarium fuerit, faciat.

Si qui artis Grammaticæ disciplina erudiri debeant.

CAPVT XXVII.

QVòd si Prior allqnos horum, vel etiam maiorum, ardentiores in Dei seruitio, ac vera religione, & paratiores ad omnem obedientiam, & ordinis obseruationem, & ad adiuuandum fortiores, ad discernendum prouidiores, & fratrum animabus, ac corporibus vtiliores esse in veritate perspexerit, & eos felicioris ingenij, & prudentioris consilij veraciter cognouerit, si ipse iustum iudicauerit, contemptis libris turpibus, & fallacibus, ad Diuinas Scripturas discendas, & intelligendas, artis Grammaticæ disciplina eos erudiri præcipiat. In his itaque personarum nulla fiat acceptio, siue perspectio, nisi Ecclesiæ, vel animarum suarum vtilitas aliter deposcat.

De Laicis litteratis in grandiori ætate susceptis.

CAPVT XXVIII.

SI quos Viros litteratos in grandiori ætate Fratres susceperint & eos Prior post primum, vel secundum annum in cantandi disciplina frustra laborare viderit; inutili labore subleuator, eos ad alta adhibeat, quæ magis competunt, & Fratribus sint vtiliora.



Explicit Liber Secundus.

Incipit Prologus libri tertij.



HIS igitur de variis Canonicorum negotiis præmonstratis, Horarum quoque Canonicarum numerum, atque mysterium, quas Diuino Spiritu afflati Sancti Patres instiuerunt, sicut à Maioribus nostris didicimus, & vsus habet Ecclesiæ, pluresque alias necessarias Fratrum obseruationes, obedientiarum quoque locationes, ac locorum susceptiones prosequamur.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

De Septem horis Canonicis antiquitus statutis, & de Prima nouo tempore adinuenta.

Cap. I.

Psal. 138. SEptem horas antiquitus statutas testatur Dauid Psalmographus, dicens, *Septies in die laudem dixi tibi*, vt tot essent laudum exhibitiones in die, quot & ipsi dies. Nec enim vetustas merebatur octauæ horæ habere celebrationem, quæ nondum mortuorum peremnem meruerat habere resurrectionem. Has ergo septem Horas, id est, Vigilias Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, singulis diebus Canonici debent, antiquorum sequendi vestigia, deuotione nimia celebrare. Primam quoque, licet nouo tempore sit statuta, non tamen debent minori deuo-

tione venerari. Has itaque octo Horas Spiritus Sanctus per antiquos, & modernos Patres benè in Ecclesia diebus singulis celebrari instituit; vt quia dies decursione viginti quatuor horarũ perficitur, singulæ tres horæ proprias laudes haberent, quarum exhibitione Trinitas sancta semper coleretur, & noster interior homo peccato cogitationis, locutionis, & actionis semper purificaretur, quò & ipse digniùs Trinitati adhærere mereretur. Quæ ideo ad octonarium surgunt, vt vniuersalis Resurrectionis gaudium præsignent: in quo à peccatis omnibus liberi ipsius Trinitatis mysterium plenissima cognitione videbimus, & exinde cum ipsa sine fine gaudebimus.

De nocturnis Vigiliis.
CAP. II.

HÆ igitur Horæ certis diei horis ob certam causam mysterij celebrari statutæ sunt. Vigiliæ namque ideo in nocte aguntur, quia vastator Angelus nocte pertransiens, Ægyptiorum primogenita percussit, Israelem à dominatu eorum eripuit. (*Exod. 9.*) Et Dominus Iesus Christus in nocte sæuientium Iudæorum est nequitiæ traditus. Christianus quoque populus in nocte Paschæ principaliter baptizatus ab animarum morte eripitur. Ne ergo Ægyptiorum periculis, & Iudæorum nequitiæ misceamur, neue Israeliticæ liberationis, & nostræ per baptismum, Dominicæ quoque traditionis horam laudibus vacuam relinquamus, & cum Paulo & Sila nocturnæ laudis orationibus absoluamos; (*Act. 15.*) & vt vigilantes, si Dominus ea hora venerit, inueniamur, valde nobis opportunum est, vt nocturnis horis exurgentes, sacris orationibus, & Diuinis laudibus insistamus. Quod se fecisse testatur Dauid, dicens: Memor fui in nocte nominis tui Domine. (*Psal. 118.*) Et paulò post in eodem Psalmo: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Et Isaias: De nocte inquit, vigilat Spiritus meus ad te, Deus. (*Isai. 26.*) Et Dominus ad nocturnas Vigilias in Euangelio nos exhortans, dicit: Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. (*Luc. 12.*) Et quòd Ipse verba confirmaret exemplis, testatur Euangelista: Iesus erat in oratione pernoctans. (*Luc. 6.*)

De Matutinis Laudibus.
CAP. III.

MAtutinæ autem laudis Officium, licet nouo tempore primitus, & vt quidam ferunt, in Bethleemitico Monasterio, vbi Dominus pro salute nostra de Virgine natus est, statutum fuerit, tamen omnis Ecclesia consuetudinem cultus gratanter sumit, & solemniter celebrat: quod a sancto Spiritu non dubitatur factum, vt Hora illa, quam Dominus splendore suæ Resurrectionis perlustrauit: & qua nostræ gratiæ Lux, & Sol iustitiæ fidelibus ortus est, Diuinis laudibus, & dignis semper excoleretur Officiis. Nam & ideo Dominus quasi in fine noctis, & in exordio diei à mortuis resurgere voluit: vt nobis patenter ostenderet, quòd per Resurrectionem eius, vetustatis caligo finem acciperet, & lux nouitatis, ac gratiæ aditusque felicitatis æternæ inueniret exordium. Hoc etiam tempore, testante B. Isidoro, (*S. Isidorus.*) à fidelibus spes futuræ Resurrectionis creditur, quando Iusti à morte quasi à sopore somni resurgentes, æternæ lucis, & felicitatis principio sicut sol fulgere incipient. Quod tempus, etiam

A apud antiquos venerationi fuisse, testatur & ille vetus Psalmographus, dicens: In Matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. (*Psal. 62.*) Et illud: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. (*Psal. 118.*) Et alibi: Repleti sumus mane misericordia tua. (*Psal. 89.*) Et illud: Mane oratio mea præueniet te. (*Psal. 89.*)

De Prima.
CAP. IV.

PRima verò, licet nouo tempore in Oriente apud Monasteria Palæstinorum primitus statuta, & inuenta: tamen quia omnis eam suscepit Ecclesia, pro eo quòd à Spiritu sancto non dubitatur adiuncta, summa pariter deuotione, & laudum exhibitione celebranda est. B Quæ benè post Solis ortum agitur, (*Matth. 28.*) vt hora illa, in qua primò mulieribus Christi Resurrectio per Angelos, atque per mulieres Apostolis nunciata est, non sit Diuinis laudibus, & dignis Officiis aliena. Et hoc satis videtur rationabile, vt prima Hora diei Diuinis Officiis, & sanctis orationibus debeamus insistere, (*Mar. 16.*) quatenus & eo quòd de tenebris ad lucem venimus, (*Ioan. 20.*) Deo gratias referamus: &, vt Ipse per totam diem corda, & corpora nostra in viam salutis, & iustitiæ dirigat, rogitemus. Et quia omnis virtus, omnis sanctitas, omnis iustitia ad laudem, & honorem Dei, & in IESV Christi nomine debet semper inchoari, rectè diei, qua lucis operatio signatur, exordium laudibus Diuinis debuit consecrari. C Et notandum, quòd Spiritus sanctus hanc Horam non per Apostolos, vel antiquiores Patres, non etiam per maiorem Ecclesiam voluit statui, sed nouo tempore per subiectos Ecclesiæ filios statuendam, mira, piaque prouidentia reseruauit; vt nobis videlicet innotescat, Spiritum Domini hanc sibi virtutem reseruasse, vt per quoscumque, & quandocunque inspirante eo aliquid rectum, & sanctum in Ecclesia statutum fuerit, non iam abiectione personarum, aut temporis nouitate quisquam reiicere audeat, sed amorem inspirantis, & statuentis Dei per hominem, diligenter amplectatur, & teneatur.

D

De Tertia, Sexta, & Nona.
CAP. V.

HOram Tertiam, Sextam, & Nonam Danielem etiam, & tres Pueros supplicationibus Domino deuouisse, sacra testatur Historia, Quorum imitatione nos his Horis dignissimum est Diuinis Officiis insistere, quamuis nouo tempore, & ob aliorum causas mysteriorum, multò nobis sint celebriores. Denique Horam Tertiam sanctus Spiritus, (*Act. 2.*) quia tertia est in Trinitate persona, sua descensione celeberrimam reddidit, & laudibus Diuinis dignissimam fecit. In qua descensione tantum sancti Spiritus gratiam affuisse asserunt, E vt omnium linguis omnes Apostoli loquerentur, & vnumquemque Apostolum quacumque vna lingua loquentem omnium linguarum præsens diuersitas simul intelligeret. Quatenus daretur intelligi, quòd Spiritus Domini sub vnius Ecclesiæ gremio coniungeret, & vniret, quos superbia diabolici spiritus in terris ædificatione diuiserat. Benè etiam Tertia Hora Spiritus sanctus descendit, quia tertio tempore Christus omnem mundum inuocauit, & suæ gratiæ luce perfudit. His etiam de causis Sanctorum Patrum auctoritas hanc nostram præ omnibus aliis ad Missas celebrandas statuit fore legitimam, in qua quia iterum pec-

principalis vocabuli, in quadam ferè pari celebratione Officiorum addere placuit.

De Ordine Lectionum totius Anni.

CAPVT X.

IN Septuagesima ponunt Eptaticum vsque quintum decimum diem ante Pascha. Quintadecima die ante Pascha ponunt Hieremiam vsque in Cœnam Domini. In Cœna Domini legunt tres Lectiones de Lamentatione Hieremiæ: Quomodo sedet sola ciuitas: & tres de Tractatu S. Augustini in Psalmo sexagesimo tertio: Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: tres de Apostolo, vbi ait ad Corinthios: Conuenientibus vobis in vnum, Secunda: Similiter postquam cœnauit, Tertia: De spiritualibus autem nolumus ignorare, fratres. In Parasceue tres de Lamentatione Hieremiæ, & tres de Tractatu S. Augustini in Psalmo sexagesimo tertio: & tres de Apostolo, vbi ait in Epistola ad Hebræos: Festinemus ingredi: Secunda lectio: Omnis namque Pontifex: Tertia lectio: De quo nobis grandis est sermo. In Sabbato sancto tres de Lamentatione, & tres de Tractatu S. Augustini, & tres de Apostolo, vbi ait in Epistola ad Hebræos: Christus assistens Pontifex. In Pascha Domini Homilias ad ipsum diem pertinentes. Infra hebdomadam Homilias. In Octaua Paschæ ponunt Actus Apostolorum, & Epistolas Canonicas, & Apocalypsim vsque in Octauas Pentecostes. In Octaua Pentecostes ponunt Regum, & Paralipomenon vsque ad Kalendas Augusti. In Dominica prima mensis Augusti ponunt Salomonem vsque ad Kalendas Septembris. In Dominica prima Septembris ponunt Iob vsque in medium Septembris: ibi ponunt Tobiam, Iudith, & Hester, & Esdram vsque ad Kalēdas Octobris. In Dominica prima mensis Octob. ponunt Librū Machabæorum vsque ad Kalendas Nouembris: Hinc ponunt Ezechiel, & Daniel, & minores Prophetas vsque in Aduentum Domini. Dominica prima de Aduentu ponunt Isaiam vsque in Natalem Domini. In Vigiliis Natalis Domini legunt tres lectiones Isaiæ: Primo tempore, Consolamini, Consurge. Deinde Sermones, & Homilias ad ipsum diem pertinentes. In Festiuitate Sancti Stephani, Sancti Ioannis, Sanctorum Innocentium, Sancti Siluestri, Sermones ad eosdem dies pertinentes. In Octaua Domini Homilias de ipso die. In Dominica prima post Natalem ponunt Epistolas Pauli vsque in Septuagesimam. In Epiphania Lectiones tres Isaiæ, Omnes sitientes, Surge, Gaudens. Deinde leguntur Sermones, vel Homiliæ eidem diei pertinentes.

De Ordine Missarum.

CAPVT XI.

LEgitima Hora Missarum est Tertia, atque Nona. In omnibus namque legitimis ieiuniis Missa hora Nona, cæteris verò diebus hora Tertia, secundum vsum, & ordinem celebranda est. Nam quòd post Nocturnas Dominicæ Natiuitatis Vigilias, & quòd Sabbato Sancto in exordio Paschalis noctis, & quòd diebus Dominicis, ac maioribus Festis, quódque diebus ferialibus mane pro Defunctis ante Primam, vel post Primam, & quòd quandoque legitimis ieiuniis mane, vel apud quosdam hora Tertia cantatur, ob certæ necessitatis, vel mysterij causam, fieri non dubitatur. Aliis autem Horis, licet Missa non inueniatur in Canonibus statuta, vsus tamen Ecclesiæ habet, Missam ab ortu Solis vsque ad Tertiam, & à Nona vsque ad Vesperam posse pro necessitate celebrari. Diebus ergo Dominicis, & Summis Festis propriæ, quæ habentur Missæ, cantari debebunt. In Festis verò præcipuis popularibus, & priuatis, si propriæ habentur Missæ, cantentur: si verò propriæ non habentur, de communi conuenientia dicantur. In legitimis quoque ieiuniis propriæ habentur Missæ, quas cantare debemus, exceptis paucis Vigiliis, in quibus de communi conuenientia Missæ cantantur. Infra Octauas etiam Summorum, siue vt quibusdam placet, præcipuorum Festorum Missas de eisdem Festis plurimorum vsus asseuerat agendas. In hebdomada tamen Paschæ, & Pentecostes propriæ, quæ habentur Missæ, cantentur; cæteris verò diebus dicatur Missa præcedentis Dominicæ, tamen si Feria Quarta, aut Sexta habentur propriæ Missæ, vel Epistolæ, aut Euangelia dicantur. Missam quoque pro Defunctis mane vestrū Conuentui semper fore dicendam statuistis, exceptis Dominicis, & Festis in nouem Lectionibus celebrandis, & diebus inter Octauas summorum Festorum conclusis. Præter hæc in omnibus summis Festis, & in illis præcipuis, de quibus duæ Missæ habentur, mane ante Primam Missam in Conuentu cantandam statuistis. Verùm in aliis præcipuis, cunctisque popularibus Festis, ac diebus Dominicis, ac legitimis ieiuniis, Missam his astantibus Clericis, vel Laïcis, qui ex qualibet causa Hora Tertia, vel Nona ad Missam non possunt occurrere, canendam disposuistis. Missæ igitur omnes, quas in Conuentu decreuistis esse dicendas, si facultas suppetat, semper cum Officiis suis secundum vsum, & ordinem Ecclesiæ, ac temporis congruentiam, Diacono, & Subdiacono ministrantibus decantentur.

De Hora Collationis.

CAPVT XII.

HOra Collationis, cum dies longi sunt, & noctes breues circa Solstitium Æstiuale, agatur temperius, id est, Solis adhuc radio apparente. Cum verò dierum breuitas noctes fecerit longiores, agatur tardius, id est, cum Lux diei tenuata legendi facultatem tollere cœperit. Quæ tantùm Hora ordinatim augeatur, & minuatur, id est, secundum augmentum, vel decrementum dierum, ac noctium. Verùm quando mandatum agendum est, & quando aliqua præcellens solemnitas imminet, in qua tempestiuius solito, surgendum sit, ipsa Collationis hora solito agatur temperius.

Qua Hora noctis Vigilias agere debeamus.

CAPVT XIII.

OMni tempore in quantum seruari potest, diebus Ferialibus, transactis duabus partibus noctis, tertia adhuc restante ad Vigiliarum Officia peragenda surgendum est. In diebus autem Dominicis, aliisque Solemnibus pro vsu, pro modo quoque, & quantitate Officiorum surgendum est; quatenus omni die Festiuo, & Feriali tempore, suo cuncta Diuina Officia modo debito, peragi valeant. Æstiuo tamen tempore pro paruitate noctium Lectiones in nocturnis Vigiliis breuiandæ sunt: Hyemali verò pro earū longitudine Lectiones

prolongandas censemus, nisi quandoque pro importabili nimietate frigoris breuientur.

Quo ordine, vel tempore agantur Matutinæ, & cæteræ Horæ.

CAPVT XIV.

PEractis autem Vigiliis omni tempore, facto, si liceat, signo, Matutinæ laudis agantur Officia. Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Cõpletorium pro vsu & ordine competentibus horis, per singulos dies gerantur, & temporaliter tamen vt in his, & in omnibus semper eorum, quæ instant, necessitas dierum quoque, & officiorum quantitas prospiciatur & qualitas.

De his, quæ in Capitulo agenda sunt, vel dicenda.

CAPVT XV.

CVm Fratres post Primam, in Capitulo mane conuenions, Lector petita benedictione, Mensis terminum, ætatem Lunæ, Feriam sequentis diei & Festa more solito pronunciet. Quibus prononciatis Fratres consurgant, & finitis solitis eiusdem horæ versiculis, iterum sedeant, & lectionem de Canonicæ Vitæ institutionibus, siue de Festo eiusdem diei, si summom, vel præcipuũ fuerit, audiant. Qua finita, lectiones, & responsoria sequentis diei Lector singula singulis fratribus assignans, pronunciet. Deinde Prior petita benedictione à fratribus, dicat quicquid necessarium viderit, vel in exhortaodis animabus, vel in ipsius Ecclesiæ rebos locandis, aut aliquibus Canonicis negotiis pertractandis; nullusque ibi, excepto Priore & Præposito, loqui præsumat, nisi iussus, aut interrogatus, siue erectus. Et cum vnus ibi loquitur, cæteri taceant, & loquentis verba ad finem vsque intendant. Si quis autem fratrem suum in sancta professione transgressionis culpam incurrisse cognouerit, regulari more ex charitate consurgens, humiliter proferens, dicat: Ille Frater noster contra Ordinem fecit; cuius vocem accusati mox sequatur erectio, in mediumque accessio; tum ille culpa eius nominatim expressa sedeat: iste verò terræ prostratus dicat: mea culpa, peccaui. Et Fratres respondeant, parcat tibi Deus; quòd ille se erigens, iterumque prosternens, atque eadem proferens tamdiu faciat, donec Prior eum stare præcipiat, & sententiam satisfactionis iniungat, certamque ei horam, vel diem assignet, qua ipse iniunctionis debitum perfecisse debeat. Hæc autem eadem fieri post Nonam, si in Capitulum conueniatur, non interdicimus, cũ Priori placuerit. Hunc itaque modum satisfactionis accusati, vel per se confessi, semper tenere debeant.

De Summis Festis in Capitulo nunciandis, & de Confessione, ac Remissione vicissim danda.

CAPVT XVI.

SVmma autem Festa cum venerint, quinto, vel quarto antea die, peractis prius omnibus, quæ in Capitulo gerenda mane post Primam iam scripsimus, quidam de Fratribus, cui Prior iniunxerit, accedat in medium, & petita benedictione dicat: Quinto, vel quarto die proximè futuro, Fratres charissimi, illam Festiuitatem Domini nostri Iesu Christi celebraturi, sanctificamini, & estote parati. Tu autem Domine, &c. Fratribus itaque

A mediocri voce, Deo gratias respondentibus, subiungat idem Lector secundùm quod a Præposito statutum fuerit; qui Fratres Inuitatorium, Lectiones, Responsoria, & quæque alia in Officiis necessaria, dicere, cantare, vel legere debeant. Quibus pronunciatis fiat omnium excessuum patens Confessio, quam pœnitentiæ, & satisfactionis sequatur iniunctio, ante Festi eiusdem celebrationem, si fieri potest, implenda. Si quis tamen aliquid priuatè confiteri voluerit, confiteatur Priori, siue Presbyteris per Priorem ad hoc Officium deputatis. Remissionem quoque Fratres sibi inuicem, & omnibus absentibus, qui offendere voto, & absolutione, qua possunt, exhibeant. Quod satis esset laudabile, & Ordini congruens, si etiam in singulis Sabbatis, & B præcipuorum Festorum Vigiliis heret. Cantaturi igitur, & lecturi, his, vel aliis diebus quibuslibet, quæ cantanda sunt, & legenda, præuideant: etsi necesse sit aliquid in his quærere, certæ personæ à Priore designentur, à quibus licita hora hoc exquirere debeant; quique id eis humiliter, & studiosè exhibeant.

De plurimis Fratrum Orationibus, & Obseruationibus.

CAPVT XVII.

DE certis verò Orationibus nocte ante Vigilias, mane ante Primam, sero post Completo- C rium: & de Precibus post Matutinas, & Vesperas agendis: de Canticis Graduum dicendis: de Matutinis quoque, & Vesperis Sanctorum: de Horis Sanctæ Mariæ, si fraterna deuotio habeat: de Vigiliis Matutinis, Missis, & Vesperis pro Defunctis exhibendis: de Psalmis pœnitentialibus mane dicendis: de aliis Psalmis post Horas cantandis: de Ordine præterea intrandi Ecclesiam, vel Capitulum, & exeundi: de Ordine eundi, standi, loquendi, vel silendi in claustro: de Ordine communiter dormiendi, & surgendi, communiter edendi, & potandi: de præparatione ministrorum, qui ad Missam seruituri sunt: de lauandis manibus, & capitibus pectinandis: de signis tangendis, & tabulis: de D significandis Horis Diuinis: hora quoque Collationis, & Refectionis: de Vicaria fratrum subministratione: de Ordine Dominicalium, vel quarumcunque Processionum: postremò de omnibus intra Ecclesiam, & Fratrum Officinas agendis, quæcunque necessaria sunt; & ordo, vel institutio insinuet Maiorum.

Quòd Prior super his omnibus debet esse sollicitus.

CAPVT XVIII.

CVm sit Prioris proprium cuncta interiora, & E exteriora per se, & per alios semper inquirere, inquisita perspecta subtiliter discutere, discussa sapienter tractare, statuenda statuere, facienda imperare, vitanda negare, quid cuique congruat, loqui singulis, prout opus fuerit, subministrare: corrigenda quæque sapienter corrigere, peccantibus pro modo culpæ, modum etiam satisfactionis iniungere: vt nec asperitas quemquam ab emendatione retrahat, & lenitatis nimietas neminem inuitũ soluat; & si foris aliquando necesse sit, asperitatem monstrare, intus tamen in animo semper seruate humilitatem. Lectioni cum sibi vacat, insistere, orationibus incumbere, fratres in vnum collectos san-

ctarum Scripturarum sæpe fluentis rigare: de A vita, & moribus Clericorum, & proprij Ordini, obseruatione frequenter instruere, virtutes, & exempla Sanctorum eis ad imitandum proponere peccantes pœnarū supplicio enumerando terrere: benè agentes ad desideria percipiendæ felicitatis accendere, singulis quibusque aduenientibus pro suis necessitatibus, & personarum qualitate, si facultas suppetat, subministrare: postremò Confratrum omnium animarum, & corporum vigilanti studio curam gerere, & omnes res Ecclesiæ, mobiles, & immobiles, spirituales, & corporales custodire, regere, atque disponere, & cunctis conctas necessitudines, & congruentias subimplere. Et cum vnus homo tanta portare non possit, necesse est vt sub ipso aliorum statuantur personæ, quibus onera diuisa portari, & omnia necessaria congruenter fieri valeant. Siquidem Moyses B cum totius Israelis onus regiminis portare non posset, consilio etiam incircumcisi hominis, viros ex omni Israel prudentes elegit, quos super populum Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos ad finiendas lites, & disceptationes tollendas constituit, maiora sibi tantummodò finienda reseruans. Hoc ergo charissimi exemplo commoti in Prioris auxilium ex prudentioribus Viris personas prudentium eligendas statuistis: qui onera singula interius, atque exterius ad animarum, & corporum necessitatem supplendam, ad ordinem quoque obseruandum, pertinentia leuius diuisa C portarent.

De Præposito.

CAPVT XIX.

Eligendum itaque de Confratribus virum vnum censuistis, Fratres charissimi, qui sit volontate putus; sermone discretus, actione sanctus, ordinis scientia & obseruatione præclarus, & si fieri potest, Diuinarum Scripturarum sufficienter imbutus notitia; quem patientiæ virtus, charitatis dilectio, vitæ quoque perornet Religio; qui cæteris sub Priore Præpositus, Prælationis suæ in ge- D rendis officiis, infratribus regendis, & custodiendis, in ordine seruando, & Regula peruigilem gerat custodiam. Hic ergo Officiorum qualitatem, vsum, & ordinem, singulasque varietates Fratres edoceat; hic solita Officia designati in tabulis, secundum vsum, & ordinem, postmodum in Capitulo coram Fratribus pronuncianda præcipiat; pulmenta quoque Fratribus præparanda, & quæque illis apponenda coram Hebdomadariis, & Cellario statuat. Vestimenta autem, & calciamenta quæ dari differantur tempore necessario studeat, singulorum quoque Obedientias intus & foris, si iuste regantur, regulariter impleantur, prouideat. Omnium ergo interiorum, & exteriorum E curam sub Prioris consilio, & iussione habeat: & quæcunque necessaria sunt, ipso absente dicat, & faciat; maioribus tamen negotiis Prioris iudicio reseruatis; cætera autem omnia huius officio pertinentia, & hic nominatim non expressa, vsus ipse, & ordo edoceat. In quibus omnibus sic sui vtatur iure regiminis, vt à Domino iustitiæ præmium consequatur gloriæ.

De minoribus Præpositis statuendis, seu Magistris, & disciplina peccantium.

CAP. XX.

Statuat quoque præter hunc Prior sub isto ad Fratrum custodiam, & alios Magistros, siue Præpositos, si necessarium viderit, quibus singulis proprium locum assignet in Claustro, vbi ipsi residentes, Fratres sibi commissos hinc inde statutos in bono nutriant, in sanctis moribus instruant, & eos Lectionibus, Hymnis, Canticis, aliisque Ecclesiasticis doctrinis, vtilitatibus incumbere, in loco stare, & proprium Ordinem seruare compellant, & à suis oculis nollatenus eos sine certa necessitatis causa separari, vel abire permittant. Postremò eos non solùm ab opere peruersitatis, & malitiæ, sed ab vsu otiosæ loquacitatis immunes custodiant, & in omni religione sanctitatis, & honestæ grauitatis perfectos exhibeat. Quibus, si qua necessaria fore perceperint, hoc Priori, siue Præposito innotescant, quatenus si facultas suppetat, eorum omnis impleatur absq; dilatione necessitas. Si quos autem de sibi commissis vagos, vel otio, aut inutili loquacitate vacantes, vel ordinem proprium seruare nolentes, vel suis Prælatis inobedientes esse perspexerint; & eos semel, bis, & ter commonitos emendare nequiuerint, tunc ipsos corrigendos Præposito adpræsentent. Quos itidem Præpositus semel, bis, & ter commonitos, si nequaquam emendare potuerit, coram Fratribus in Capitulo repræsentet. Quòd si se nec per Priorem correxerint, omnibus sopponantur, & ab omnibus iniurientur; postremò fraterno consortio, & communione priuati, ieiuniis macerentur: & si personarum patitur qualitas, verberentur. Si verò nec sic emendantur, in carcerem ieiunia longis castigandi retrudantur, vel maioris Ecclesiæ, siue Episcopi iudicio dimittantur. Hi ergo, qui dimissi, vel in carcerem retrusi fuerint, aut clam per se recesserint, si quando pœnitentia ducti satisfactionem promiserint, & veniam postulantes impetrauerint, primò quidem per longum probentur exterius, & si verè apparuerint pœnitentes, in infimo saltem loco quandoque suscipiantur interius. Hunc modum correptionis, Fratres charissimi, non solùm in Clericis, verùm etiam in Professis Laicis tenendum, vestra charitas censuit.

De Obedientias tenentibus, siue suscipientibus.

CAP. XXI.

Qui verò Obedientias Domos pro Fratrum vtilitate, atque seruitio susceperint, sub Prioris, & Præpositi cura, ac potestate permaneant. Et quicquid eis, ipsi, vel ipsis absentibus, alij Prælati suppleotes vices eorum mandauerint, sine dilatione obseruent, & impleant. Si quid autem admiserint, secundùm Prioris iussum, & Ordinis vsum, ac culpæ modum satisfaciant. Qui verò superbi, aut negligentes, aut auari, seu prodigi: susurrones, aut fures, vel quoquo modo rei Dominicæ vastatores inuenti fuerint, aut sibi præsidentium mandata contempserint, vel aliquid alicui, quod dare debuerant, ex odio subtraxerint, vel quicquā contra vsum, & ordinem gratiæ singularis amore, quod non erat opportunum tradiderint, Prior eos à suis

Officiis remoueat, & iniuncta illis pœnitentia, & satisfactionis sententia, alios in eorum locis subroget, qui hæc vigilantiùs, puriùsque peragentes, Christo, & Confratribus suis fideliter administrent. Ad porrigenda igitur singulis Fratribus intus necessaria, quidam ex valentioribus, & prudentioribus Fratribus eligâtur viri, quorum vnus Sacrarium, alter Cameram, tertius Cellarium, quartus Refectorium, quintus Vestiarium regenda, ac custodienda suscipiant. Quicunque ergo ad aliquam harum, vel similium Obedientiam suscipiendam accesserit, veniat in medium Capituli, & prostratus incipiat Psalmum, *Deus in adiutorium meum intende*; quem cum Fratres compleuerint, cum Oratione Dominica, & Capitulis, atque Oratione competenti surgat, & genibus flexis suscipiat de manu Prioris Regulam, vel alium libellum, sic dicentes: Nos huius Obedientiæ curam, atque laborem ad salutem animæ tuæ, in pœnitentiam, & remissionem peccatorum tuorum ex Fratrum consensu, pro charitate te ferre præcipimus. Et exinde eius Obedientiæ curam summa industria, prudentia, & consilio gerat, atque perficiat. Quibus verò hæ tales Obedientiæ pro aliqua offensa auferuntur, vel qui ab eis voluntate Prioris subleuantur, prostrati in medio accusent se super omnibus, quæ in his subministrandis admiserunt, incipiantque Psalmum quinquagesimum, quem dum Fratres perfecerint, cum Oratione Dominica, & Capitulis; atque Oratione competenti assurgant, & quantitatem pœnitentiæ, quam Prior iniunxerit, hilari animo suscipiant, & susceptam intra iustum tempus perficiant.

Psal. 69.

De Sacrista.

Cap. XXII.

AD Sacristæ igitur obedientiam Oratorium, Sacrarium, Armarium, & omnia quæ in eis facienda sunt, vel reponenda, cunctaque necessaria, vel congruentia, pertineant. Hic ergo Oratorium pro vsu, & ordine mundet, illuminet, custodiat, & competenti Hora claudat, atque aperiat, nihilque ibi indecens agat, aut recondat, vel agi, aut recondi permittat: dicente Domino: *Domus mea, Domus Orationis vocabitur.* Oleum autem Sanctum, Corpus Domini, Capsas cum Sanctorum Reliquiis, in Ecclesiis post se consistere, nemo dubitat. Aliaquoque minuta, si Ecclesiastica, & nihil indecorum præbentia; & Diuinis obsequiis quotidie necessaria esse non reprobamus, si fieri potest, semper Sacrista custodiat, vt nulli inde exeundi, aut intrandi locus pateat, nisi quis Orationis, aut Deuotionis causa, vel offerendæ oblationis, aut Eucharistiæ sumendæ, seu Fraternitatis Clericorum percipiendæ humiliter intrare quæsierit. Ad Missarum verò solemnia Presbyter ante Ostium Chori populorum oblationes suscipiat: ibique eis Dominici Corporis, ac Sanguinis mysterium tradat. Quòd si populus magnus fuerit, & ad Altare accedere voluerit, non prohibeatur. Verùm Clericia adhuc in Choro residentibus, ad Altare mulieribus aditus, si fieri potest, non concedatur. Quicquid ergo in Cera, Oleo, & Incenso, aut Vestibus ad vsum Altarium, vel ministrantium necessarium fuerit oblatum, Sacrista ad supplendam obedientiæ suæ necessitatem, in Sacrario reponenda suscipiat. Altarium autem, vel Altaribus ministrantium, vestimenta, ornamenta, cunctaque prorsus Ecclesiæ vtensilia in Sacrario teneantur clausa, atque recondita: quæ quidem partim diebus certis, partim singulis, hora statuta, sicut necessarium fuerit, & ordo, atque vsus poposcerit, à Sacrista ministrantibus, aliisque Fratribus his opus habentibus assignentur, quæ expletis Officiis cuncta subtiliter requisita, denuò suscipiat reponenda. Præter hæc, libros quosque Sacrista sub sua custodia clausos in Armario habeat, & quos in Ecclesia Fratribus in Officiis necessarios scierit, ipse apponat, ipse denuò & reponat. Quos verò in Claustro Fratribus nouerit opportunos, ponat in loco statuto, de quo Fratres quos voluerint libros accipiant, & in quo post horam eos reponere debeant, à Sacrista item suscipiendos, & recondendos. Quicquid ergo ad libros scribendos seu aptandos, vel reparandos necessarium fuerit, apud se Sacrista habeat, vt, & qui non habentur libri, fieri: & qui habentur, aptari, seu reparari semper valeant. Studeat præterea Sacrista summopere, vt Horas Canonicas nam in die, quàm in nocte sic discretè secundùm vsum, & ordinem, & Prælatorum arbitrium, pro temporis qualitate, pro diei celebritate, pro Officij quantitate significet, vt omnia necessaria congruenter fieri valeant. Hic etiam Dormitorij illuminandi, Claustri mundandi, & Capituli, & omnia mandatis agendis necessaria consecrandi curam habere debebit. Hæc igitur omnia Sacrista prouideat, & quæque his, vel in his necessaria vsus, vel ordo, aut maiorum documenta monstrauerint, summa semper industria tempore suo sapienter efficiat. Quæ cuncta si Sacrista solus portare nequiuerit, adiutores ei Prior dare debebit, per quos eius onera diuisa leuius cuncta portari valeant, & impleri.

Matth. 21.

De Camerario.

Cap. XXIII.

CAmerarius itaque habeat loca firma clausione munita, opportuna ostia, & fenestras, vnde his, qui intus, vel foris sunt, necessaria ministrentur, habentia: vbi aurum, argentum, ferrum, æs, omniaque metalla, & vniuersa numismata vndecunque aduenientia, & cuncta, quæ fiunt, corporeis officiis interiorum, & exteriorum ex his necessaria fieri, omniaque vasa manualia, lapidea, fictilia, & lignea, interioribus item, & exterioribus officiis deputanda, plura, & si fieri potest, multiplicia teneantur recondita. Omnia igitur horum quæcunque Fratribus ad peragenda sua officia intus, vel foris necessaria fuerint, omni procul dilatione, ac murmuratione remota, libens Camerarius præbeat, vel perpetim, si oporteat quotidianis vsibus relinquenda, vel si necesse non est, iterum ad se, expletis operibus, reducenda. Quæcunque autem de rebus sibi commissis quotidianis vsibus intus, vel foris necessaria fuerint, sic distribuantur ab eo, vt iam ad ipsorum custodiam, quibus dantur, pertineant; quæ vetustate consumpta cum noua iterum dantur, Camerario, si sint vtilia restituantur, vel reparanda, vel ad aliquem vsum habenda, ne de rebus Ecclesiæ, quod prodesse potest, aliquid pereat. Quòd si qua fuerint perdita, vel casu fracta, & non reparata, pro his alia tribuantur, verùm ij, quorum culpa fracta, aut perdita fuerint, secun-

dùm Prioris iudicium, digna satisfactione pœniteant. (A) Si quid autem in aliqua Obedientia defuerit, iste si habeat, vel habere valeat, aut dato, aut pretio supplere debebit. Camerarius igitur cuncta sibi pertinentia interioribus, & exterioribus officiis necessaria, vel propriis expensis facta, vel pretio cōparata semper habere se studeat; quatenus nullo vnquam tempore cuiusquam occasione necessitatis à sui Ordinis obseruatione, & Diuini cultus seruitio Fratres se subtrahere valeant.

De Cellerario.

CAP. XXIV.

SInt & Cellaria intra Claustri mœnia constituta, (B) Refectorio, Coquinæ, & Pistrino in quantum fieri potest, propinqua, vbi Fratrum cuncta esui, vel potui necessaria sub claue reposita maneant, cum omnibus vasis, & vtensilibus, quæ sunt his reponendis, ac præparandis necessaria. Talis itaque à Prælatis eligatur Cellerarius, qui sit vir prudens, charitate, humilitate, & patientia plenissimus, non auarus, non prodigus, non vinolentus, non edax nimium, non superbus, non tardus, sed moribus honestus, ac Deum timens, vitiis carens, virtutibus hærens iusto nec largior, nec tenacior: qui stipendia Fratrum fideliter seruet, & cura vigilanti dispenset: qui nec verborum asperitate, vel tarditate, nec rei dandæ diminutione, vel dilatione, nec turbidi vultus ostensione, (C) Fratres in administrando conturbet. Omnibus ergo dulcis appareat, & quosque ad se venientes benignè suscipiat, & cuique, prout opus viderit, subministret. Eos verò, quorum necessitati nequit satisfacere, dulcium verborum consolatione studeat refouere. De infirmis etiam sit sibi cura non modica; vt quicquid eis ab illorum Custodibus petitur, si habeat, vel habere valeat, sub festinatione tribuat: & si certa ad hoc persona statuta non fuerit, coquis præcipiat, vt pro velle, & necessitate Infirmantium, & Custodum iussione hoc celeriter, & aptissimè præparent. Coquina ergo, & Pistrinum sibi inuicem sint contigua, & Refectorio propinqua: & cum omnibus vasis, & (D) vtensilibus suis sub Cellerarij custodia deputata. Iniungendum igitur est à Prælatis, Coquis, atque Pistoribus, vt ipsi per omnia Cellerario obediant, & ei de omnibus rebus sibi commissis rationem reddant: à quo etiam quæcunque sibi necessaria exigant, atque accipiant. Celerarius itaque frequenter eos moneat, & artis suæ officia diligenter edoceat, ipsisque abundanter elaboret ostendere, quàm grauis culpa sit res Ecclesiæ per negligētiam perdere, seu furtim, quod omnium nequissimum est, diripere. Coqui autem peruigili cura omnia, quæ Fratrum esui sunt necessaria, præparent, & ea mundissimè, & accuratissimè peragant pro iussu Cellerarij, & Fratris Hebdomadarij. (E) Cellerarius itaque, cui hæc omnia commissa sunt, vasa, armenta, seu vtensilia Pistrini, Coquinæ, & Cellarij si perdantur, aut frangantur, seu veterascant, restaurare, & innouare per Camerarium, reparare etiam per seipsum, si potest, studeat. Coqui igitur, & Pistores propria loca Pistrino, & Coquinæ contigua habeant: vbi de officiis suis alterutrum se iuuent, & vbi simul manducent, ac maneant, & cuncta ad se pertinentia peragant.

De Refectorio, & Refectorario.

CAP. XXV.

REfectorium quoque, Fratrum deputetur custodiam, qui id ornatoret suscipiat, susceptum diligentissima cura custodiat. Fiant ergo, & habeantur in Refectorio, & circa Refectorium omnia quæcunque Fratribus comestoris, vel potatoris pro vsu, & Regulari ordine vestræ conuersationis esse opportuna noscuntur. Quæ omnia, & quibus omnibus necessaria Refectorarius studiosè curare, & diligenter hora congruenti exhibere debebit. Refectorarius itaque summopere studeat, vt nihil (B) in Refectorio indecens, nihilque stomachis Fratrum noxium appareat, sed frequenter mundatum, & decenter præparatum Fratres semper inueniant. Ipse quoque mensas congruenti hora aperiat, & panis, ac vini à Cellerario suscepti debitam mensuram, cęteraque Fratribus in manducando necessaria locis singulorum apponat: & omnia, quæ ibi sunt opportuna, pro vsu, & ordine diligenter faciat. Qui omnia, quæ vel veterascunt, vel casu aliquo perduntur, seu franguntur, a Vestiario, & Camerario innouari, vel restaurari semper exigat; vetera, vel fracta illis cuncta restituat.

De Vestiario.

(C) CAPVT XXVI.

ORdinetur & pręter istos de Fratribus Vestiarius, qui super Fratrum vestimentis, & calceamentis, ac lectualibus summam semper diligētiam habeat. Hic itaque intra Claustri mœnia, loca habebit munitione secura, vbi linum, vel lana, panni, pelles, & coria, vestimenta, & calceamenta, nec non & Fratrum lectualia, & quæcunque his aptandis, faciendis, & separandis sunt necessaria, aliaque his congruentis saluè, & securè teneri, & conseruari valeant. Ad hunc ergo pertineat horum, quamdiu reparari possunt, reparatio, & cum innouanda sunt, omnium innouatio. Hic etiam omnia, quæ abluendis corporibus, vel la- (D) uandis, aut tondendis, seu radendis Fratribus, & quæcunque curandis eis in medicinis, vel medicamentis sunt opportuna, si facultas suppetit, apud se habeat, vt Fratres hæc omnia, cum necessarium fuerit, præparata inueniant. Huic Prior vnum, vel plures adiutores, si necesse sit, tribuat, cum quibus vestimenta, & calceamenta Fratrum frequenter excutiat: quique Lectis eorum singulis quibusque diebus coaptandis studeant: quique cum Fratres mutantur, mutatoria colligentes, in Vestiario deportent condenda, hora statuta ad abluendum lauandariis danda, & lota item suscipienda, & in Vestiario recondenda: & tempore mutandi singula singulorum lectis apponenda. (E) Quibus singulis vestimentis singulorum nomina acuali opere inscribere studeat, vt quisque vestes sibi proprias assignatas, non alias suscipiat. His quinque Obedientiis statutis interius, sic ea quæ foris sunt, Prior disponere studeat, vt in nullo Ecclesia suarum rerum patiatur detrimenta: & omnia, quę foris necessaria sunt, congruenter fieri valeant.

De Procuratore rerum exteriorum.

CAPVT XXVII.

STatuatur itaque Vir strenuus ex fidelis Ecclesiæ familia, qui subtiliter, & prudenter omnem Ecclesiæ possessionem in aquis, & paludibus, si habentur, in siluis, pratis, vineis, & terris regat atque prouideat: & si fieri potest, quot sint coloni, vel possessores, & quid quisque quantumque possideat: & quid quisque quantumque, & quando Ecclesiæ reddere debeat, memoriter agnoscat: vel scriptum apud se, ne obliuioni tradatur, habeat: omniaque, quæ super his sunt necessaria, per se, & villicos, ac successores sciat, & sub consilio Prioris ordinet, atque perficiat. Locationes autem rerum immobilium, Procuratore consultius ordinante, consentientibus Fratribus, per Priorem fiunt, si earum Ordinatio iustè, & vtiliter facta fuerit. Hic igitur chartulas possessionum in loco munitissimo per aliquem Fratrum, cui Prior iniunxerit, custodias frequenter legat, vel audiat, vt ex his locationes, & redditus possessionum agnoscat, ne obliuionis incuria suarum rerum detrimentum patiatur Ecclesia.

De custodia rerum mobilium.

CAPVT XXVIII.

STatuatur & alius fidelissimus laicus, qui summam curam gerat super omnibus bestiis vsui Fratrum necessariis, & vniuersis armentis, eorumque pastoribus atque nutritiis. vt ipse eis quæcunque sunt iubenda, iubeat, statuenda statuat, requirēda requirat, & eorum in omnibus custos, & rector prouidus fiat. Postremò quæcunque singulis quibusque armentis, & bestiis fuerint opportuna, iste cura peruigili impleat: & quæque horum custodibus necessaria per se, vel per alios exhibeat. Quicquid igitur de hac, vel de aliis Obedientiis fructuum, vel pretiosum, vel cuiusquam rei Fratrum vsui opportunè excipi vel haberi contigerit, illis detur seruandum, vel exponendum, ad quorum Obedientias noscitur concedendum. Sic etiam omnia omnibus necessaria ab illis sunt exquirenda, à quibus habentur dispensanda.

De Negotiatore Ecclesiæ.

CAPVT XXIX.

ORdinetur præter istos, & alius Vir fidelissimus, qui per se, vel per alios, & quæ emenda sunt, emat: & quæ vendenda sunt, vendat, Emendorum ergo pretium & Camerarius tribuat, & venditorum idem recipiat. Negotiator ergo Ecclesiæ talis sit, vt nunquam, vel raro decipi valeat, & studiosè neminem ipse decipiat. Qui nec, vt cariùs vendat, nec vt viliùs emat, ore suo fallaciam proferat, vel iuramentum ab his exigat, aut ipse exhibeat.

De Obedientia Familiarium.

CAPVT XXX.

OMnes itaque Familiares Prælatis suis obediāt, & quæcunque iubentiū mandata hilariter, ac sine mora, & murmure perficiant. Nullus in Ecclesiastica familia inueniatur inutilis, nullus otiosus, sed omnes operentur, omnes [illegible] huiæ vtilitatibus deseruiant, attendentes illud Apostoli: *Qui non laborant, non manducent.* Pueri tamen, & senes infirmi, & debiles non constringantur agere, vel operari, quæ nequeunt. Omnium ergo ætatem, scientiam, & vires Prior prouideat, & singulis singula officia domui necessaria, & illis pro viribus, & scientia competentia diuidat, & super eos, qui prudentiores sunt, Magistros per quos regantur, statuat; & sub quorum cura, iussu, arbitrioque, atque industria, iniuncta sibi Officia cuncta perficiant. Omnia autē quæ in vestimentis, calceamentis, & victualibus, quæque Officiorum suorum vsibus sunt necessaria, Magistri eorum prouideant, prouisa inueniant, & inuenta ipsis tribuant. Quæ omnia ab illis inquirant, ad quorum Obedientias illa nouerint pertinere. Hi igitur omnes cum suscipiuntur, prostrati ante Altare, promittant fidelitatem suam illis Sanctorum Pignoribus, obedientiam quoque secundùm Deum Prælatis eisdem Ecclesiæ. Post hæc à Fratribus pro more suscepti, de cætero pro iussu viuant, & fideliter seruiant.

De Claustro, & de porta Canonicorum custodienda.

CAPVT XXXI.

CLaustrum autem interius tāta semper obseruatione custodiatur, vt nulli vnquam interiorum inde exeundi, sed & nulli exteriorum intrandi in eo, nisi secundùm statutum ordinem facultatem habeat. Si qui tamen fideles, & religiosi, Laici, Clerici ad interiora loca conspicienda, & Fratres visitandos exdeuotione intrare quæsierint, non negamus eos extra horam silentij per Priorem, vel Præpositum intromitti. Qui Fratrum benedictione suscepta, & locis optatis perspectis, vel statim exeant, vel si Prior hoc vtile viderit, in remotiori loco cum ipsis aliquantulum conuocatis prudentioribus, & ab ipsis optatis Fratribus, sedeant: & vbi breuiter eos præ ædificatione animarum, ipse, vel cui ipse iusserit, allocutus fuerit, benedictione item Fratrū suscepta, deducantur extra, & charitate quidē eis necessaria, in hospitali; vel si tales viri sunt, vt sic oporteat, in alio loco ad hoc statuto, exhibita, dimittantur in pace. Aliter autem, nec ipsi Fratribus, nec fratres ipsis in claustro iungi permittantur. Mulieres autem in Officinas Clericorum intrare, nedum stare penitus execramur. Foris ergo domus statuatur à Fratrum Officinis disiuncta, vbi ex charitate eis exhibeatur quod necessarium fuerit. Quòd si eis aliquid à Fratribus dici oporteat, & Prior concesserit, plures simul ad eas accedant, nec soli cum eis loqui præsumant, nisi testes coram assuerint. Claustrum itaq; interius à cōgruentiori parte, &, si fieri potest iuxta Ecclesiam, aditum habeat; iuxta quem fiat locus, in quo aduenientes quasque necessarias, vel iussas personas Canonici permissione Prioris Canonicè alloquantur. Iuxta portam igitur exteriorem, Portarium Prior stare instituat, quatenus nemo extraneus nisi interrogatus, & iussus, intrandi licentiam habeat. Interioris autem ostij custodiam Prior vni Fratrum attribuat, quod ita diligenter custodiat, vt nullus intrandi, vel exeundi licentiā inueniat, nisi quem Prior vel Ordo postulauerit. Hic igitur diebus singulis sero hora Collationis ostio serrato, clauē Priori, aut Præposito debitā tribuat: quā prima hora sequētis diei, item ab eo tenendam per totum diem suscipiat.

De colligendis Hospitibus, & quibusque Aduenientibus.

CAPVT XXXII.

His itaque interius, exteriusque sic dispositis, studeant, necesse est, Prælati Ecclesiarum præparare aliquod receptaculum parum disiunctum ab Officiois familiarium exterius, vbi hospites, & quique aduenientes honestè, ac decenter suscipiantur: & singulis eorum a Magistro, & Custodibus eiusdem hospitij pro qualitate sua, ac necessitate fidelissimè seruiantur. Ad sustentandam ergo secundùm loci possibilitatem quorumcunque aduenientium necessitatem, committantur Magistro hospitij cunctorum redditunm quarumcunque rerum Ecclesiæ, omniumque eorum, quæ ad victum pertinent decimæ, & cunctarum oblationum, & eleemosynarum partes, in vsus pauperum, & aduenientium, dispensatione fidelissima exponendæ. Sit ergo Custos hospitij Vir boni testimonij, charitatis, discretionis, & virtute prudentiæ plenissimus. Hic ergo quid cuique congruat, in manducando, in bibendo, in pedibus lauandis, in lectis præparandis, & cæteris necessitatibus exhibendis prouideat, & prouidens exhibeat. Prælatorum autem vigilet industria, ne is, cui hospitium commiserint, res pauperibus erogandas ad vsus suos, vel suorum præsumat expendere: & Iudæ damnationis se participem faciat, qui loculos habens, ea, quæ mittebantur, in vsus suos retorquebat absconditè. Ipse verò cum aliis sibi ad receptum pauperum deputatis expensas proprias secundùm modum cæterorum ex communi suscipiat, ne si de rebus erogandis suas, & sibi seruientium necessitates suppleat, pauperũ & aduenientium opportunitatibus subuenire non valeat.

B (margin) · Ioan. 12. (margin, beside "uidens exhibeat")

A Quòd si horum curam neglexerit, & res dispensandas illicitè tractauerit, multò seuerius cæteris admittentibus, à Priore iudicandus, & ab hoc Officio remouendus; & in loco eius alius est ordinandus, qui hoc sanctè, & perfectè, ac secundùm Deum, iussumque Prioris exhibeat.

Quòd absente Priore, & Præpositis, minores Præpositi vices eorum supplere debeant.

CAPVT XXXIII.

B Horum itaque Capitulorum, & totius Ordinis disciplina, & obseruatio, & omnium rerũ intus & foris dispositio, per maiores Prælatos Ecclesiæ fiat. Verùm illis absentibus, minores Præpositi vices eorum supplere, & omnium interiorum, & exteriorum curam habere debebunt.

Quòd ex his ad Maiorum præceptorum obseruationem ascendere, & vitæ perpetuæ gaudia percipere quis valeat.

CAPVT XXXIV.

C Hæc sunt, Fratres charissimi, quæ, sicut petistis, & statuistis, vestro sacro Conuentui, auxiliante Christo, seruanda descripsimus; quæ si cum simplicitate, puritate, & alacritate cordis tenentes sine intermissione seruaueritis, faciliùs ad altiora sanctitatis opera scandere, & Christi cohæredes, ac vitæ perpetuæ participes esse poteritis. Verùm in his, & in omnibus quodcunque Prior secundùm Deum in anima, vel corpore expedire, prodesse, vel nocere vni, vel omnibus perspexerit, concedendi, vel iubendi, auferendi, & quæcunque necessaria dicendi, vel statuendi potestatem habebit.

Explicit Regula Canonicorum.



INCIPIT EPISTOLA PASCHALIS Summæ Sedis Pontificis, in qua hanc Institutionis Canonicæ Regulam suscipit, & confirmat.

PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis Filiis apud Ecclesiam B. Mariæ in Portu Rauennatis Exarchatus regulariter commorantibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Hanc Institutionis Canonicæ Regulam, tam ex Sanctorum Patrum auctoritate conceptam, quàm religiosorum Virorum exemplis, & morum honestate compositam, Nos perspectam Deo auctore suscipimus, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter obseruandam iniungimus; vt quorum sequi vestigia deuouistis in terris, eorum obtinere consortium possitis in Cælis. Data Transtyberim XII. Kal. Ianuarij, Indictione X.

Ego Crescentius Sabinensis Episcopus, Confirmo.
Ego Petrus Portuensis Episcopus, Confirmo.
Ego Cono Prænestinus Episcopus, Confirmo.
Ego Vitalis Albanus Episcopus, Confirmo.
Ego Bonifacius Cardinalis S. Marci, Confirmo.
Ego Deus-dedit Cardinalis S. Laurentij in Damaso, Confirmo.
Ego Desiderius Cardinalis S. Praxedis, Confirmo.
Ego Guido Cardinalis S. Balbinæ, Confirmo.
Ego Petrus Card. Diac. SS. Cosmæ, & Damiani, Confirmo.
Ego Petrus Card. Diac. S. Adriani, Confirmo.
Ego Rosmanus Diacon. Card. S. Gregorij, Confirmo.
Ego Gregorius Card. Diac. S. Angeli, Confirmo.
Ego Ioannes Diac. Card. S. Luciæ, Confirmo.

Et Exultabit lingua mea Iustitiam tuam, Deus.





INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN OMNIBVS B. PETRI
Damiani operibus continentur.

In quo numerus primus ad paginam remittit : Littera locum signat : Numerus litteræ postpositus secundam columnam notat : Collect. Collectanea : Reg. Pet. de Hon. Regulam Petri de Honestis : Littera vero maiuscula cum subsequenti tomum demonstrat.

A

B

C

E

F

L

P

Eum

S

B. P. Dam. Oper.

T

F I N I S.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est auctoritate Regis Christianissimi, ne quis in Regno Franciæ, librum sub hoc titulo, Beati Petri Damiani, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis, Ordinis Sancti Benedicti, & Doctoris sanctissimi ac disertissimi Opera omnia in IV. Tomos distributa, collecta, ac argumentis & notationibus illustrata studio & labore Domni Constantini Caietani Syracusani Abbatis S. Baronti ex Congregat. Casinensi: cui accessit Editio Tomi IV. Operum eiusdem B. P. Damiani, & Regula Petri de Honestis Clerici Rauennatis antehac inedita, absque permissu Ægidij Tompere, Bibliopolæ Parisiensis, intra decem annos imprimat aut diuendat, publicationis exemplarium: si quis secus fecerit multa indicta, prout amplius in ipso diplomate continetur, dato anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo die decimatertia Nouembris.

Quæ Opera omnia simul typis mandata sunt anno à Christo Domino, millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, die vigesima secunda mensis Ianuarij.

VENERABILIS VIRI

PETRI DE HONESTIS CLERICI RAVENNATIS REGVLA,

Quingentos ante annos ad Clericos suos scripta.

A DOMNO.

CONSTANTINO CAIETANO, Syracusano, Abbate S. Baronti ex Congregatione Casinensi, & Abbate Præside nte Romani, Apostolicique Collegij Gregoriani,


DOMVS S. BENEDICTI,

Ex M. S. Codice eiusdem Collegij Bibliotheca Aniciana, nunc primum recognita, atque edita.



PARISIIS,

M. DC. LXIII.



DOMNI CONSTANTINI

ABBATIS CAIETANI, AC VINDICIS BENEDICTINI.

In Regulam Venerabilis viri, Petri de Honestis, Clerici Rauennatis,

Ad Lectorem suum Humanissimum, Præfatio.

IN fine huius Quarti Tomi Sanctissimi Doctoris nostri, Petri Damiani, addendam curauimus Regulam illam, quam ad Clericos, & Canonicos informandos scripsit Petrus Clericus Rauennas duplici potissimùm de causa. Primò, vt studiosi quique, qui ferè hucusque vtrumque confudere, intelligant, alium esse Petrum hunc à nostro. Secundò, vt etiam cognoscant Petrum Clericum suam hanc Regulam edidisse pro Clericis, & Canonicis illis, qui regulariter apud Matrices Ecclesias penes ipsos Episcopos, vel in Collegiatis aliis ad Normam potissimùm Concilij Aquisgranensis degebant: non verò pro S. Augustini Professoribus. Huius enim Regulæ obseruantia (si Regula ea fuit, vel potius Epistola) ab eiusdem
C Sancti Doctoris obitu vsque ad eam ferè tempestatem, vix audita fuerat.

Quod igitur ad primum spectat; etiam si vterque Petrus vocaretur, eandemque Rauennam pro patria habuerint; professione nihilominus, atque ætate, cælo distare cognoscuntur. Nam noster Petrus à maiori natu fratre, qui eum paternè nutriuerat, relicto Gentis suæ cognomine, Damiani cognomen assumere voluit; tametsi (vt ea eius Scriptis alibi notabo) nobilibus, non obscuris (vt quidam gratis affirmarunt) natus sit; Petrus etiam hic alius Honestorum Stemmate, & familia quoque clarus, editus est.

Alius fuit S. Petrus Dam. alius Petrus de Honestis.

Professionequoque Petrus Damiani Monachus fuit, Eremita, & Prior Monasterij Sanctæ Crucis de Auellana, in Vmbria, non longè ab Eugubio, Ordinis S. P. N. Benedicti, vt non tantùm ea grauioribus, iisdemque coætaneis Scriptoribus, verùm etiam ex illiusmet Scriptis patenter habemus; quidquid alij fingant, affirmantes ipsum Augustinianum, non Benedictinum fuisse; vel etiam (vt falsò adhuc alij) ex Augustiniano Benedictinum euasisse; cum is ante Monasticam vitam nulli Regulæ fuerit addictus; immo Sacrarum Litterarum, & vtriusque Iuris Doctor, Parmæ Legis peritiam docuerit, vt nos in eius Vitæ commentariis, Deo duce, clariùs ostendemus.

Aliùs verò Petrus fuit Clericus, Clericorumque Prior: Qui cum videret multos in Clericis abusus
D (quos Petrus Damiani suis præsertim in Epistolis deplorat, reprehenditque) ille condito Monasterio in littore maris Adriatici, in Beatissimæ Mariæ Virginis honorem, Regulam ea Sanctis Patribus, ac præcipuè, vt videre est, ex ea S. P. N. Benedictini conflatam, præscripsit, & Paschali II. Pont. Max. confirmandam transmisit, vt corruptos mores componeret. Non negamus tamen, hoc ipsum eiusdem Monasterium (sicut & Benedictinorum quamplura) Augustinianorum postea iuri addictum fuisse.

Postremò, quod ad ætatem attinet, Petrum Damiani obiisse anno Christi Millesimo septuagesimo secundo, omnes eiusdem temporis Scriptores (vt fusè quoque probat Eminentissimus Cardinalis Baronius) contestatum relinquère. In primis, qui totidem id verbis annotauit, Bertholdus Constantiensis in Auctario ad Hermannum Contractum, hæc habet: *Anno millesimo septuagesimo secundo, Petrus Damiani, piæ memoriæ, migrauit ad Dominum VIII. Kal. Martij, cui Dominus* Geroldus, reuera Monachus, scientia Scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in Episcopatu successit.*

Card. Bar. Annal. to. 11. ad ann. 1072.

** Domnus Giraldus.*

Ad hæc, Petrum Damiani anno ætatis suæ sexagesimo sexto, in suo sanctæ Mariæ Congregationis Auellanensis, seu Columbæ Monasterio, Fauentiæ decessisse, Sacrasque illius reliquias ad hunc vsque diem, magna ibidem cum veneratione asseruari, adeo clarum est, vt probatione non indigeat. E contra verò Petrus Clericus ad Paschalem II. Pont. Max. qui ab anno MXCIX. ad MCXVIII. vixit, cuique Regulas suas confirmandas direxit, ætatem protraxit: vnde etiam eiusdem Paschalis extant litte-
E ræ ad illum, datæ Laterani III. Non. Iul. Indictione VII. Incarnationis Dominicę anno MCXV. addunt quoque Scriptores, eum octogenario maiorem, & in Portuensi S. Mariæ Monasterio, quod ipse paulò extra Vrbem Rauennam in littore maris Adriatici construxerat, obiisse anno Domini MCXIX. IV. Kal. April. Eius autem tumulo hi versus, qui & nostram confirmant sententiam, incisi feruntur.

Vide Præf. nostram ad Tom. 4. Petri Damiani.

Hic situs est Petrus, Peccans cognomine dictus,
Cui dedit hanc Aulam meritorum condere Christus,
Anno milleno centeno debita soluit.

IV. Kal. *Apr.*

Doctè quidem in hanc rem Hieronymus Rubeus: *Satis autem, vt puto, constare potest quantùm inter hunc Petrum Portuensem, & Petrum Damiani intersit. Est quidem vterque Petrus, vterque Rauennas: sanctè ambo, atque innocenter vixerunt, eodemque ferè tempore, quodque fecit, vt eos multi non internoscerent, ambo*

Hier. Rub. Hist. Rauē. lib. 5.

*Peccatores appellati. Inoleuerat enim mos, vt qui religiosè tunc viuerent, ob animi demissionem sese inscriberent Peccatores; idque facilè cognoscet, qui monumenta illorum temporum euoluerit. Petrus tamen Portuensis Præfectus, semper Sacerdos, & Clericus, vt aiunt, Petrus autem Damiani Monachus. Ille in Portuensi Cœnobio perpetuò ferè vitam traduxit; Hic in Catriana solitudine. Ille Rauenna diem obiit suum; Hic Fauentiæ. Ille IV. Kalen. Aprilis; Hic VIII. Kal. Martij. Ille anno millesimo centesimo decimo nono; Hic *octogesimo supra Millesimum. Quodque hac ratione se ij differrent, Dantes de Petro Damiani scribens, videtur testari. Dum enim Petrum Damiani loquentem inducit, se Petrum Damiani fuisse inquit, in Catrianaque solitudine vixisse: Petrum autem Peccatorem in Diuæ Mariæ Virginis ad littus Hadrianum, commoratum.* A

* Septuagesimo secundo, corrige.

Dant. Cant 20. paradis

Dantis verò Aligerij, Poëtæ Etrusci, Testimonium hoc est:

Tra duo liti d'Italia surgon sassi,
E non molto distanti alla tua patria,
Tanto, che i tuoni assai suonan più bassi
E fanno vn gibbo, che si chi ama Catria,
Di sotto al quale e consecrato vn Eremo,
Che suol esser disposto à sola Latria. B
Cosi ricomminciommi il terzo sermo,
Et poi continuando disse quiui
Al seruigio di Dio mi fei si fermo,
Che pur con cibi di liquor d'vliua
Lieuemente passaua Caldi, & Gieli,
Contento ne pensier contemplatiui.
Render solea quel Chiostro a questi Cieli
Fertilmente, ed ora a fatto vano,
Si che tosto conuien, che si riueli.
In quel luogo fui io Pier Damiano:
E Pietro Peccator fu nella casa
Di nostra Donna in sul lito Hadriano.
Poca vita mortal m'era rimasa,
Quando fui chiesto e tratto à quel Capello.

Petrus Marionus V. C.

Hos autem Dantis versus Petrus Marionus V. I. D. rerum multiplicium eruditione insignis, mihique amicissimus, latinè sic reddidit. C

Talibus est rursus dictis mihi fariér orsus:
Inter vtrumque Italum iuga surgunt ardua littus,
Non procul Vrbe tua, rapidus sonat ætheris ignis
Inferiora plaga, sic vertice nubila tangunt:
Angulus hinc oritur, cui nomen Catria, sub quo
Surgit adorando Superum domus apta parenti,
Desertas inter cælo gratissima rupes.
Hic ego tam certus mansi seruire Tonanti,
Vt mea mensa alias haud tempore quolibet anni
Perfusas epulas quam Palladis arbore nosset,
Cælestes sed erant mea gaudia voluere curas:
Fertilis ille Polo quondam locus esse solebat, D
Seminaque ingenti cum fœnore reddidit, at nunc
(In populi mox exibit) pro frugibus illic
Infelix lolium, & steriles nascuntur auenæ.
Illic Petrus ego Damiani tempora duxi,
Ac Petrus falso peccator nomine dictus,
Virginis Hadriacum prope littus vixit in æde;
Instabat mihi iam mortalis terminus æui,
Cum mea nolentis sunt tempora cincta Galero.

Aug. Ticin Propug. cā. Ord. par. 4. cap. 21.

At cùm hæc adeo clara sint, vt clariora magis esse non possint; nihilominus rerum Augustinianarum Scriptores ad hanc vsque diem inuictè satis contendunt, Petrum Clericum, cognomento Honestum, hunc ipsum esse, qui & Petrus Damiani, Monachus, & Cardinalis. Quod reuera nusquam crederem, nisi multoties legissem apud Augustinum Ticinensem, qui de Canonici Ordinis sui propagatione edisserens, sic commentatus est: *In Italia vsque ad tempora B. Petri Damiani apud Rauennam in Canonica S. Mariæ in Portu, deinde per Italiam ab eo capite est propagatus. Ipse namque vir Sanctus, clara ex familia de Honestis Rauennæ natus, prius apud Auellana locum Eremiticam duxit vitam: deinde Episcopus Ostiensis, & Cardinalis ordinatus, tempore Schismatis inter Cadaloum Episcopum Parmensem, & Alexandrum II. Pileo à se sponte abdicato, ad Canonicam præfatam se transtulit, ibique post multa præclara librorum edita Opuscula, & pietatis magnificè gesta, eiusdem loci Prior, sanctè, pièque in Domino quieuit. Extant vsque in præsentiarum Constitutiones ab eo editæ, de Communi Vita Canonicorum Regularium, & Paschalis II. authoritate confirmatæ.* E

Idem par. 5 confirmat cap. 8.

Sed attende etiam, quæso Lector, quæ figmenta in medium proferat, suos Canonicos Ticinensis iste propugnans: *Ordo idem Canonicus*, inquit, *ad Regularem obseruantiam efflorvit per Sanctum virum Petrum Dominum, in Portuensi Canonica, Diœcesis Rauennatis, deinde toto in Tuscia, præsertim in agro Lucensi apud Frigionariam, ipso authore Petro Damiani, coadiuuantibus Alexandro II. & Illustri Comitissa Mathilde.* Huic accedit Ioannes Trullus Canonicus etiam Regularis Augustinianus. qui postquam multa contra rei veritatem affirmasset, Trithemiũ Abbatẽ, verissimè licet scribentẽ, non veritus est apprehendere:

Io. Trul. de Ord. Canõ. lib. 2. cap. 5.

Hæc omnia, subdit, *eo retuli, vt manifestũ fieret, Petrũ Damianum fuisse Canonicũ Regularẽ, Episcopum Ostiensem, & Cardinalem: nec quemquam moueat Ioannes Trithemius, astruens, Monachum fuisse Benedictinum quem-*

A *claruisse inquit, sub Henrico IV. anno Domini ML.* In eumdem labuntur errorem Ioannes de Nigra-valle, Titulo de Doctoribus Ordinis Canonici: Raphaël Volaterranus Anthropologiæ lib. 21. Alphonsus Ciaconius, in vitis Summorum Pontificum sub Stephano X. dicto IX. Ioannes Baptista Signius de Ordine, ac Statu Canonico lib. 1. cap. 4. Basilius Serenius lib. priuileg. Canonicorum S. Augustini pag. 10. aliique complures non nisi nouissimi, falsissimam hanc eandem opinionem totidem verbis confirmantes.

Cæterum non defuerunt & alij, qui Petrum eundem Clericum Portuensem, ipsum fuisse Petrum Damiani asseuerantes, Benedictinis, non Augustinianis annumerarunt. Ettoneam istorum opinionem Antonius Possevinus nouissimè amplexus est, ita dicens: *Petrus Damiani filius, qui ita ferè ab omnibus appellatus est; cum eius familiæ cognomen esset Honestorum: quamobrem & de Honestis dictus est: se verò ipsum altero cognomento insigniuit, dum ad alios scribens, se peccatorem subscribebat, nobilis Rauennas. Monachus autem Monasterij * S. Andreæ de Auellana Ord. S. Benedicti Congregationis Columbæ, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, anno 1058. sed anno 1072. ad Monasterium suum amore quietis, & solitudinis reuersus obijt Fauentiæ in Cœnobio S. Mariæ quod cum quinque aliis construxerat, anno 1080. die 22. Februarij. Cùm autem Volaterranus lib. 21. Anthropologia, & quidam alij scripserint, eum fuisse Ordinis Diui Augustini, sine dubitatione, quod diximus, aut ignorarunt, aut minus rem ipsam indagarunt.* Ant. Possev. appar. Sacr. tom. 3.

B Sed iam huiusmodi commenta missa faciamus. Sicut enim nebulæ à Solis radiis effugantur, sic ea, quæ contra leges historiæ asserunt, veritatis lucem sustinere non possunt, sed ad exactam temporum rationem ponderata euanescunt. Maneat igitur suus cuique Religioni honos; proprias, ac peculiares vnaquæque suorum Maiorum imagines seruet, ac veneretur: nec altera alterius titulos sibi vendicet. * Imo S. Crucis.

Certè in Ecclesia Sancta, quæ circumamicta est varietatibus, ita omnium timentium Deum, eiusque mandata custodientium merita per charitatem communicantur; vt tamen diuisiones gratiarum in singulis Religiosorum Ordinibus Vestium diuersitate notentur, ac discernantur.

Verùm enim verò demonstrata iam veritate, quòd Venerabilis Dei seruus Petrus de Honestis, Rauennas Clericus fuerit, & diuersus ille a S. Petro Damiani Ordinis S. Benedicti Cardinalis doctissimus, operæpretium nunc iudicamus errorem alium detegere de eiusdem Petri Clerici professione. Canonici namque S. Augustini, & quidem recentissimè suum illum vindicant, & eiusdem S. Augustini Canonicum: Quemadmodum & S. Vbaldum Eugubinum Episcopum. Quod omnino falsissimum apparet ex eius ætatis scriptis monumentis. Etenim nos cùm Regulam ipsius B. Petri Clerici ad Canonicos suos instruendos scriptam hoc loco inseramus, non tam se offert occasio, quàm postulat argumentum, vt inquiramus: An Regulam ille Magni Augustini professus fuerit; Cùm & multa lux hinc affulgebit rei historicæ, & ex Gentilitio errore emergent plurimi, qui hactenus autumati sunt, & docuerunt illum Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini. Quod vt nulla veritate subsistens, facili negotio conuincetur erroris. Nam C (vt Hieronymus Rubeus habet) *Petrus de Honestis cùm esset Sacerdos, vt votum persolueret, quod in tempestate aclus nuncupauerat Diuæ Mariæ Virgini, in Portu Rauennati Ædem, ac Cœnobium exstruxit. Quod deinceps ob eam à loco sumptam causam, Portuense Cœnobium est appellatum: ibi Sacerdotum Conuentum instituit, de quo diximus, &c.* Et Baptista Signius: *Petrus Primus Portuensis Rector, qui & ibi Ordinem Canonicum primus instituit.* *Petrus de Honestis Clericus Rauennas non fuit Canonicus Regularis S. August.* *Hier. Rub. histor. Rauennat. l. 5.*

Nulla igitur præter ab Institutore illo, primoque Portuensis Cœnobij Rectore inuectam, Regularis Institutio inquirenda est in Portuensi Cœnobio. Hæc autem Augustiniana, siue ad Magni Augustini Regulam non fuit. Præscripsit enim suis Regulam Petrus, quam post Paschalis PP. II. Apostolica auctoritate confirmauit. Præter hanc autem seu Regulam, seu Constitutiones ab eo scriptas, quas hîc damus, per id temporis nullam legimus Normam ibi Sacerdotum mores formasse. Hoc duplici probamus argumento: Primò, ab his ipsismet Constitutionibus: Secundò, quòd ea, quæ nunc vocatur S. Augustini Regula, quæ sola in controuersiam venire poterat, Regulæ nomen, nondumque vix induerat. Ad primum quod attinet, in Proœmio harum Constitutionum ita Petrum loquentem habemus, & affirmantem: *Diligenti inquisitione facta neminem Sanctorum Patrum Prophetica, & Apostolica doctrinæ seruantem exempla, & seruantem interna, Clericis in vnum commorantibus certam, fixamque, & sufficientem Regulam, & Ordinis Canonici* D *singularum varietatum quæque negotia continentem dictasse: Vbi sicut Monachis in Regula Monastica, sic Clericis modus conuersandi & singula necessaria faciendi, ac quæque debita, & Ordini Canonico congruentia exhibendi, haberetur certissimus.* Ita ille. Quo quid clarius in rem nostram? Nam si nullus Sanctorum Patrum Clericis in vnum commorantibus certam, fixam & sufficientem Regulam dictauit, ergo Regula S. Augustini aut Orbi nota non erat per ea tempora, vt alibi probamus: aut quod huius loci magis est, B. Petro de Honestis, & Portuensis Cœnobij Cultoribus erat incognita. Alias enim non sic audacter, & vniuersim affirmasset Petrus, nullam Sanctorum Patrum Regulam Canonicis dictauisse, aut eam dictandi prouinciam sibi assumpsisse. *Signius lib. 1. prope finem.* *Petr. Cleric. in proœmio Regulæ.*

Si regerat aliquis: S. Augustinum Regulam quidem scripsisse, at non sufficientem, non continentem Ordinis Canonici singulares varietates, modum conuersandi, & singula necessaria faciendi. Ride Lector, indignissimum effugium, quod ab Augustini filiis, aut cultoribus proficiscatur: Vt magnum illud eloquentiæ flumen, totius scientiæ promptuarium, & sapientiæ, ac doctrinæ, tum humanæ, tum cæ- E lestis immensus Oceanus, cùm se ad Regulam scribendam Canonicis applicuisset, tamen imminutam illam, imperfectam, deficientem scripserit. At nec sic effugiunt. Nam si vllam etsi insufficientem S. Augustinus exarasset, eamque obseruassent Portuenses, saltem illius meminissent, vt Regulæ fundamentalis, vt suæ vitæ essentialia continentis. Nam produc mihi quascunque cuiuscunque Religionis Constitutiones, vt vocant, quæ diductiùs, explicatiúsque persequuntur, quæ in Regulis continentur, an non in singulis Capitulis, foliisque Regulæ meminerunt? Et cùm Cõmentaria quædam in Regulã sint, cùm glossæ, in textum, an non futile esset imaginari eas, quam Regulam commententur, cuius textus sint glossæ, non explicari? Pari modo Constitutiones hæ Portuenses si Regulam S. Augustini tamquã basim supposuissent, & quæ breuiùs in ea diducuntur, explicuissent; debuissent certè vel semel ad minimum, illius meminisse, eamque nominasse Regulam, quam ipsæ originariam, & essentialem, quamque copiosiùs illustrabant, & perficiebant. Quod non fecerunt. Immo clarum ex iisemet est, eorumque contextu, nihil illis esse cum sancti Augustini Regula commercij. Hoc in libro nostro de Antiquitate Canonicorum Regularium, & *Obiectio.* *Solutio.*

Cōſtit. Caſet. in lib. de Antiquitate Canon. Regular. & Regul. Auguſt. cap. 1. 2.

Auguſtinianæ Regulæ deduximns hiſce verbis: *Deinde in corpore ſuarum Legum Portuenſes, quid inutili repetitione, obedientiam, paupertatem, continentiam, victum, veſtitumque, communia & plura eiuſmodi ſtatuerent, nulla habita mentione Regulæ profeſſionis ſuæ, aut facta ad eam relatione; quæ ea prius ſtatuerat, ſi ab illis fuiſſet recepta?* A Exemplum eſto primum Conſtitutionum Caput in qno communi definiione concluſum fuit, *Clericum propriis facultatibus, nec non voluptatibus renunciare debere.* Hoc enim iniungunt, quia Dominus Leuitis in veteri Lege poſſeſſionibus, & proprietate interdicit, Quia Chriſtus in Euangelio conſulit: Quia Apoſtoli exemplo firmauerunt: Quia Doctores Hieronymus, Auguſtinus, & Proſper ita docuerunt: non quia Regula hoc illis imponit.

Conſtitut. Portuenſ. cap. 1.

At quæſo tibi, nunquid breuiùs, firmiùs, efficaciùs ſtatuiſſent (ſi in Regulam S. Auguſtini tanquam in viuendi Legem iuraſſent) paupertatem, rerumque propriarum abdicationem, vnà cum Regula profeſſus fuiſſe, & voluiſſe Clericos, ac proinde vota reddenda. Diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio. At, inquam, non promiſſionis huius, non Regulæ promiſſæ, non Voti, non Auguſtini vt Patris, vt Legiſlatoris, ſed tantùm vt Eccleſiæ communis Doctoris, ſicut aliorum, etiam meminerunt. Deinde in hoc ipſo primo Capitulo, bis mentionem fecit Auguſtini, primò docentis in Commentariis de Verbis Domini, B deinde quæ docuerat executioni mandantis in Sermone de Cōmuni vita Clericorum. At ne per vmbram quidem, quod potius debebant, Regulæ mentionem faciunt, quæ mihi pro argumento efficaciſſimo ſunt, Regulam Auguſtini (etiamſi ea tum modo cognita fuiſſet. & recipi cœpta) non fuiſſe introductam, nec obſeruatam in Monaſterio Portuenſi, & conſequenter Petrum de Honeſtis nequaquam Auguſtinianum fuiſſe. Hæc nos ibi.

Vbi ſup.

Et certè conſideranti hæc primi Capitis Conſtitutionum verba: *Sed ne ſoli hoc ſuper Vita, & Regula Catholicorum Clericorum videamur ſentire, accedant & alij teſtes in idem conſentientes, viri religioſiſſimi, & omni ſcientia pleniſſimi: Hieronymus videlicet, Auguſtinus, Proſper, & quid ſuper hoc dixerint, vel intellexerint, audiamus.* Et poſtea, *Auguſtinus in nonodecimo capitulo de Verbis Domini ſic ſcribit, dicens: Venerunt Publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis, quàm quod conſtitutum eſt vobis.* Et poſt pauca, *interrogauerunt eum milites, Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hic iam cognoſcere ſe debet omnis homo, qui militat: Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, &c.* Paulóque poſt: *Nam & Clericus Catholicus hac ſententia retinetur: Si enim non contentus ſtipendiis fuerit, quæ de Altario Domino* C *iubente conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur eſſe, quàm Clericus, & cætera. Qui (vt facta eius magis loquerentur, quàm lingua) in domo ipſa Epiſcopi ſtatuit Monaſterium Clericorum, vbi nemini licebat habere aliquid proprium, ſicut ipſe teſtatur dicens: Volui habere in domo iſta Epiſcopi Monaſterium Clericorum. Ecce quomodo viuimus, nulli licet in Societate noſtra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent? Nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet.* Hæc Auguſtinus: Et hæ Conſtitutiones Portuenſes.

S. Auguſtinus.

Vbi mecum obſerua: Inquirere eos diligenter, quid de Vita, & Regula Clericorum Catholicorum dixerit Auguſtinus, vel intellexit. Potuitne ſe offerre aptior Regulam Auguſtinianam allegandi, & coram adducendi locus, ſi Auguſtinianam Regulam ipſi obſeruaſſent. Nam in ipſo Regulæ, quam vocant, limine habes: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia nō æqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuique, vt cuique opus fuerit.* Paulóque poſt: *Qui verò aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium libenter velint id eſſe cōmune.* Habes hic bonorum communionem, quam vndique conquiſitis argumentis ſtabilire contendunt Portuenſes, claiè & expreſſis verbis iniunctam. Multò igitur illi ad rem aptè magis hæc ſuæ Regulæ verba allegaſſent ex Auguſtino, quàm Commentaria in verbis Domini, Quæ non ita ad propoſitum, vt Regula, faciunt. D Deinde, ſi factum Auguſtini doctrinæ ſuæ conſonans, quærendum erat, quid illi ad Sermonem potius de Vita Clericorum recurrunt, quàm ad ipſam Regulam? Nam vt magnus Filius Gregorius de magno Patre Benedicto ſcripſit: *Si quis velit ſubtilius mores, vitamque cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione Regulæ, omnes Magiſterij illius actus inuenire: Quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter viuere quàm docuit.* Ita de S. Auguſtino philoſophandum erat, eius actus, vitamque melius, quam in ipſa Regula inueniendam: Nec enim potuit aliter viuere, quàm docuit. Igitur concludamus oportet, cùm nuſquam Portuenſes meminerint Auguſtinianæ Regulæ, imò nihil ex ea, ſed de Benedictina potius in ſuas Conſtitutiones tranſtulerint (nam finis primi Capitis, & ſecundum penè totum deſumptum eſt, ex cap. 4. & 6. Regulæ S. Benedicti) cùm eam vt fundamentalem lapidem non ſuppoſuerint Inſtitutis à ſe factis, è quibus clarum eſt, nullum ius, auctoritatemve in illud Monaſterium, eiuſque Cultores obtinuiſſe in Regulam S. Auguſtini; planè fatendum eſt: Eam nondum in Portuenſe Cœnobium inuectam, eiuſue impoſitam Incolis Et conſequentia legitima Petrum in Honeſtis S. Auguſtini aut Regulæ, aut Inſtituto nomen non dediſſe. Et hoc alio argumento ſic deducimus.

S. Auguſtini Regula putatiua.

Gregor. 2. Dial. 26.

Nam in iſto nos volumine probamus S. Auguſtinum nullam viris aut dediſſe, aut ſcripſiſſe Regulam: Id- E que euincimus non leuiuſculis coniecturis, ſed auctoritate multiplici eorum qui Regulæ huius non meminerunt, cum maximè debuerint: Qui ſolùm Patriarchā Benedictum ante annum milleſimum Legiſlatorem agnoſcunt: Qui illius vt iunioris Canonichorum, vt recentiorū mentionem faciūt: Qui expreſſe aſſerūt, S. Auguſtinum Regulam aut nō omnino, aut viris ſaltem non dediſſe. Ratione autem illud probamus ex natura Regulæ deſumpta, quodque illius nuſquam meminerit Poſſidius, nuſquam Auguſtinus, ſed ſuos ad Actus Apoſtolorum remiſerit à tempore, quo eam ſcribere debuerit: Quodque totò illo interſtitio inter Auguſtinum, & Iuonem ſcilicet, vſque ad aliquos poſt ſæculum decimum annos, nuſquam, nunquam inueniantur Canonici Regulares: hocque ex omni genere Auctorum, & Conciliorum, ex defectu Virorum Illuſtrium, Sanctorum, & Priuilegiorum deducimus inuictè; eóſque ementita antiquitate exuimus, & nonnullis ſnotum Albo adſcriptis Sanctis ante milleſimū annū denudamus. Vt cùm B. Petrus de Honeſtis primo poſt milleſimū ſæculo vixerit, quo S. Auguſt. Epiſtola centeſima nona ad Moniales ſcripta, primò in Regulam virorum emerſerit, & tranſlata fuerit, certè credendum eſt, vix illius notitiam habuiſſe eum, & fatendam omnino, non tum fuiſſe in Monaſterium Portuenſe inductam, cùm ſicut bonarū Conſtitutionum à Portuenſibus editarum inſignis mentio habeatur apud Hiſtoricos, ita & notitiæ Regulæ iam tum pri-

Quibus argumentis probatur S. Auguſtinū nō ſcripſiſſe Regulam.

Petrus de Honeſtis Regulam S. Auguſt. nō agnouit.

A mò mundo cognitæ, & in Monasterium illud introductę præclara memoria fuisset adposteros transmissa. Nam sicut summa laus erat eidem Petro suas edidisse viuendi formulas, ita summo dignus fuisset encomio, si magni Augustini præclaram Regulam recenter iuris publici factam, aut à viris cultam, amplexatus fuisset. Quod eum arguit, nequaquam S. Augustini normæ, aut Instituto subiectam fuisse. Omitto alia huiusmodi argumenta prosequi, quæ latissimè (vt etiam supra innuebam) deducta sunt in libro nostro de Canonicorum Regularium antiquitate, qui prælo paratus mox publici iuris fiet.

Præterea, omittere etiam non possum, quin optima consecutione deducam; Si B. Petrus de Honestis non fuit Canonicus S. Augustini Regularis, Portuense Cœnobium primis iis annis Regulam eiusdem S. Augustini non obseruauerit: nec S. Vbaldum, Eugubinum Episcopum, Canonicum S. Augustini Regularem fuisse: Qui præter Portuenses Constitutiones, Regulam nullam aut in Portuensi Cœnobio obseruauit, aut secum ad Eugubinum Monasterium suum reduxit. Obserua igitur Ecclesiam SS. Martyrum Mariani, & Iacobi fuisse quidem Regularem, at non ad Augustinianam, sed Aquisgranensem Regulam, quæ digesta, & descripta in Aquisgranensi Concilio sub Imp. Ludouico Pio, & eius iussu publicata, plures per Italiam, Galliam, aliasque Prouincias obtineat. Veruntamen eum per S. *S. Vbaldus Episc. Eugubinus nõ fuit Canonicus Regularis S. Augustini.*
B Petri Damiani tempora, seu lapsa plerisque in locis eius Obseruantia esset, seu in desuetudinem abiisset, ipse grauiter de iisdem Canonicis conquestus, plures apud Alexandrum II. Papam querelas deposuit, præsertim Epistola 18. vbi Regulæ huius mentionem facit. Disciplina autem Canonicorum, siue Clericorum Ecclesiæ Eugubinæ iam dictæ, qualis fuerit, describit nobis B. Theobaldus in Vita Vbaldi, atque in Episcopatu Eugubino eidem successor, ita inquiens: *Cùm autem Dei famulus (Vbaldus) adolescentiæ annos seniliter transiisset, & morum illum grauitas omnibus commendaret, in prædicta Ecclesia SS. Martyrum Mariani, & Iacobi, Prior efficitur, & prælationis Ecclesiasticæ dignitate, communi omnium voto honorificè sublimatur. Et quidem suscepti Prioratus dignitas satis erat honorabilis; sed qui suscepti fuerant ad regendum Clericos, omni honore & reuerentia erant indigni. Nam in prædicta Ecclesia nulla tunc temporis Ordinis obseruantia, nulla prorsus Religioni colebatur memoria, mercede annua erat conductus, qui campanas pulsaret in hora Officiorum: & quia Clericorum vnusquisque in domo propria epulabatur, & dormiebat: Tota ferè obseruantia Monastici cultus custodiebatur in pulsu Nolarum: Claustrum patebat omnibus, viris scilicet, & mulieribus: nec vllo ibi tempore porta claudebatur: quisque habebat pellicem suam, & relicta disciplina Ecclesiastici Ordinis, turpitudini, & luxuriæ seruiebat muliebri.* Hæc ibi. *Petr. Dam. Epis. 18. l. 4. Theobaldus Episc. in Vita S. Vbaldi non longè à princ. extat ap. me MS.*

C Ex quibus deduci facilè potest; SS. Mariani, & Iacobi Ecclesiam nunquam suscepisse Regulam S. Augustini. Nam cum nomen ea, naturam, vigoremque Regulæ annum circiter millesimum tantummodò induisset, si in dicta Ecclesia fuisset recepta, nunquam profectò decem, vel viginti annis ita in obliuionem abiisset, vt nullum illius vestigium remaneret: nunquam qui dictæ Ecclesiæ Incolæ, qui primò illam amplexati fuerant, sic abiissent retrorsum, vt de sub iugo illius tantillo tempore se subtraxissent, vt præstantissimæ illi Normæ adeo difformes essent. Conclude igitur, cum S. Vbaldus disciplinam, Regulamue Augustinianam in dicta Ecclesia nec repererit, nec professus fuerit, cum à Portuensi Cœnobio Portuenses B. Petri de Honestis Constitutiones, non S. Augustini Normam secum deuexerit ad suos: Conclude, inquam, illum Augustinianum aut Regula, aut professione nequaquam fuisse.

Obiicies ea Romani Breuiarij in festo S. Vbaldi verba: *Vbaldus Sacerdos effectus patrimonium suum pauperibus, & Ecclesiis distribuit: Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Institutum suscipiens, illud in Patriam transtulit, atque in eo aliquandiu sanctissimè vixit.* Fateor quidem magni ponderis auctoritatem esse, quæ à tanta pharetra procedit. At respondendum: Non omnia de fide esse, quæ in particularibus
D Sanctorum historiis leguntur. Nam digestores Romani Breuiarij Sanctorum Legendas secuti, quas ipsi prudenter autumantes verissimas pro talibus eas proposuerunt recitandas; Nihilominus quod in eisdem historiis aliqui næui irrepsissent, iis eluendis, & à Pio V. Sanctissimo, & ab Vrbano VIII. Prudentissimo, Maximis Pontificibus, Correctores adhibiti sunt. Quod si aliquid eorum diligentiam effugerit, non iis id vertendum vitio, nec aut diligentia in iis, aut prudentia, aut doctrina desideranda; sed illis imputandum, qui Acta, Vitasque non ita veras eisdem subministrarunt. Quandoquidem prout etiam accidere solet in narratiuis Bullarum Pontificiarum, vt falsa aliqua irrepant, non sanè culpa Pontificis, sed eorum potius, qui malè narrant. Ita eorum errore factum, vt hic næuus permanserit in Breuiario Romano, culpa tamen eorum, qui res gestas S. Vbaldi Sacrę Rituum Congregationi falsas obtruserunt. Vt sicut vitio non est vertendum Correctoribus, aut Pij V. aut Clementis VIII. Romanorum Pontificum, quod aliquid eorum diligentiam fugerit, à Sanctissimo D. N. Vrbano VIII. corrigendum: ita nec culpandi, quod Sanctitas sua Correctioni nuperæ proposuit, si summam illorum industriam, & laborem, ac doctrinam tantillum quid euaserit à posteris obseruandum. Dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Hæc autem sicut à me sincerè dicta sunt, non vt quemquam carperem, sed vt veritatis patrocinium sumerem, sic in optimam partem velim, Candide Lector, acci-
E pias. Vale.

De Petro Clerico, siue Priore Portuensi, cognomento Peccatore.

Ex libro quinto Hieronymi Rubei, Historiæ de gestis Rauennatum.

INsignis hoc tempore habebatur Petrus Portuensis Cœnobij Præfectus, qui nobili Honestorum Rauennati familia genitus, litterarum haud omnium expers, cum esset Sacerdos, vt votum persolueret, quod in nauigatione tempestate actus, nuncupauerat Diuæ MARIÆ Virgini, in Portu Rauennati, Ædem, ac Cœnobium extruxit: quod deinceps ob eam à loco sumptam causam, Portuense Cœnobium est appellatum; ibi Sacerdotum Conuentum instituit, de quo diximus, quibusdam præscriptis Legibus, quas Paschalis II. Pontifex Maximus exitu huius anni Millesimi centesimi decimi sexti ad se missas firmauit, Petro ipso ita postulante. Eæ autem Petri fuere litteræ: Paschali Dei nutu, summæ, & Apostolicæ Sedis Episcopo, Petrus Peccator, Clericus, cum Confratribus suis in Christo salutem, & obedien-

tiam omnem. Cùm Veſtræ Beatitudini Petri vicem in Eccleſia gerere gratia Diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcumque in Eccleſiis ſtatuuntur vbilibet facienda, veſtra auctoritate, iudiciis, pro iuſto, vel reprobari vel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ inſtitutionis Normam ex pluribus, vt in ſequenti patebit, collectam, & pro noſtri temporis fragilitate diſcretiuè conſtitutam Maieſtati veſtræ præſentandam mandauimus; vt eam perſpectam, & vbi oportuerit, emendatam, huius Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmatam, atque ſuſceptam, nobis remittatis, de cætero veſtra præceptione tenendam. Benè valete. *Paſchalis autem Pontifex omnibus lecti, examinarique diligenter iuſſis, ad hunc modum reſcripſit:* Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis apud Eccleſiam S. Mariæ in Portu Rauennatis Exarchatus regulariter, commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hanc Inſtitutionis Canonicæ Regulam, tam ore Sanctorum Patrum auctoritate conceptam, quàm & Religioſorum virorum exemplis, & morum honeſtate compoſitam nobis perſpectam, Deo Auctore ſuſcipimus, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter obſeruandam iniungimus; vt quorum ſequi veſtigia deuouiſtis in terris, eorum obtinere conſortium poſſitis in cælis. Datum Tranſtyberi, duodecimo Kalen. Ianuarij, Indictione decima. *Huiuſmodi Pontificis Litteris hi Cardinales ſubſcripſere:* Creſcentius Sabinus; Petrus Portuenſis, Cono Præneſtinus, Vitalis Albanus, Epiſcopi; Bonifacius Tituli S. Marci; Deuſdedit S. Laurentij; Deſiderius S. Praxedis; Vvido S. Balbinæ, Preſbyteri: Petrus SS. Coſmæ, & Damiani; Petrus S. Hadriani, Roſemanus S. Georgij ad Velum aureum: Comes S. Mariæ in Aquiro: Gregorius S. Angeli, Ioannes S. Luciæ, Diaconi. *Et non longè poſt* Anno, qui fuit a partu Virginis Milleſimus centeſimus decimus nonus, Petrus Peccator, Senex obiit quarto Kal. Aprilis, Rauennæ, in Portuenſi ab ſe extructo Cœnobio: ibique ad læuam ingredientibus templum, iuxta Sacram Turrim ſepultus eſt.



INCIPIT REGVLA CLERICORVM
Petri Peccatoris, Clerici Rauennatis.

Epistola ad Paschalem summæ Sedis Pontificem, in qua ei sequens Opus destinatur emendandum.

PASCHALI Dei nutu, summæ, & Apostolicæ Sedis Episcopo, * P. Peccator, Clericus eum Confratribus suis, in Christo salutem, & omnem obedientiam. Cum Vestræ Beatitudini Petri Vicem in Ecclesia gerere gratia Diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcumque in Ecclesiis statuuntur vbilibet facienda, vestræ auctoritatis iudiciis pro iusto, vel reprobari, vel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ Institutionis Normam ex plurimis (vt in sequenti parebit) collectam, & pro nostri temporis fragilitate, discretiuè statutam, Maiestati Vestræ præsentandam mandauimus, vt eam perspectam, & vbi oportuerit, emendatam, huius Apostolicæ Sedis auctoritate firmatam, atque susceptam, nobis remittatis, de cætero vestra præceptione tenendam. Bene valete.

* Petrus.

Incipit Prologus sequentis Operis.

DIVINI cultus amore in vnum collecti, Fratres charissimi; cœpistia nobiscum diligentar inquirere, vtrum quia Sanctorum Patrum Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ seruans exempla, & scrutans interna, Clericis in vnum commorantibus, certam, fixamque, & sufficientem Regulam, & Ordinia Canonici singularum varietatum, quæque negotia continentem dictauerit. Vbi sicut Monachis in Regula Monastica, sic Clericis modus conuertandi, & singula necessaria faciendi, ac quæque debita, & Ordini Canonico congruentia, exhibendi haberetur certissimus. Quæ omnia sic disposita, vt vestro sacro Conuentui visa sunt fore necessaria, quia inuenire nequiuistis, Diuina inspirante gratia, hæc singula nobiscum pro captu, & viribus vestris, partim ex Diuinæ Scripturæ, aut Sanctorum Conciliorum auctoritate, partim ex vsu quorumdam Religiosorum virorum, aut locorum: partim prout melius arbitrari potuimus, cœpistis statuere, statuta vestræ solummodò Congregationi tradere, & tradita semper tenenda mandare. Quibus seruandis cùm Sanctitas Vestra satis intenderet, cœpit super quibusdam eorum obliuione, & diuersitate immemorem oriri dubietas. Quæ de re charitati vestræ mihi iniungere placuit, vt hæc omnia, quæ vel ex auctoritate Diuinarum Scripturarum, seu Sanctorum Conciliorum, vel ex consuetudine Regularium locorum, siue virorum, vel ex vestræ deuotionis religioso affectu, aut prouido arbitrio, nobiscum vestris siquidem seruanda tradidistis in vnum digesta transcriberem: ne alicuius occasione ignauiæ, vel relinqui vnquam statuta deberent. Et ideo licet tantæ rei me imparem, & quasi inscium nouerim; elegi tamen magis vestris præceptionibus superbiam declinando obtemperare, quam inuidorum carpêtes irrisiones euitare. Hæc ergo quia ad pleniorem Diuinæ legis obseruationem sancti Spiritus gratia fauente, conscripta vestræ solummodò congregationi, prout petiris, seruanda tradidimus. & si incomposita, tamen quia à nobis statuta, & vestro rogatu, iussuque dictata sunt, benignè quæso, suscipite, suscepta seruare, vt per ista ad altiorum præceptorum verticem scandere, & postremò cælestis Regni gloriam consequi valeatis; adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

Quòd Clericorum Ordo, Leuitarum & Apostolorum vices teneat: & eorum vitam imitari, propriis quoque facultatibus, necnon voluntatibus renunciare debent, Cap. I.

Clericorum Ordinem in Ecclesia Tribus Leuiticæ locum tenere, & Apostolicæ dignitatis Iura seruare, & officia gerere, nemo sanè sapiens dubitat. Vnde certum est, eos Leuitarum, & Apostolorum regulas & vitas imitari debere: quoniam noscuntur locum tenere, dignitatem habere & officia gerere. Quæ enim lex Leuitis, & quæ à Domino regula datur Apostolis, hanc eandem Catholicis pariter Clericis, vsque in finem mundi vices eorum supplentibus, indictam, nequaquam ambigitur. Equidem quod Leuitis interdicitur, adhuc in vmbra gradientibus, quomodo nobis conceditur iam in veritate persistentibus? cum multa legamus illis fuisse permissa, quæ nobis proculdubio sunt prohibita? Aaron itaque, & filiis eius, cæterisque

Num. 18. Leuitis à Domino dicitur: *In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego enim pars & hereditas vestra in medio filiorum Israel.* Et paulò post subsequitur: *Filiis Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et de eisdem post pauca:

Ibid. *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum & necessaria separaui.* Et hæc quidem in veteri. In nouo autem Testamento, quid cuique sui discipulatus perfectioni adhærere volenti dixerit, audiamus:

Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et alibi:

Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et in alio loco, cum Apostolos ad prædicandum mitteret, prohibuit eis, dicens:

Matt. 10. *Nolite possidere aurum vel argentum.* Quod se Petrus implesse euidenter ostendit, dicens:

Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi.* Hoc etiam cæteros Apostolos fecisse testatur idem Petrus, cum pro se,

A & aliis condiscipulis suis interrogat Dominum, dicens:

Matt. 19. *Domine ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur erit nobis?* cui, & in quo omnibus idem facientibus respondens Dominus, dicit:

Ibid. *Amen, amen dico vobis: quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hæc Leuitis, & hæc Apostolis mandata sunt vtrisque; vna regula, & eadem lex præcipitur; vtrisque possessio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alij regula & lege ista tenentur, nisi Clerici, qui Leuitarum Domini, & Discipulorum Christi locum tenent, ministerium implent, vices seruant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum, & perpetuò implendum, Ecclesiis suis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac decimas

B rerum Deus dari instituit; quatenus ij, qui Diuino cultui mancipati propriis facultatibus expoliantur, sibi statuta perpetuò stipendia haberent, vnde viuant, Ecclesiæ seruiant, & pauperum necessitatibus subministrent, atque studiosiùs quæque sui Ordinis ministeria impleant, nulliusque rei, vel necessitatis occasione ab his vnquam se separent, aut sæcularibus negotijs intendant. Ex his igitur patenter ostenditur, Christo militantibus Clericis fore illicitũ & terrenas facultates tenere, & res Ecclesiæ sumere; in sæculo patrimonium habere, & Ecclesiarum portionem suscipere. Cui sententiæ confirmandæ aptatur illud Apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; vt placeat, cui se* 1. Tim

Eccli. 2. *probauit.* Et illud Salomonis: *Væ peccatori ingredienti duabus viis.* Quapropter qui Christi discipulatum sequi voluerit, sæcularibus negotiis renunciare debebit; & qui semel sacer effectus, & de Sacro viuere cœpit, iam ad viuendum Sacris vti præcipitur. Sed ne soli hoc super vita & regula Catholicorum Clericorum videamur sentire, accedant & alij testes in idem consentientes, viri religiosissimi, & omni scientia plenissimi: Hieronymus videlicet, Augustinus, & Prosper, & quid super hoc dixerint, vel intellexerint, audiamus.

S. Hieronymus. Hieronymus ad Nepotianum, de vita & moribus Clericorum inter cetera scribit, dicens: Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretatur primò vocabulum suum, & nominis definitione prælata, nitatur esse quod dicitur. Si enim Cleros græcè, latinè sors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de sorte sunt Domini: vel quia Dominus ipse sors, id est, pars Ecclesiarum est: & quia vel ipse Clericus pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui possidet Dominum, & cũ Propheta dicit: *Pars mea Dominus,* nihil extra Dominum habere potest. (Psal. 15.) Quod si quispiam aliud habuerit præter Dominũ, pars eius non erit Dominus; verbi gratia, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus; sed quasi Leuita & Sacerdos viuo decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Et post pauca in eadem Epistola eidem scribit, dicens: Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarũ, quomodo possunt esse Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Hucusque Hieronymus.

S. Augustinus. Luc. 3. Augustinus autem in nonodecimo capitulo libri de Verbis Domini sic scribit, dicens: *Venerunt autem & Publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum; Magister quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis, quàm quod constitutum est vobis. Et post pauca interrogauerũt eum milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris.* Hic iam cognoscere se debet omnis homo, qui militat. Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideò hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, & protectoribus, cunctisque tectoribus, & quicumque stipendia sibi publicè data consequitur; si amplius quærit, tanquam calumniator, & concussor Ioannis sententia condemnatur. Et paulò post addit, dicens: Nam & Clericus Catholicus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit; viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur esse quàm Clericus, & cætera. Qui (vt facta eius magis loquerentur, quàm lingua) in domo ipsa Episcopi statuit Monasterium Clericorum; ecce quomodò viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium; sed fortè aliqui habent? nulli licet; si qui habent, faciunt quod non licet. Hæc Augustinus.

S. Prosper. Sed nunc quid inde beatus senserit Prosper, audiamus: Proinde quem possidendi, inquit, delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creauit, expedita mente possidet omnia quæ creauit, expedita mente possideat, & in eo habebit, quæcumque Sancti habere desiderant; sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; sit ipse primitus Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor, & portio. Et paulò post subiungit, dicẽs: Quid vltra quærit, cui omnia suus creditor fit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Et post pauca in eodem Capitulo: Quis, inquit, cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? Aut quis præ amore illius omnia, quæ putantur magna, non contemnit? Ergo qui Deum vult possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio. Nec renunciet mundo is, quem terrenæ possessionis delectat ambitio; quia quamdiu sua non relinquit mundo, cuius bona retinet, seruit. Et vtique non potest mundo seruire, simul & Deo; ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renunciare, propter quę diligitur mundus, vt exclusa cupiditate mundi, Diuina in eis charitas possit augeri, vel perfici. Et ideò decimas frugum atque primitias, primogenita & sacrificia pro peccato, vel vota, quæ sibi Deus iussit offerri, Sacerdotibus, ac ministris distribui debere constituit, vt deuotissimo populo necessaria ministrante, ipsi Creatori, ac pastori suo liberis mentibus ministrarent. Hucusque Prosper. Nunc iam igitur ista de propriis facultatibus renunciandis sufficiant. Quod autem, fratres charissimi, propriis etiam voluntatibus renunciare debeatis, euidenter Dominus in Euangelio ostendit, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & sequatur me.* (Matth. 16.) Et: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; & qui perdiderit eam propter me, inueniet eam.* (Ioan. 5. & 6.) Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et alibi sacra perdocemur Scriptura: *Fili auertere à voluntatibus tuis.* (Eccli. 18.) Nam sicut alibi dicitur: *Voluptas habet pœnam, necessitas parit coronam.* Et in alio loco præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas:* quas qui sequuntur, quid de eis per Prophetam dicitur, audiant: *Corrupti, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.* (Psal. 13.) Vnde idem Propheta voce Prælatorum suscepta scribit, dicens: *Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* His ergo exemplis, fratres, commoniti, aliis pro Deo subesse non recusemus, sed prorsus nostris voluntatibus renunciatis, Christi voluntatem alieno, sed spirituali, ac discreto arbitrio in omnibus exequamur.

Quid præ omnibus Canonici imitari debeant.

CAPVT II.

Deut. 6. Ante omnia igitur Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis monitis edocemur, Dominum Deum nostrum, toto corde, tota anima, & tota virtute: & proximos nostros vt nosmetipsos diligere. Ex his enim duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ. (Matth. 22.) Non ergo occidant, non aliquem odio habeant, non adulterent, furtum non faciant, alienam rem non concupiscant, falsum testimoniũ non dicãt, quicquid sibi optant fieri, hoc alteri exhibeant: & quod sibi nolunt, alteri non faciant. Nõ sint superbia tumidi, luxoriæ & ebrietati non seruiant. Fratribus non detrahant; libidini & impudicitiæ penitus resistant, iracundiam tẽperent, inuidiam abiiciant. Non sint vaniloqui, non pigri, non susurrones, non murmuratores, non somnolenti, non vinolenti, non nimis edaces, non maledici, maledicentibus benedicant, persequentibus & calumniantibus ex affectu orationis suffragium præbeant; malum pro malo non reddant, sed bo- (Ex Regul. S. Benedict. c. 4.)

A num pro malo restituant, vindictâ non requirant, læsi non lædant, omnem iniuriam & offensam dimittant; solis occasum iracundiæ occasu præueniant. Iuramenta absque ineuitabili necessitate nec aliis faciant, nec ab aliis esigant; fraudes & dolositates caueant; vsuris nequaquam inseruiant; malum sibi imputent, bonum soli Deo attribuant; discordiam fugiant; discordantes ad concordiam reuocent; audiant dicentem Apostolum: Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum*, sobriè & iustè ac piè viuant, ab omni malo declinantes, & facientes bonum; sæculi negotia cuncta prorsus abiiciant, illud attendentes Apostolicum: 2. Tim. 2. B *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, vt placeat ei, cui se probauit*. Ament præterea ieiunium, pauperes recreent, hospites colligant, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, tribulantibus subueniant, dolentes consolentur, cum flentibus fleant, cum gaudentibus gaudeant, charitatem non derelinquant; pacem, si fieri potest, cum omnibus habeant; diem iudicij timeant, vitam æternam per omnia concupiscant; spem suam Deo committant, amori Christi nihil præponant; Prælatorum suorum imperiis per cuncta obediant; proprio Episcopo in omnibus secundùm Canonum institutionem obtemperent; postremò spiritualibus doctrinis operam tribuant; C lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, & cæterorum bonorum operum exercitiis vigilanter insistant, auersos reuocent, conuersos vita & doctrina ad meliora pertrahant; religionem ac propositum suum nequaquam illicitis actibus deturpent, contubernia fœminarum nullatenus appetant; vanis oculis, infræni lingua, tumido quoque ac petulanti gestu & dissolutis renibus non incedant; spectaculis & pompis sæcularibus non intersint; aleæ, aut quibuslibet venationibus minimè inseruiant; pretiosas vestes se se habere non delectentur; turpium lucrorum occupationes nequaquam appetant; sæcularia officia prorsus abiiciant; pro Diuinæ medicinæ beneficiis D munera non suscipiant; per ambitionem honorum gradus non subeant; pudorem & verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant; obscœnitatem non solùm operum, sed & verborum penitus execrentur, viduarum & virginum frequentes visitationes fugiant; castimoniam inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant; nulloque iactantiæ studio semetipsos extollant; postremò vitiis omnibus resistant ac renuncient, virtutibus adhæreant, atque eas semper possideant; legi Diuinæ & sanctarum Scripturarum monitis obtemperent, corpus castigent, delicias non ament, iram non perficiant, tempus iracundiæ non seruēt, fictam pacem nō tribuant; veritatem corde & ore E proferre studeant; orationibus, & officiis Diuinis Regul. S. Bened. c. 4. assistentes, hoc cordibus psallant, quod ore proferunt, actus vitæ suæ omni hora custodiant; cogitationes malas ad Christum allidant, & Senioribus suis patefaciant: verba vana, aut otiosa, vel risui apta nullatenus proferant; multiloquium, risumque & maximè excussum fugiant, dicente Domino Luc. 6. in Euangelio: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis*. Et Eccli. 21. in Propheta: *Stultus in risu exaltat vocem suam*. Lectioni, & orationi sine intermissione incumbant. Præterita mala semper in oratione Deo cum gemitu confiteantur, & ab his penitus non desistant, carnis desideria non perficiant: voluntatem propriam odio habeant, & Christi voluntatem in omnibus impleant: Prælatorum suorum ordinationibus & iussionibus non resistant: etiam si ipsi, quod absit, aliter agant, recolentes illud Domini præceptum, dicentis: *Quæ dicunt facite, quæ faciunt, facere nolite*. Matth. 23. Iuniores spiritualiter diligant, seniores honorent: pro inimicis in Dei amore exorent: inuicem se diligant; vicissim sibi secundùm ordinem Charitatis officio subministrent; grauitatem non solùm in loquendo, vel operando, sed & in eundo, vel stando teneant: decorem morum, sanctitatem, honestatem non solùm actionum, sed & locutionum habeant: omnes, quibus se iunxerint, sale sapientiæ condiant, & eos suis exemplis ad meliora trahant. Postremò omnia, quæ veteris, vel noui Testamenti series narrat, confiteantur, & credant, seruent, & doceant. Ad horum B ergo, Fratres charissimi, & his similium obseruationem hæc omnia, quæ me vestra Charitas scribere compulit, vobis facienda statuistis: quorum etsi aliqua videantur quasi alia, pro his tamen seruandis, & animabus saluandis honestisque conuersationis moribus imitandis sunt inuenta. Ista ergo, benignè rogo, suscipite, suscepta seruate, & in seruando persistite, quatenus per hæc ad plenioris arcem sanctitatis, & ad summam religionis perfectionem, & post vitæ præsentis labores ad gloriam sempiternæ beatitudinis peruenire mereamini.

C *Quòd his exemplis fratres commoniti, propriis facultatibus, & voluntatibus renunciauerint.*

CAPVT III.

HIs vos Diuinarum Scripturarum monitis, Fratres charissimi, & sanctorum Patrum parentes esemplis, cuncta sæculi negotia, & mundum cum pompis suis reliquistis, propriis rebus & voluntatibus, ac terrenis facultatibus renunciastis, & hanc Regulam à societate vestra perpetuò tenendam statuistis; quatenus qui hic voluntatis propriæ desideriis testitistis, & rebus sæcularibus D renunciastis, illic sanctæ vestræ voluntatis plenissima desideria effectu comprehendatis, & perennis vitæ inæstimabiles, & assiduas delicias sine fine possideatis.

Quòd vnus præesse cæteris debeat.

CAPVT IV.

QVòd autem in vnaquaque Congregatione Canonica vnus eligendus sit, qui cæteris præesse debeat, & vsus Ecclesiasticus diuinitus inspiratus exigit, & in veteri, & in nouo Testamento euidenter ostenditur: cum Moysen, & post Moysen Iosue, omnibus filiis Israel, & Aaron cæteris Le- E uitis, Petrum quoque cæteris Discipulis Dominus præposuerit.

Qualis esse debeat, qui ad Prioratum eligitur.

CAPVT V.

QValis esse debeat, qui præfertur, trina Domini interrogatio, & trina Petri manifestè monstrat responsio. Cùm enim pascendarum ouium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum, si diligat; & ter Petrus respondet, quia amat; & ter Dominus iubet, vt pascat. Io. 21.

fest. Trinam igitur Domini interrogationem A trina Petri de dilectione responsio, & trinam eius responsionem trina pascendi gregis iniunctio sequitur. Sed nunc quomodò trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet, qui Deum, & quæ Dei sunt, mente credit, & amat; voce confitetur, & prædicat; opere imitatur, & seruat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum sicut debemus, exquirimus, præuidemus, & discutimus, vtrum eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quòd si cordis fidem & dilectionem, competens sermo, & actus foris ostendit, trinæ interrogationi iam satisfacit trina responsio. Cui etiam benè ter pascendi gregis cura iniungitur; quia quisquis oues pascendas suscipit cordis iugi vigilantia prospicere, vocis officio monere, & defendere, & actuum exemplis semper eas ad Christum debet pertrahere. Illi ergo B rectè pascendi gregis cura iniungitur, qui in mente plenam habet fidem, & dilectionem interius, & in voce perfectè monendi, liberè arguendi, prudenter exhortandi scientiam, & possibilitatem exterius: & qui opere quæcunque loquitur, seruat, & sequitur. Nec quisquam pro qualibet culpa, si iam satisfecerit, in hoc officio recusandus est; cum & Petro post trinæ negationis lacrymabilem satisfactionem, quia trina in eum dilectio paruit, gregis à Domino iniuncta sit pastio. Hæc igitur trinæ dilectionis forma, Fratres charissimi, in primo Pastore, non ab alio, quàm à Christo præsignata, in eligendis est præuidenda, non solùm Prioribus, sed & omnibus personis in Ecclesia præferendis.

Vt post Prioris obitum intra tres, vel quatuor hebdomadas eligatur alius.

CAP. VI.

S. Ben. Reg. cap. 13. SAnctitas vestra, dilectissimi Fratres, summopere rogo, semper vt studeat, ne quandoque hæc vestra Congregatio vltra tres, vel quatuor hebdomadas Priore viduata remaneat: sed intra hunc terminum collectis in vnum fratribus, & diligenter super eligendo pertractatis omnibus, si sit cunctorum minimus, ille tamen concorditer eligatur ab omnibus, qui fide, & sanctitate præstantior, discretione prudentior, charitate feruentior, scientia quoque, si fieri potest, sit plenior: quique Fratrum animas, & corpora sapienter custodire, regulariter regere sciat, & valeat. Quòd si in eligendo ex diuersitate personarum orta fuerit inter fratres discordia, in tantum vt vltra statutum terminum differatur electio, tunc Prælati Ecclesiæ statuto in communi; cum oratione, & ieiunio eum eligant, quem ad hoc meliorem cognouerint, & cuius electioni plures, & meliores fratres consenserint.

Qualiter ordinetur Electus.

CAPVT VII.

CVm ergo Prior ordinatur, præparatis ad Missam Officiis, & persolutis Horæ tertiæ laudibus, fratribus astantibus, prosternat se in medio is, qui ordinandus est: cui Præpositus, vel Maior Presbyter per iussum, & consensum Fratrum, dicat ista, vel similia verba: Frater N. iniungunt tibi fratres tui ex obedientia, vt de cætero corporibus, & animabus eorum secundùm Deum subministres. Ad quæ ille hæc, vel alia similia subsequenter respondeat; Quia voluntati Dei, & iussioni vestræ parere debeo, onus, quod imponitis, non recuso, sed pro charitate suscipio, & secundùm Deum portare promitto. Moxque à fratribus respondeatur; *Suscepimus Deus*, & cætera, vt moris est, cum *Gloria*, & *Kyrie eleison* ter, & Oratione Dominica, & Capitulis competentibus. Deinde sequitur hæc, vel alia similis Oratio. S. Ben. Reg. cap. 58.

Oratio super Priorem.

OMnipotens sempiterne Deus, benignitatis tuæ clementiam suppliciter petimus, vt hic famulus tuus semper sibi tuæ opis sentiat adesse suffragium, quatenus gregem suum sic in præsenti regat, atque custodiat, vt in futuro felicitatis æternæ præmia cum ipso pariter percipere valeat. Per Dominum nostrum, &c. Amen. Et exinde in loco Prioris sedeat, & Prioratus sui Officium gerat.

Quid Prior post ordinationem suam facere debeat.

CAPVT VIII.

C ORdinatus itaque Prior, Fratrum in Congregatione iam susceptorum, & animas, & corpora canonicè regere, & suscipiendos debet canonicè suscipere. Primò itaque qualiter fratrum susceptio, deinde qualiter susceptorum gubernatio fieri debeat, ostendamus.

Qualiter, & in quâ ætate Parentes filios suos Ecclesiæ tradere valeant.

CAPVT IX.

SI quis fidelis Laicus filium suum intra ætatem annorum quatuordecim, per deuotionem Ecclesiæ offerre, & Diuino cultui mancipare voluerit, D præsente Priore cum Fratribus, tepræsentet eum ante Altare in his, vel similibus verbis: Ego fideli animo hunc filium meum N. Deo Omnipotenti, & his Sanctorum Pignoribus trado, & vestræ fraternitati in omnibus associo, ac sanctitati nutriendo committo. Ponatque super Altare Chartulam continentem eadem verba. Post hæc puero prostrato, vel posito ante Altare dicatur versus: *Suscepimus Deus*, cum *Gloria*, & *Kyrie eleison*, & Oratione Dominica, & Capitulis congruentibus. Sequatur Oratio competens, quæ habetur in sequentibus. Post tres itaque, vel quatuor ablactationis annos, si sic paruus offertur, Clericus efficiatur, & ab omnibus diligatur vt filius. Post annos E verò quatuordecim, non potest pater eum offerre, nisi filius voluerit. Huius enim ætatis hominibus, inuitis quoque Parentibus, licitum est habitum Religionis suscipere, quem elegerint. Qui ergo sui iuris sunt, vel in se, vel in suo tradendo, & se frequenter ad Clerum vestrum suscipi postulauerint, non indiscretè suscipiantur; quia, secundum Apostolum, *non omni spiritui credendum est, sed magis probetur vtrum sit ex Deo.* Probationis autem modum, & tempus certum non statuimus, sed in prudentia, & arbitrio Prioris, vel pariter Fratrum semper statuendum dimittimus. Aliter namque probandi sunt parui, aliter magni, aliter sani, & fortes, aliter infirmi, & debiles: aliter S. Ben. Reg. cap. 58. 1. Io. 4.

diuitiis, & deliciis, aliter laboribus, & inopiis A assueti: aliter quorum vita secura, seu dubia: scientia certa vel incerta: voluntas nota, vel incognita. Quorum omnium distinctione, perspecta Prioris diligentia vigilanter attendat, & prudenti arbitrio modum, & tempus probationis, secundum quod cuique conuenit, statuit. Qui probati, si suscipiendi videntur, legalem ante omnia de patrimoniis, & rebus suis, si habeantur, dispositionem faciant: ea vel propinquis relinquentes, vel pauperibus erogantes, vel Ecclesiæ offerentes. Qua facta & frequenter prius Regula, quam seruaturi sint, audita, deducantur in Choro, & Clerici secundum vsum, & ordinem efficiantur. Post hæc præsentibus fratribus, prostrati in medio, legant Chartulam continentem hæc, vel similia verba, Ego N. meipsum Omnipotenti Deo offero: & B seruitium, ac stabilitatem meam his Sanctorum Pignoribus, obedientiam quoque Prælatis huius Ecclesiæ secundùm Deum, & Ordinem vestrum in eo promitto. Moxque fratres, Deo gratias respondentes, subiungant Versum: *Suscepimus Deus*, pro more cum *Gloria*, & *Kyrie eleison* ter, & Oratione Dominica, & Capitulis competentibus, deinde Oratio hæc sequatur, vel similis.

Oratio super Professum.

FAmulum tuum Domine, quæsumus, pro tui nominis amore sæculo renunciantem benignè suscipias, & Spiritus tui gratia perfundas: qua C confirmatus, & peccatis omnibus absolutus, promissa perseueranter impleat, & ad vitam æternam perueniat. Deinde coniunctus fratribus, sub omnibus ante se ingressis, hilariter maneat, & susceptum Ordinem semper implere, & fideliter tenere studeat. Quòd si ante quatuordecim annos orbatus Parentibus venerit, teneatur inter pueros, & nutriatur. Post hanc autem ætatem facta dispositione, si quid habet, & ad Clericatum, & ad professionem modo superiùs comprehenso suscipiatur.

De susceptione omnium Clericorum non ordinatorum, notorum quoque, & incognitorum.

CAPVT X.

S. Ben. Reg. c. 60. & 61.

SI quis verò Clericus non habens Ordines, nec Ecclesiæ alicui professione propria, vel paterna traditus, vestro Collegio se sociari petierit, & in petendo perseuerauerit, probetur primò, vt supra significauimus; deinde Regula perlecta vel audita, & intellecta, si cuncta se seruaturum promiserit, Episcopi, aut etiam Archidiaconi, seu Archipresbyteri sui acquisita licentia, per consensum earundem personarum illius Episcopatus, in cuius diœcesi se recipi deprecatur, susceptionis ei aditus non negetur. Quòd si maiores, vel minores E etiam gradus habuerit, post probationem factam, & Regulam frequenter auditam Canonicè petitus; ac dimissus, suscipiatur ad professionem, secundùm quod superius diximus. Si autem peregrinus seu de incognitis partibus Clericus se recipi rogauerit, non citò audiatur, nec quandoque eius petitioni annuatur, nisi habeat commendatitias, quæ certæ sint sui Episcopi, litteras, in quibus vita eius, & votum, gradus, & Episcopalis licentia innotescat. Is ergo cura diligentissima per prolixa tempora probatus in omnibus, Regula quoque frequenter audita, suscipi debeat, præsentis Ecclesiæ Episcopo permittente, secundùm superiorem modum professione facta, suscipiatur in Fratrum Collegio.

Vt in aggregandis fratribus modus teneatur pro quantitate Ecclesiasticæ facultatis.

CAPVT XI.

PRælati Ecclesiarum summopere studeant, ne in Congregatione sibi commissa, vel plures admittant, quàm Ecclesiæ facultates exigant: vel eos, quibus possunt sufficere, auaritiæ causa relinquant. In minimis namque locis pauci admittendi sunt numero, sed magni scientia, virtute & merito; vt quod fratrum paucitas denegat, multitudo scientiæ, virtutis, & meriti subministret.

Vt nouiter suscepti cæteris subesse non erubescant.

CAPVT XII.

SVscepti itaque Fratres, aliis ante se ingressis S. Ben. Reg. c. 63. licet minoris gradus, vel ætatis, aut scientiæ sint, subesse tamen non erubescant, & sub ipsis ferre iugum obedientiæ non recusent. Quia satis melius est hic humiliari, vt in futuro exaltemur, quàm hic exaltari, vnde postremò humiliemur. Et quantò plus hic pro Christi nomine subiicimur, tantò plus in futuro sine dubio exaltabimur. Quapropter nulli vnquam recusandum est, humilibus etiam, & abiectis personis reuerentiam ferre, in quibus veraciter Christo cognoscimus ministrare.

Quòd Prior minimos etiam, & nuper ingressos aliis præferre debeat, si hoc Fratrum vtilitas deposcat.

CAPVT XIII.

QVòd si Prior de minimis etiam, & nuper ingressis aliquos, vt præsint, posse Congregationi prodesse cognouerit, non solùm eos præferre S. Ben. Reg. c. 65. non interdicimus, sed & mandamus. Quoniam D Præpositi Ecclesiarum non sunt personaliter constituendi, vel eo ordine, quo suscepti sunt in Fratrum Collegio, sed pro vitæ meritis, & donorum spiritualium prærogatiuis; vt ij semper præsint, qui verbo doctrinæ, & opere sanctitatis, & bonos ad meliora animent, & malos à peruersitate reuocent.

Qualiter Prælatis subiecti obedire debeant.

CAPVT XIV.

OMnia quæcunque secundùm Deum, & sanctam Fratrum conuersationem Prælati mandauerint, subditi quique humiliter, libenter & sine mora suscipiant, alacriter impleant, & diligenter, 2. Cor. 9. ac sine murmuratione perficiant. *Hilarem namque*, ait Apostolus, *datorem diligit Deus*. Sicut ergo hilarem diligit, ita sine dubio tristem, & murmurantem odit. Et ideo murmurationem, & inobedientiam omni loco, & tempore, vt ratio exigit, damnandam penitus esse censemus. Quapropter nihil à Fratribus cum tristitia, vel murmuratione fiat; sed cuncta Seniorum mandata festiuè percipiant, & cum alacritate perficiant. Quòd si etiam impossibile videatur, quod iniungitur, suscipere quidem hoc fratres non recusent, exemplo Christi commoniti. Qui Patri obediens, mortem etiam

suscipere non recusanit. Verùm qui huius perfectionis Normam sequi nou possunt, cum præcepti obseruatione grauari incipiunt, & ad impossibile veniunt, Senioribus suis hoc humilier denuncient: quos Prælati non spernant, sed vinculo importabilis oneris soluant: ne, quod absit, si aliter feecerint, & illi importabile onus leui deponant, vt credo, peccato: & illi ex numeto eorum efficiantur, de quibus dictum est: *Imponunt onera grauia, & importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere.* Matth. 23.

Quòd Canonici nihil habere, vel possidere, dare, vel accipere minimè debeant.

Cap. XV.

S. Ben. Reg. cap. 38. CVm huius nostræ Congregationis Fratres non solùm facultatibus, sed & voluntatibus proprijs in ipsa Ordinis susceptione renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habare, vel possidere, dare, vel accipere sine sui Prioris licentia, debere. Quod si propinquus, vel amicus quilibet Fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.

Quomodò Fratres ad se venientes alloqui debeant.

Cap. XVI.

SI qui aduenientes cum aliquo Fratrum loqui quæsierint, & Prior ex charitate, vel necessitate concesserit, tribuatur ei socius prudés, & prouidus, in quo nulla sit mali suspicio; quo præsente quicquid audiendum est, audiat: & quicquid respondendum est, respondeat. Si quid tamen secretius dici oporteat, illis non negetur, de quorum stabilitate nequaquam ambigitur. Pueris autem, & his, quorum vita dubia est, minimè concedatur, nisi testis, vt dictum est, affuerit.

Si Fratres litteras mittere, vel suscipere debeant.

Cap. XVII.

S. Ben. Reg. cap. 54. SI quando Prior necessarium viderit aliquem Fratrum cuiquam litteras mittere, ipse eas fieri, factas perlegi, perlectas à quo voluerit portari præcipiat. Quòd si cuiquam eorum litteræ, ab aliis missæ deferantur, non is, cui mittuntur, sed aliquis de Prælatis eas suscipiat, Priori dandas. Quas cum Prior opertas perlegerit, illi etiam cui missæ sunt, & aliis ostendat, si oportuerit.

Si hi, qui litterati sunt, docere aliquid audeant.

Cap. XVIII.

SI qui Canonicorum humilia sentientes, non arrogantiam habentes, in tantum fuerint litteris eruditi, & Diuinarum Scripturarum scientia pleni, vt inde aliquid vtilitatis afferre valeant; & Prior iustum probauerit, & necessarium viderit, omni prorsus inuidiæ, & odij remoto fomite, concedat eis, vel præcipiat in his laborare, quorum scientiam magis necessariam vtilemque perspexerit.

Quòd Prælati animas, & corpora subditorum regere debeant.

CAPVT XIX.

PRælati itaque Ecclesiarum, iugi cura super sibi commissos fratres inuigilent; & eorum non solùm animas, sed & corpora sic regere, tueri, & pascere studeant, vt nullius necessitatis causa peccandi occasionem inueniant. Et sicut eis cuncta necessaria Prælati subministrare non desistunt, ita & ab ipsis cura instantissima totius Ordinis obseruationem indesinenter exquirant. Sed cum omnia

B ferè obseruatio Ordinis intra Claustri mœnis principaliter fieri soleat, vbi grex Dominicus communiter commorari, & maiorum iussis obtemperare præcipitur: ante omnia quid sit Claustrum, & quas in eo Officinas fieri oporteat, cõscribamus; vt post, quæ in his agenda sint, liberiùs prosequamur.

De Claustro, & eius Officinis.

CAPVT XX.

QVid sit Claustrum, ipsa sui nominis explanatione cognoscitur. Claustrum namque dicitur

C clausum atrium, eo quòd Ecclesiæ atrium muris, vel aliis parietibus vndique claudendum sit, intra quod cunctæ Canonicorum Officinæ, & omnia eorum vsibus ædificia necessaria fiant; id est, Sacrarium, Armarium, Capitulum, Vestiarium, Dormitorium, Digestorium, Calefactorium, Refectorium, Coquina, Cellarium, Molendinum, Pistrinum, & Cameræ; loca quoque senum, & infirmantium; loca quoque, si fieri potest, puerorum, & adolescentium sub munitissima adhuc disciplina manentium, ne fortè si morentur cum fratribus, impedimento sint legentibus, ac meditantibus. Quòd si hoc non potest fieri in remotiori parte Claustri, eos esse sub Magistro, & Custode Prior instituat: vbi sub eorum arcta custodia manentes,

D quæcunque necessaria sunt, addiscant: & quæque mandantur, perficiant. S. Ben. Reg. cap. 66.

De Ædificiis familiæ.

CAPVT XXI.

FIant extra hæc intra eiusdem Claustri mœnia ab his perparum disiuncta ædificia, vbi omnes artifices, ac laboratores Ecclesiæ cunctaque prorsus familia omnes necessitudines suas habere, & quique sua officia gerere, vel quæ ad officia sua gerenda pertinent, seruare valeant. S. Ben. Reg. cap. 57.

E *De interiori Claustro, & de districtione Fratrum.*

CAPVT XXII.

CLaustrum verò interius Canonicis deputetur solummodò, vbi ipsi sine omni inquietudine commorantes, Deo fideliter seruiant, propositi sui rectum tramitem teneant, ordinem proprium impleant. Prælatorum iussis incessanter obediant, vicissim sibi charitatis officio secùdùm ordinem seruiant, & ab vniuersis illicitis, & ordini ac proposito eorum contrariis penitus abstineant. Quisque ergo loco sibi deputato sedeat, Præpositi sui iussis obtemperans, nec inde ei ad aliam partem sine illius præcepto declinare liceat; quoniam instabilitatis vitium est, cum non vrgeat necessitas nunc esse hic,

nunc illic; cum isto nunc; nunc cum illo agi A & confabulari: & hoc sine dubio instinctu diaboli agitur, vt fratres, qui legere, & inde meditari, psallere & orare, aut aliquid operari debuerant, ab his auersi ad inania peccando deducantur, ne perficiant. Quapropter hoc vitium à Fratribus abscindatur radicitus, & qui eo in Conuentu vtitur, sic inde indicetur, vt de cætero alij nequaquam hoc attentare audeant. Sint ergo Canonici grauitatis amici, dicente Propheta: *In populo graui laudabo te.* Nec citò in verbum prorumpant, nec citò de loco in locum se moueant: nisi cum Prælati præceptio mandat, vel Ordo, aut necessitas, seu Diuinæ legis obedientia postulat. Ambulantes verò, non cursim, aut indecenti, seu tumido gressu incedant. Verba autem scurrilia, vana & otiosa, risumque mouentia, nusquam si potest fieri, proferant, confabulationibus nequaquam incumbant. Excussum risum non solùm in Claustro, sed & in omnibus locis à se penitus abscindant; recolentes illud Euangelicum: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* Illud enim Salomonis: *Risus dolore miscebitur.* Et, *Stultus in risu exaltat vocem suam.* Sanctis verò lectionibus vacent, Diuinis officiis aliis, sacris doctrinis pro Prioris iussu discendis insistant, psalmis, hymnis & canticis spiritualibus incumbant; priuatis quoque orationibus si vacet, cum licentia tamen intendant. Faciant quandoque & aliquid operis in Claustro decentis fieri, quod fratres legentes, vel psallentes, aut de Diuina Scriptura meditantes, vel aliis sanis C doctrinis insistentes nequaquam impediat. De Claustro verò sine Prioris, vel eius vicem fungentis licentia nequaquam exeant: egressi, vltra quàm sibi statutum fuerit, absque ineuitabili necessitate, morari non audeant. Soli nunquam eant, bonosque eis Prælatus socios tribuat, sine quibus nec ipsi alios, nec alij ipsos alloquantur.

Psal. 34.

Luc. 6.
Prou. 14.
Eccl. 21.

B

De foris mittendis Fratribus.

CAPVT XXIII.

TAles fratres, optimis tamen deputatis sociis, Prælati pro quolibet negotio gerendo, D seu responso reportando, vel accipiendo, foras mittere studeant, in quibus nulla sit mali suspicio, & qui iniuncti negotij causam prudenter agere, & sapienter perficere valeant. Foras ergo euntes, nihil indecens, nihil reprehensibile, nihilque prorsus Ordini, ac proposito suo contrarium dicant, aut faciant; sed potius omnes, quibus se iunxerint, sale sapientiæ condiant, & ad meliora sanctæ conuersationis exemplis trahant. Virorum autem secreta consilia his, qui foras mittuntur, non negamus, si oportet illis tamen, de quorum vita, & stabilitate non ambigitur. De mulierum verò secreta allocutione, non meum, sed E Hieronymi consilium audiant, dicentis: Si propter officium Clericatus aliqua mulier visitatur, nunquam domum solus introeas, solus cum sola secretò, vel absque arbitro, vel teste non sedeas: si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, maritatam: non est tam inhumana, vt nullam præter te habeat, cui se credere debeat. Non ergo mulierum secreta allocutio Clericis conceditur, nisi fortè probatis Presbyteris, cum earum confessiones suscipiunt. Matres tamen, & sorores, vel amitas, & eas tantùm personas, in quibus nulla est mali suspicio, fratres vitæ probabilis alloqui non negamus.

S. Ben. Reg. c. 50. & 57.

S. Hieronymus.

Vt Clerici foras non mittantur adea quæ per Laicos possunt fieri.

CAPVT XXIV.

QVòd si tales, & tam fideles Laici ex ipsa familia habeantur, per quos omnia, vel quædam exteriora negotia possint prudenter fieri; ad ea, quæ per ipsos valent perfici, Clerici nequaquam mittantur.

Quòd iussu Prioris liceat Fratribus in hortis laborare, vel aliquid tale operari.

CAPVT XXV.

QVòd si talis sit locus, & Prior ad vsus Fratrum aliquos de Congregatione sibi commissa quandoque in hortis laborare, vel aliquid tale, quod oporteat alibi operari mandauerit, mandatis præceptum fideliter, & alacriter, ac sine mora impleatur acceptum.

Quid foras mittendi, cùm egrediuntur, vel regrediuntur facere debeant.

CAPVT XXVI.

CVm verò aliquis Clericus pro iniuncti causa mandati egreditur, inclinato capite, benedictionem petat; cui Prior benedicens, dicat: Angelus Domini bonus comitetur tecum, & Omnipotens Dominus prosperum faciat iter tuum; vel aliquid aliud simile. Vbi autem ille responderit: Amen; abscedat, dicens: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*; cum *Gloria Patri*, &c. sine alia simili. Completa igitur sui itineris causa, rediens, Ecclesiam adeat: & cum breuiter orauerit, exeat, & inclinato capite, fratribus, & si liceat, benedictione petita, mox ad Priorem pergat, & ab eo itidem benedictione susceptâ, quid fecerit, & quid sibi de iniuncto mandato contigerit, humiliter referat. Mane verò, siue post Nonam is, qui de via venit, accedat in Capituli medio, & coram fratribus se corde, voce, & actione peccasse pronunciet, flexisque genibus, & corpore prostrato dicat: Mea culpa, peccaui; & fratres respondeant: Parcat tibi Deus; qui tamdiu genua flectens hoc dicat, & fratres hoc respondeant, quousque Prælatus eum stare præcipiat, & pro admissorum qualitate satisfactionis iniungat sententiam, siue in Psalmis, siue in ieiuniis, vel aliis aliquibus obedientiis, si Priori placuerit. Quod ergo pro admissorum satisfactione sibi iniungitur, qua hora, vel quo tempore Prior iusserit, impleant. Quòd si perpauci Psalmi sint, mox vt de Capitulo egreditur, antequam benedictionem petat, eorum numerum exsoluat. Quo persoluto egrediens benedictionem more solito exquirat. Quandocunque ergo foras diriguntur, hunc modum in eundo, & redeundo tenere debebunt.

Psal. 24.

Qualiter Fratres ad visitandos infirmos, ad concordiam faciendam, ad animas exhortandas, vel ad aliquod bonum disponendum, mitti debeant.

CAPVT XXVII.

SI autem Fratres propter officium Clericatus infirmos visitare, concordiam inter discordes facere; aut ad aliquem locum pro exhortandis animabus, vel rebus aliquibus in bono disponendis ire oporteat; de sapientioribus & sanctioribus, duos, vel tres, aut plures, si necesse fuerit, præcipiat ire Prælatus; vt quæcumque necessaria viderint, sanctè & sapienter perficiant. Quum longè pergere debeant, in eundo, & redeundo, vt superiùs dictum est, faciant.

Si ad Parentes ire oporteat.

CAPVT XXVIII.

SI quem Fratrum patrem, vel matrem, aut propinquos suos visitare Prior, siue ex charitate, siue ex aliqua necessitate permiserit, tali eum magistro, vel socio deputet, cuius præsentiam timeat; & cui reuerentiam ferat; à quo & in cauendis custodiam, & in necessitatibus solatium, & in omnibus suffragium habere valeat. Quòd si talis est persona, de qua nulla sit suspicio, sine magistro eum, non tamen solum, ire concedat. Nunquam enim frater aliquis solus, nec etiam pueris, vel peruersis hominibus associatus, ad aliquem locum, nisi sit firmissimus, & in perfectione probatus, ire permittatur, sed socios bonos, & probi testimonij viros, si fieri potest, Prior tribuat, cum quibus fratres securè mittantur. Qui euntes, & redeuntes in benedictione petenda, & satisfactione exhibenda, modum superiùs comprehensum seruent & teneant.

Quòd Fratres cum Fratribus priuatà Consilia facere non debeant.

CAPVT XXIX.

SI qui Fratres cum quibusdam aliis Fratribus, vel vnus cum vno priuata consilia facere præsumpserit, exceptis Priore, & Præposito, ac Presbyteris, quibus Prior confessiones dandas instituerit, & semel, bis, & ter commoniti, non corriguntur, Regulari correptioni, velut Ordinis præuaricatores subiaceant.

De Carnali dilectione non habenda: & de disciplina taliter, vel aliter peccantium.

CAPVT XXX.

QVòd si quisquam in hoc Sacro vestro Collegio aliquam immoderatè, & carnaliter dilexerit, eiusque causam diligentiùs quàm aliorum curauerit, vel præ cæteris defendere, seu laudare contra ordinem præsumpserit; vel puerum, siue iuuenculum aliquem vsque ad impudicum tactum insecutus fuerit, & hoc ad fratrum cognitionem perueneerit, multis, duris, ac patentibus verborum, ac verberum correctionibus coarctatus, ac diuturnis ieiuniorum, & orationum laboribus fatigatus, talem huius offensæ disciplinam ad tempus sustineat; vt cæteri hoc excogitare pertimescant. Vnde in Conuentu tanta debet semper esse custodia, vt pueri, & iuuenculi facilè iuuenibus non credantur, nisi illis, quorum vita in omnibus inuenitur probatissima. Si tamen, quod absit, quod cuiquam contigerit, & Congregationi occultum fuerit; verùm ad vnius, vel quorumdam agnitionem peruenerit, hoc Priori solummodò nunciandum fore decernimus, vt per ipsum correptus, occultis medicinæ fomentis sanetur, qui occultè deliquerit. Si quis verò hoc, vel alio modo peccauerit, & à nemine deprehensus fuerit, & ipse peccatum suum agnoscens, Priori reuelauerit, quia ipse se reprehendit, & recognouit, leuioris disciplinæ satisfactione sanabitur. Quòd si verecundia ductus, vel terrore perterritus, Priori hoc reuelare noluerit, alieni Presbyterorum, quem Prior fratrum Confessiones suscipere mandauerit, hoc manifestet, & secundum ipsius iudicium de peccato suo pœnitentiam faciat. Et cauendum, quòd is, qui sine omni accusatione peccatum suum manifestauerit, leuiori: is verò qui accusatus non negauerit, aliquantulum maiori: qui autem accusatus negauerit, cum tandem conuictus, vel confessus fuerit, satis acriori vindictæ subiacere debebit. Illa tamen peccata, quæ turpia sunt, & obscœna, seu grauia, & quorum exempla multum officiunt, nisi ad aures tantorum venerint, vt iam celari non possint, occulta satisfactione sanari debebunt. Quòd si celari nequeunt, manifesta, vt iam dictum, curatione sanentur. Quæ autem leuia sunt, & minuta, atque aperta, & quæ omnes ferè ex fragilitate frequentant, secundùm præscriptum modum manifesta accusatione, & satisfactione in Capitulo emendanda censemus.

De his, qui voluerint sub habitu Canonico arctiorem, vel solitariam vitam ducere.

CAPVT XXXI.

SI qui fratres sub eodem Canonico habitu arctiorem, vel solitariam vitam ducere optauerint, Prælatis suis deuotionem propriam insinuare debebunt: quorum curæ, & studio pertinebit qualitatem respicere personarum: ne illi fortè hoc aggredi cupiant, qui ex debilitate naturæ, ætatis, aut diuturnitate consuetæ debilitatis, insuetum vigiliarum, atque ieiuniorum pondus portare non possunt. His ergo perspectis, illis quidem non interdicimus annuendum, qui cum velint, & quærant, virium subministrante vigore hoc valeant. Verùm si hoc Ecclesiæ detrimentum, vel confratribus spirituale, vel corporale inferat damnum, consulimus penitùs denegandum. Pro his itaque, quibus erit hoc perpetim, vel temporaliter concedendum, habeatur in remotiori loco vndique munita, & clausa Ecclesia, circa quam fiant cellulæ, in quibus ij tales commorentur, secundùm Prioris iussum viuentes, & eius in omnibus sequentes arbitrium.

De virtute silentij.

CAPVT XXXII.

His ita præmissis, de silentio quicquid Domini concessu, Fratres proposuerint, subiungamus. Non solùm namque Clericis, sed & Christianis Laicis silentij virtus tenenda esset, nisi propria, vel aliena necessitas, siue charitas corporalis, aut spiritualis loqui compulerint. Cum enim cessante necessitate, vel charitate verbum quis emittit, otiosum est, quod depromit; à quo cauendum fore Dominus in Euangelio testatur dicens: *De omni* Matth. 12. *verbo otioso reddetis rationem in die iudicij*. Quid autem sit verbum otiosum, Apostolus prohibendo B
Ephes. 4. exponit dicens: *Inutilis sermo de ore vestro non procedat.* Quapropter vt ab illicitis abstinere possimus, à licitis quandoque cessandum est. Ad tollenda igitur de ore vestro verba illicita, iustum est vt designemus certa loca, & tempora, vbi, & quando à licitis etiam, secundùm propositum vestræ sanctitatis, abstinere debeatis.

Vt in Ecclesia, Refectorio, & Dormitorio silentium teneatur.

CAPVT XXXIII.

IN Ecclesia igitur, cum ad Diuina Officia peragenda intramus, & stamus, & Regularis vsus, C & Maiorum auctoritas, Diuini quoque Officij reuerentia debere teneri silentium insinuat. Idem etiam cum ad manducandum in Refectorio, vel communiter bibendum; & in Dormitorio cum ad simul dormiendum intramus, vel stamus, Regularis cautela monstrat esse tenendum.

Quòd omni tempore, à Vesperis vsque in mane cum ad Capitulum veniunt, teneatur silentium.

CAPVT XXXIV.

A Vespertinis horis omni tempore, vsque ad alterum diem, cum mane Fratres secundùm A morem de Capitulo egrediuntur, summum silentium teneant. Æstiuo autem tempore, id est, à Pascha vsque ad Autumnale Æquinoctium, ab hora sexta vsquequo post Nonam de Capitulo egrediuntur, fratres itidem sileant. Hyemali verò tempore, id est, ab Æquinoctio Autumnali vsque ad Pascha, si bis fratres reficiant, ab hora sexta quousque post Nonam de Capitulo egrediuntur, si semel quousque post Nonam non solùm Fratres, sed & seruitores pransi de Ecclesia, & postea de Capitulo egressi fuerint, silentium teneant. In quadragesima tantùm ab hora Nona vsquequo die altera soluatur Capitulum, itidem teneatur silentium.

Quòd in quibusdam diebus extra dictum modum teneatur silentium.

CAPVT XXXV.

PRæter hæc Sanctitati vestræ statuere placuit, vt in summis Festis, toto die Parasceue, silentium in Claustro non soluatur. In præcipuis quoque, & popularibus Festis, à cunctis diebus Dominicis omnes omnino quousque de Capitulo post Nonam egrediantur, silentium teneant; nisi vsus, vel ordo Ecclesiæ, charitas, aut necessitas loqui compellat.

Vt in tempore silentij in Claustro sine sono fiant omnia, absque ineuitabili necessitate.

CAPVT XXXVI.

QVoties in Claustro tenetur silentium, absque certa necessitate, sine sono legendum, & psallendum: & quicquid ibi agitur, agendum est.

Explicit Liber Primus.

Explicit Prologus.

HIS supper quibusdam Fratrum obseruationibus pertractatis, modum quoque binæ, & vnius refectionis, abstinentiam insuper, & vsus carnis, ac sanguinis, ouorum, & casei, piscis, & olei, atque vini, pulmentorum quoque qualitatem, & numerum, certamque panis, & vini mensuram. Quæ omnia, Fratres Charissimi, Diuina gratia inspirante, nobiscum tenere statuistis, scribere inter has alias vestri Ordinis regulas procurauimus

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

I. *Quomodo viuendum sit inter Octauas Natiuitatis, Apparitionis, & Resurrectionis.*
II. *Quomodo viuendum sit ab Octauis Resurrectionis vsque ad Pentecosten: & ab Octaua Natiuitatis, vsque ad Epiphaniam.*
III. *Qualiter viuendum sit ab ipso die Pentecostes vsque ad Natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ.*
IV. *Qualiter viuendum sit à Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ vsque ad Æquinoctium Autumnale.*
V. *Qualiter viuendum sit ab Æquinoctio Autumnali vsque ad Kalendas Nouembris: & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam.*
VI. *Quod ieiunandum sit à Kal. Nouembris vsque ad Natale Domini: & à Septuagesima vsque ad Sanctum Pascha.*

Explicitunt Capitula.

Quomodo viuendum sit inter Octauas Natiuitatis, Apparitionis, & Resurrectionis.

CAP. I.

AB ipsa Dominicæ Natiuitatis, Appatitionis, & Resurrectionis die vsque in earundē Octauis, omne ieiunium exclusistis, sed & carnem Fratribus comedendam nequaquam interdixistis; exceptis quarta & sexta feria, in quibus tantùm vsum sanguinis non abstulistis.

Quomodo viuendum sit ab Octauis Resurrectionis vsque ad Pentecosten: & ab Octaua Natiuitatis vsque ad Epiphaniam.

CAP. II.

AB Octaua verò Resurrectionis, & Natiuitatis, vsque ad Pentecosten, & Epiphaniam, omne iudem ieiunium abstulistis: exceptis illis diebus in quibus ieiunandum fore, vel auctoritas præcipit, vel vsus monstrat Ecclesiæ. Intra hos tamen Paschales, & Natalitios dies, quarta, & sexta feria, ac sabbato, carnis esum vt in aliis temporibus, abnegastis: sed sanguinis vsum quarta feria, & sabbato concessistis.

Qualiter viuendum sit ab ipsa die Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis.

CAP. III.

AB ipso die sancto Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, carnis vsum, & sanguinis dimisistis, & secunda, quarta, ac sexta feria ieiunandum proposuistis.

Qualiter viuendum sit à Natiuitate S. Ioannis Baptistæ vsque ad Æquinoctium Autumnale.

CAP. IV.

A Natiuitate autem S. Ioannis Baptistæ vsque ad festiuitatem S. Matthæi, carnis, & sanguinis vsum quarta, & sexta feria, ac sabbato interclusistis, & sexta feria ieiunandum statuistis.

A

Qualiter viuendum sit ab Æquinoctio Autumnali vsque ad Kalendas Nouembris: & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam,

CAP. V.

A Festiuitate S. Matthæi vsque ad kalendas Nouembris: & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, secunda, quarta, & sexta feria ieiunandum indixistis: & eisdem feriis, ac sabbato, carnis & sanguinis vsum interclusistis.

Quod ieiunandum sit à Kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & à Septuagesima vsque ad sanctum Pascha.

B

CAP. VI.

A kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & à Septuagesima vsque ad sanctum Pascha, vsu carnis, & sanguinis penitus intercluso, semel in die reficiendum deuotio vestra firmauit.

De Ieiunio Quatuor temporum, & Vigiliarum.

CAP. VII.

QVarta, & sexta feria ac sabbato Quatuor temporum, & in Vigiliis, aliisque ieiuniis antiquitus, & vniuersaliter institutis, sine dubio
C
non solùm Canonicis, sed & omnibus Christianis ieiunandum est; cæteris verò diebus, atque temporibus, bis vobis in die reficiendum indulsistis.

De vsu ouorum, & casei.

CAPVT VIII.

A Quinquagesima vsque ad sanctum Pascha; & ab Aduentu vsque ad Natiuitatem Domini. & in cunctis legitimis ieiuniis, omni remota occasione, ouorum, & casei vsum penitus vobis abstulistis. Ab ipso autem die Sancto Pentecostes vsque ad Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, & à Kalendis Nouembris vsque ad Aduentum Domini: & a Septuagesima vsque ad Quadragesimam, quarta, & sexta feria, ab ouis, & caseo, nisi festum in nouem Lectionibus venerit, abstinendum censuistis.

Quale ieiunium occasione Festi solui debeat.

CAPVT IX.

HIs, Fratres, superaddendum putaui: quæ, & quibus ex causis ieiunia solui, & quæ semper inuiolabiliter custodiri debeant. Omni tempore, die quo Festum vel octauam in nouem lectionibus celebramus, binæ refectionis vsum nulla vetat auctoritas, exceptis legitimi ieiunij diebus, atque temporibus.

Si occasione Festi alicuius, carnis, & sanguinis vsus reddi debeat.

CAPVT X.

A Prima Dominica post Resurrectionem vsque ad Pentecosten: & ab Octaua Dominicæ Natiuitatis vsque ad Epiphaniam: & ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam: & à Natiuitate S. Ioannis vsque ad Kalendas Nouembris, si feria sexta festum, vel Octaua in nouem lectionibus venerit, sanguinis vsum non abstulistis: si autem secunda, vel quarta feria, aut sabbato venerit, legitimis exceptis ieiuniis, carnis vsum concessistis, vt præmissum est.

Quæ sint legitima ieiunia.

CAPVT XI.

TEmpora igitur legitimi ieiunij sunt à quarta feria quinquagesimalis Hebdomadæ, quæ dicitur Capitulum Ieiunij, vsque ad Sanctum Pascha. Quatuor tempora quoque & vigiliæ a Sanctis Patribus statutæ: & si quæ alia perenniter tenenda, sancta indixit, vel indictura est quandoque Ecclesia. In quibus omnibus si Festum in nouem lectionibus venerit, celebrari quidem debet, sed ieiunium solui non potest.

Quibus diebus à vino, & pulmento simul: vel à pulmentis tantummodò vini vsura seruata, abstineatur.

CAPVT XII.

CVm in omnibus legitimi ieiunij diebus Canonicis à vino, & pulmentis abstinendum fore suaderet religio, & id loci huius positio, & nostri temporis fragilitas in Conuentu posse seruari non sinat, hoc rogamus, & monemus, Charissimi, vt his cum parcitate vtentes, & vitium in nobis concupiscentiæ perimamus, & corporis vires sic sustentemus, qui ordinem nostrum plenè seruare, & in laude Dei ministerium, & Officium nostrum gratanter, viriliterque implere possimus. In his tamen perpaucis diebus, id est, in antiquitus, & vniuersaliter statutis Vigiliis, & in sexta feria à

A Quinquagesima vsque ad Pascha, & in sexta feria Quatuor temporum, à vino, & pulmentis abstinendum censuistis, crudas tamen herbas, & poma, si habeantur, indulsistis. In quarta feria autem quatuor temporum, & in sexta a Kalendis Nouembris vsque ad Natalem Domini, & in quarta feria totius Quadragesimæ, & præcedentis Hebdomadæ, pulmentis ablatis, vini tantummodo vsum, cum pomorum, & herbarum additamentis indulsistis.

De discretione habenda in reddendo vino, vel pulmento; & ex quibus causis discretio hæc fieri debeat.

CAPVT XIII.

B DIscretionem tamen fieri in aliquibus horum non negastis, si Prior fortè necessarium viderit. Quæ si fiat die, quo vinum interdictum est, vini tantummodò vsum reddi sufficiat: Si autem fiat die quo, vino concesso, pulmentum intercluditur, vnius pulmenti concessio sufficiat. Die verò, quo vini, & vnius pulmenti vsus conceditur, si oportuerit addi & aliud pulmentum, non negastis. Sunt enim dies quidam, in quibus vnum solummodò pulmentum Fratribus dandum censuistis: scilicet feria sexta à Pentecoste vsque ad Natiuitatem S. Ioannis, & a Septuagesima vsque ad Quinquagesimam: & quarta feria à kalendis Nouembris vsque ad Natiuitatem Domini: & Sabbato quatuor
C temporum. Hanc igitur discretionem in vno, vel in pluribus faciat, vel causa magni laboris, vel æstus aut frigoris maior solito nimietas, vel præcedentis seu sequentis diei impletum, seu implendum ieiunium, vel imminentis Festiuitatis laboriosæ, & optimè exhibendum Officium, vel Paschalis, aut Festiui temporis celebratio, vel nimia Fratrum imbecillitas, siue aduenientium Fratrum necessaria charitas.

Si legitimi ieiunij diebus Festum nouem Lectionum veniat.

CAPVT XIV.

D QVòd si Festum populare in his diebus in nouē Lectionibus celebrandum venerit, vino, & vno, aut si Festum præcipuum fuerit, duobus, vel tribus quadragesimalibus pulmentis vti cōcessistis.

Quòd cæteris diebus, duo Fratribus pulmenta parentur.

CAPVT XV.

HIs igitur supradictis ieiuniorum diebus exceptis, cæteris diebus, siue ieiunij, siue binæ refectionis, si facultas suppetat, duo Fratribus parentur pulmenta. Verùm in præcipuis Festiuitatibus, & Summis Solemniis tria Fratribus pulmenta, si fieri possit, præbenda statuistis.
E

De vsu piscium, & olei.

CAPVT XVI.

ESus autem piscium, & vsus olei nullo tempore, nulloque die excluditur: quo alicuius pulmenti, & vini vsus conceditur.

De mensura panis, & vini, & de qualitate pulmētorum.

CAPVT XVII.

MEnsuram panis, & vini, ac pulmentorum æquè Fratribus minoribus, & maioribus dan-

dam, & vſus Regularium locorum indubitanter A expoſtulat; &, vt credo, Maiorum ſanxit aucto-ritas. Quamuis enim in Apoſtolorum Actibus Lucas referat, dicens: *Diſtribuebatur autem ſingulis, prout vnicuique opus erat*; hæc tamen par, & cunctis ſufficiens eſt ſtatuenda menſura: qua, etſi quibuſ-dam ſuperflua vti non licet, niſi in ſufficientia. Quod autem minus egentibus, vel plus abſtinen-tibus reſiduum fuerit, hoſpitalis Frater ſingulis diebus id pauperibus erogandum ſuſcipiat. Die-bus itaque ieiuniorum ſingulis Fratribus vnam li-bram panis propenſam, & tres vini: Diebus verò binæ refectionis, panis vnam, & mediam, & vini quinque, ſicut ipſi experti eſtis nobiſcum, vobis viſum eſt poſſe ſufficere. Pulmentorum autem B æqualitatem coquinæ Hebdomadarij, ſi autem aliter nequeunt, pro arbitrio diligenter prouideat. Si tamen alicui, vel per incuriam, vel per iuſſum ex diſcretione aliquid plus, vel delicatiùs apponi-tur, nullus prorſus inde murmurare præſumat.

Act. 2. S. Ben. Reg. cap. 39. & 40.

De Lectore Hebdomadario.

CAPVT XVIII.

S. Ben. Reg. cap. 38. Pſal. 50.

LEctorus per omnem Hebdomadam Frater, die Dominica expleta Miſſa, adhuc Presbytero Altari aſtante accedat in medio, & inclinato ca-pite dicat ter: *Domine labia mea aperies*, & cætera eiuſdem Verſiculi. Fratribus reſpondentibus, & poſt vicem tertiam *Gloria Patri* ſubſequentibus. C Deinde Presbyter præſentibus Fratribus ſecun-dùm morem, verſiculos, & orationem perficiat. Hic itaque per totam Hebdomadam Fratribus manducantibus, & religiosè ſilentium tenentibus omni ſono, & murmuratione remota, Diuinas Scripturas perlegat. Et poſt Fratrum refectionem cum ſeruitoribus pariter prandeat. Seruitores igi-tur ſic omnia omnibus ſubminiſtrent, vt nullius neceſſitatis occaſione aliquem prorumpere in vo-cem oporteat. Si quid tamen quærendum eſt, ſi-gno magis quàm voce petatur. Priori verò, vel cui ipſe iuſſerit, aliquotiens Fratres reficientes pro ædificatione breuiter, & planè alloqui non inter-D dicitur. Fratribus quoque ſero ad collationem in Capitulo conuenientibus, Idem Lector de San-ctorum Vitis & Patrum Collationibus Lectionem ſemper redditurus eſt. Qui Sabbato cum in Refe-ctorio Lectionem ad Mandati charitatem ſerò perfecerit, adhuc Fratribus ſedentibus, ante Prio-ris menſam accedens, reuerentiam exhibeat, & ſic Lectionis ſuæ hebdomadam compleat.

De Hebdomadariis coquinæ, & de Mandato in Sabbatis faciendo, & de charitate exhibenda.

CAPVT XIX.

S. Ben. Reg. cap. 35.

HEbdomadarij verò coquinæ Sabbato con-gregatis Fratribus in Capitulo ad ſonum ta-bulæ pro Mandato faciendo, ij, qui egreſſuri ſunt, accedant in medio, & incuruati Fratribus reueren-tiam exhibeant. Deinde per Priorem, vel vicem eius fungentem, inchoatis antiphonis Fratrum pedes abluant, & abſtergant. Ii verò, qui intra-turi ſunt, aquam ad lauandum deferant, & poſt ablutionem proiiciant. Deinde exeuntes, ante Ca-pitulum, aqua per alios Fratres allata, & gauſape porrecto manus abluant, & abſtergant. Poſt hæc qui pedes lauerunt, aquas ad manus abluendum: qui verò detulerunt aquas, gauſape afferant ad abſtergendum. Fratrum ergo manibus ablutis, qui A ingreſſuri ſunt, accedant in medio, & incuruati dicant tribus vicibus: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me: Fra-tribus idem reſpondentibus, & Gloria poſt ter-tiam vicem ſubſequentibus. Deinde completa ora-tione ſecundùm morem cum verſiculis, in locis ſuis ſedeant. Tunc qui intraturi ſunt, in medium veniant, & incuruati dicant tribus vicibus: *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina*, Fratribus iisdem reſpondentibus. Com-pletis itaque cum Oratione, Verſiculis, ibidem incipiatur Lectio, ſed in Refectorio prius ex more à Fratribus charitate exhibita compleatur, vt iam diximus. Verùm in Vigiliis Summorum Feſto-rum, & in Summis, ac maioribus Feſtis, ſi in Sab-B bato veniant, Mandatum relinquendum: chari-tatis tamen vſum & introitum & exitum Hebdo-madariorum in his ſtatuiſtis exhibendum. Præter hæc in Summis, & magnis Solemniis, eorumque Vigiliis Charitatem ſero ad Collationem fieri propoſuiſtis: ita vt per Priorem in Summis, per Præpoſitum verò fiat in Præcipuis. Et cauendum, vt in Feſtis, ac Vigiliis Lectio ad dies eoſdem, & in Sabbatis ad Mandati, & diei Dominicæ myſte-rium ſi habeatur, pertineat.

Pſal. 69.

De Mandato in Cœna Domini exhibendo.

CAPVT XX.

C CVm itaque Mandatū, vt diximus, in Sabbatis ſoleat fieri, in Cœna tamen Domini, ob reue-rentiam Magiſtri noſtri, & Domini, qui die eadem id mandans exhibuit, honeſtiſſimè vbiq; Eccleſia celebrãdum ſumma deuotione inſtituit. Quod vos ſequentes chariſſimi in lauandis pedibus aduenię-tium pauperum, & eleemoſynis dandis præcipuè vobis per totum hunc diem vacandum cenſuiſtis: Veſtris quoque laicis Conuerſis poſt cœnam in Capitulo deductis, id idem per voſmet agendum, & in Refectorio charitatem exhibendam ſtatui-ſtis. Poſt hæc Mandatum Clericorum die eodem per Priorem agatur & per Præpoſitum. Cætera D verò agantur pro eiuſdem diei vſu, & ordine.

Ioan. 13.

De Veſtimentis, calciamentis, ac lectualibus Fratrum.

CAPVT XXI.

VEſtimenta, & calciamenta, nec non & lectua-lia æſtiuo, & hyemali tempore, quot, & qualia ſunt neceſſaria, Veſterarius præbere Fratri-bus ſummopere ſtudeat. In quibus nandis, & loci ſitum, temporis quoque, & ſingularum perſona-rum qualitatem proſpiciat. In frigidis namque lõ-cis plura indumenta, in calidis verò pauciora ſunt præbenda: & quæ nec nimio decore, nec inſolita vilitate Canonicum habitum dehoneſtẽt. In no-E ſtris igitur partibus, viſum eſt vobis ſingulis Fra-tribus ſingulas pelles agninas, & ſingulas cappas, vnum diploidem, & duo paludamenta, duas in-terulas, duo paria femoralium, duo caligarum pro æſtu, & frigore competentium, quo pedulium, vnum ſubtellarium poſſe ſufficere. Habeant & in lectis culcitram, capitale linteolum, cultam, & coopertoriũ ouinum, ſiue lineum. Habeant præter hæc ſinguli vnam, vel, ſi fieri poteſt, duas Cotras lineas, & ſingulas ouinas, ſiue agninas pelliceas, ſi facultas ſuppetat, & neceſſitas exigat. His igitur omnibus Fratres pro neceſſitate, & temporis qua-litate tam diu vtantur, quàm diu in ſufficientia ne-ceſſitatis decenter aptari poſſint, ac reparari. Illę

verò, cui ex neceſſitate vltra cõmunem Regulam, A aliquid conceſſum tribuitur, non ſuper hoc lætetur, ſed doleat ſibi infirmanti concedi per indulgentiam, quod firmioribus negatur ex Regula. Quicquid enim Prior cuiquam neceſſarium viderit, hòc ſibi exhibere debebit, quod alteri, ſi neceſſarium non eſſe perſpexit, negabit, etiamſi ipſe quæſierit. Hinc enim Lucas in Apoſtolorum Actibus ſeribit, dicens: *Diſtribuebatur autem, prout vnicuique opus erat.* Singulis itaque, pro viribus pro ætate, neceſſitate, ac qualitate ſua miniſtrandum eſt: Vnde ſi Prior hac diſcretione perſpecta, quibuſdam aliter quàm ſtatutum fuerit, fieri præcipiat, non inde ſit in Congregatione murmuratio: quia apertè Diuinæ legi eſt obuius, qui vel B inuidia, vel gulæ illecebris, infirmorum conſuetudinem exigit, quam ſibi neceſſariam non ſentit. Illis tamen, qui ab hac infirmorum conſuetudine valeant ad iſtam firmitatis virtutem conſurgere, ſed vt delicatius viuant, ſe ſic eſſe patiuntur, ſine dubio & hic peccatorum cumolatur magnitudo, & illic pœnarum præparatur atrocitas.

Act. 2.

De Ægretantibus, & Morientibus.

CAPVT XXII.

STatuatur intra Clauſtra Canonicorum domus ad ſuſtentationem infirmorum, vbi fratres congruenter neceſſitatibus eorum ſubminiſtrare, & C illos viſitare, ac Diuinarum Scripturarum frequenti admonitione valeant conſolari. Non tamen paſſim omnibus ad eos accedere liceat, niſi his, quibus à Priore præcipitur: nec Prior alios mittat, niſi qui vel eis vtiliter miniſtrent, vel eos ſapienter conſolentur, & ædificent. Hi ergo ſi febrem cõtinuari, vel languorem increſcere perſenſerint, tunc aduocato Priore, ſeu Præpoſito, & Preſbyteris, ad hoc Officium deputatis, plenam de peccatis ſuis Confeſſionem faciant, ſicque præmiſſa de præteritis culpis ſecundùm Prioris iuſſum ſatisfactione, & in futuro ſui emendatione, ſuſceptaque ab omni Conuentu benedictione, & peccatorum abſolutione, fideliter per eos, quibus iniunctum eſt, cuſtodiantur, vt eos in cunctis ne- D ceſſitatibus ſuis miniſtros aptiſſimos habeant; qui ſemel ſaltem in die cum viſitantibus ſe fratribus confeſſionem faciant, atque orationis benedictionẽ ab eis ſemper exquirãt. Quòd ſi languor magis magiſq; increuerit, per Preſbyteros aqua benedicta aſperſis, Oleo Sancto perungantur, & Chriſti Corporis, & Sanguinis perceptione muniantur. Fratres quoque ſtudiosè, ac ſuppliciter pro eorum liberatione, & abſolutione in communi Dei exorent clementiam. Quòd ſi ad occaſum venerint, itèm iactetur ibidem aqua ſancta, adducaturque Crucis ſignum. Cumque ab ipſis, ſi fieri poſſit, adoratum fuerit, ponatur, & maneat ibi E vſque ad eorum tranſitum; deinde aſſiſtentes fratres cuncta ſecundùm ordinem Officia peragant. Qui vt obierint, loti veſtiantur interulis, & ſuper eos cottis lineis, pedeſque induantur calceolis; poſt hæc inuoluti linteolis pro more ponantur in lectis. Cætera verò fiant de ipſis portandis, & ſepeliendis, & de Officiis gerendis, ſicut in Ordine continetur. Quibus expletis, Fratres eorum pœnitentiam intra ſeptimum, vel trigeſimum diem in Miſſis, Pſalmis, eleemoſynis, ſiue ieiuniis perficiant. De Miſſis autem, & Pſalmis intra centeſimum, vel annum cantandis, & de Vigiliis exhibendis, ac de pauperibus ex eorum portiunculis paſcendis, & de anniuerſariis celebrandis, ac deferendo ad tumulos, cuncta fiant, prout Prior ſtatuerit, vel vſus, aut ordo docuerit.

De cuſtodia eorum infirmorum, qui inualeſcunt: & de medicina eis non neganda.

CAPVT XXII.

SI autem ægrotantes fratres inualeſcere cœperint, ſic per eos, quibus Prior iniunxerit, vſque ad ſanitatis reſtaurationem cuſtodiantur, regantur, ac paſcantur, vt nullius rei indigentia, & nullius neceſſitatis occaſione murmurare valeant; ipſi tamen, quæ haberi nequeunt, deſiſtant penitus exigere. Quòd ſi ea, quæ noxia ſunt requirunt, eorum voluntati nequaquam annuatur. Aliquando enim, vt dicit B. Auguſtinus, etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Qua in re pro infirmorum cuſtodia etiam in talibus medici conſulantur. Non enim medicinæ fomenta, quæ à Deo credimus eſſe conceſſa, infirmis neganda ſunt ſi adminiſtret facultas; cùm tamen animarum medicina præceſſerit. Nec minori cura cuſtodiendi ſunt infirmi tempore recreationis, quàm tempore languoris; tunc enim cuſtodiuntur ne peiorentur: nunc autem recreantur, vt meliorati in ſtatum priſtinum reſtaurentur. Qui, vbi tempus reſtaurationis aduenerit, præſentibus fratribus in Capitulum veniant, & accedentes in mediũ accuſent ſe ſuper peccatis, & negligentiis, & Ordinis corruptionibus, quæ omnia infirmitatis occaſione contraxerint: & ſic ſecundùm modum ſuperiùs deſcriptum, ſatisfactionis ſuſcepta ſententia, ad propria loca, & fratrum ſocietatem, ac Ordinis obſeruationem redeant. Si quis autem quietem, vel delicatiorem vitam diligens, ad Ordinis obſeruationem venire diſtulerit; & hoc Cuſtodi in veritate claruerit, tam acri diſciplinæ ſubiaceat, vt cæteri hoc agere pertimeſcant. Non tamen hæc ita dicimus, vt eos in Ordinis obſeruatione fratribus iungi velimus, antequam valeant, ſed ne vitium gulæ, aut ſimulationis incurrant. Quapropter Cuſtos ſummopere ſtudeat, vt ſi fieri poſſit, nec ante plenam valetudinem eos ad Ordinis obſeruationem redire, nec eos, vbi verè potuerint, hoc differre permittat.

S. Aug.

De vſu balneorum, & ſanguinis diminutione.

CAPVT XXIV.

SI quibus Fratribus balneorum, vel minutionis vſus pro conſeruatione, vel reſtauratione ſanitatis neceſſarius fuerit, exhibendus eſt eis, etiamſi ipſi noluerint; quatenus per corporeæ ſalutis confirmationem fortiores inueniantur in omnem Ordinis obſeruationem. Si qui tamen hoc ex vitio, vel frequentius quàm oporteat, quæſierint, nequaquam eius Maiorum prudentia annuat. Minutorum autem cuſtodia ſit vſque in tertium diem hoc modo: Qui minuendi ſunt poſt Tertiam, vel Quadrageſimali tempore poſt Nonam minuantur. Die igitur illa, & nocte ſequenti Officiis intereſſe non compellantur; Pſalmos tamen aliquãtos cantare moneantur. A Prima autem diei ſecundi, vſque ad Primam diei tertij, Officia quidem audire, non tamen facere conſtringantur. Aſt poſt Primam diei tertij, in Capitulum veniant, & pro negligentiis ſuis ſeſe accuſantes, ſatisfactionis ſententiam ſuſcipiãt, & in ordines ſuos exinde redeant; attamen vſque in hanc Horam pro facultate domus largioribus, & valentioribus epulis paſti, vel in domo infirmorum, vel in priuatis locis ſub Cuſtode permaneant, vſus quoque balneo-

rum, si qua custodia necessaria fuerit, non negetur.

De Senibus, & itidem de Infirmis.

CAPVT XXV.

STatuatur & alia domus vbi Senes maneant: cum iam & frigiditate naturæ, & debilitate nimia, seruare communem Regulam non permittuntur. Hi ergo pro ætate, pro necessitate, & debilitate à Custodibus suis regantur, pascantur, & sustententur: qui neque ieiuniorum, neque vigiliarum regulæ, sicut nec infirmi, subiaceant; nec Officiis interesse compellantur, si nequeant: attamen Psalmos cantare, & orare moneantur Quòd si facultas suppetat, fiat ibi Cappellula inter domus vtrorumque, vbi ipsi Missas, aliaque Officia breuiata, si Priori placuerit, audiant.

De pueris & adolescentibus, qui nutriuntur.

CAPVT XXVI.

PVeri verò, & adolescentes qui in Congregatione Canonica nutriuntur, & erudiuntur, sub vno conclaui, optimis deputati Magistris commorentur: à quibus sic arctissimè constringantur, vt nemini eorum in aliqua parte diuertere, vel alicubi, sine Maioris custodia, liceat pergere. Qui omnes non solùm discipuli, verùm etiam Magistri deputentur Seniori probatissimo, qui eos otiis, vel confabulationibus vacare nequaquam permittat, sed in bonis moribus instruat, in sancta conuersatione nutriat, in cunctis Ecclesiasticis disciplinis erudiat, vt Ecclesiæ vtilitatibus ipsi quandoque parere, & ad Ecclesiasticos gradus dignè valeant promoueri. Hi ergo semper Diuinis intersint Officiis, & in choro maioribus fratribus recti assistant, & ibidem tempore sedendi in subsellis suis sedeant, cunctaque secundùm vsum & ordinem faciant. In Capitulo quoque cum Fratribus conueniant: sed inde ingredientes statim cum Seniore, & Magistris ad scholas properent, & quæ necessaria sunt, addiscere studeant. In Refectorio quoque, quique in parte, & in loco suo erecti coram fratribus manducent ad mensam. In Dormitorio etiam cum fratribus dormiant: ita vt eorum lecti, maiorum lectis habeantur intermixti. In scholis itaque sint semper, cum silentium non tenetur: Fratribus autem sub silentio manentibus in statuto loco claustri sint sub Senioris, & Magistrorum suorum custodia, omnem ordinem pro possibilitate sua seruantes, & Diuinorum Officiorum disciplinis, ac sanctis lectionibus insistentes: attamen vsque ad annos sexdecim ieiuniorum Regulæ non subiacebunt In scholis item sint vsque ad annos sexdecim: vel quousque Hymnos, Psalmos, Cantum, & secundùm vsum Scripturarum optimè legere didicerint. Exinde autem de scholis educti, cum fratribus, secundùm ordinem, quo in Congregatione admissi sunt, maneant. Quòd si Prior in quadam claustri parte scholas teneri congruum vel necessarium viderit, hoc ipse, quod magis expedire cernitur; nisi fratribus contrarium fuerit, faciat.

Si qui artis Grammaticæ disciplina erudiri debeant.

CAPVT XXVII.

QVòd si Prior aliquos horum, vel etiam maiorum, ardentiores in Dei seruitio, ac vera religione, & paratiores ad omnem obedientiam, & ordinis obseruationem, & ad adiuuandum fortiores, ad discernendum prouidiores, & fratrum animabus, ac corporibus vtiliores esse in veritate perspexerit, & eos felicioris ingenij, & prudentioris consilij veraciter cognouerit, si ipse iustum iudicauerit, contemptis libris turpibus, & fallacibus, ad Diuinas Scripturas discendas, & intelligendas, artis Grammaticæ disciplina eos erudiri præcipiat. In his itaque personarum nulla fiat acceptio, siue perspectio, nisi Ecclesiæ, vel animarum suarum vtilitas aliter deposcat.

De Laicis litteratis in grandiori ætate susceptis.

CAPVT XXVIII.

SI quos Viros litteratos in grandiori ætate Fratres susceperint & eos Prior post primum, vel secundum annum in cantandi disciplina frustra laborare viderit; inutili labore subleuatos, eos ad alta adhibeat, quæ magis competunt, & Fratribus sint vtiliora.



Explicit Liber Secundus.

Incipit Prologus libri tertij.



HIS igitur de variis Canonicorum negotiis præmonstratis, Horarum quoque Canonicarum numerum, atque mysterium, quas Diuino Spiritu afflati Sancti Patres instituerunt, sicut à Maioribus nostris diximus, & vsus habet Ecclesiæ, pluresque alias necessarias Fratrum obseruationes, obedientiarum quoque locationes, ac locorum susceptiones prosequamur.

Explicit Prologus.

Incipiunt Capitula.

De Septem horis Canonicis antiquitus statutis, & de Prima nouo tempore adinuenta.

CAP. I.

Psal. 118. SEptem horas antiquitus statutas testatur Dauid Psalmographus, dicens, *Septies in die laudem dixi tibi*, vt tot essent laudum exhibitiones in die, quot & ipsi dies. Nec enim vetustas merebatur octauæ horæ habere celebrationem, quæ nondum mortuorum perennem meruerat habere resurrectionem. A Has ergo septem Horas, id est, Vigilias Matutiuas, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, singulis diebus Canonici debent, antiquorum sequendi vestigia, deuotione nimia celebrare. Primam quoque, licet nouo tempore sit statuta, non tamen debent minori deuo-

tione venerari. Has itaque octo Horas Spiritus Sanctus per antiquos, & modernos Patres benè in Eccleſia diebus ſingulis celebrari inſtituit; vt quia dies decurſione viginti quatuor horarũ perficitur, ſingulæ tres horæ proprias laudes haberent, quarum exhibitione Trinitas ſancta ſemper coleretur, & noſter interior homo peccato cogitationis, locutionis, & actionis ſemper purificaretur, quò & ipſe digniùs Trinitati adhærere mereretur. Quæ ideo ad octonarium ſurgunt, vt vniuerſalis Reſurrectionis gaudium præſignent: in quâ peccatis omnibus liberi ipſius Trinitatis myſterium pleniſſima cognitione videbimus, & exinde cum ipſa ſine fine gaudebimus.

De nocturnis Vigiliis.
CAP. II.

HÆ igitur Horæ certis diei horis ob certi cauſam myſterij celebrari ſtatutæ ſunt. Vigiliæ namque ideo in nocte aguntur, quia vaſtator An-
Exod. 9. gelus nocte pertranſiens, Ægyptiorum primogenita percuſſit, Iſraelem à dominatu eorum eripuit. Et Dominus Ieſus Chriſtus in nocte ſæuientium Iudæorum eſt nequitiæ traditus. Chriſtianus quoque populus in nocte Paſchæ principaliter baptizatus ab animarum morte eripitur. Ne ergo Ægyptiorum periculis, & Iudæorum nequitiæ miſceamur, neue Iſraeliticæ liberationis, & noſtræ per baptiſmum, Dominicæ quoque traditionis horam laudibus vacuam relinquamus, & cum Pau-
C
Act. 15. lo & Sila nocturnæ laudis orationibus abſoluamus; & vt vigilantes, ſi Dominus ea hora venerit, inueniamur, valde nobis opportunum eſt, vt nocturnis horis exurgentes, ſacris orationibus, & Diuinis laudibus inſiſtamus. Quod ſe feciſſe te-
Pſal. 118. ſtatur Dauid, dicens: Memor fui in nocte nominis tui Domine. Et paulò poſt in eodem Pſalmo: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et
Iſai. 26. Iſaias. De nocte inquit, vigilat Spiritus meus
Luc. 12. ad te, Deus. Et Dominus ad nocturnas Vigilias in Euangelio nos exhortans, dicit: Beati ſunt ſerui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vi-
Luc. 6. gilantes. Et quòd Ipſe verba confirmaret exemplis, teſtatur Euangeliſta: Ieſus erat in oratione pernoctans.
D

De Matutinis Laudibus.
CAP. III.

MAtutinæ autem laudis Officium, licet nouo tempore primitus, & vt quidam ferunt, in Bethleemitico Monaſterio, vbi Dominus pro ſalute noſtra de Virgine natus eſt, ſtatutum fuerit, tamen omnis Eccleſia conſuetudinem cultus gratanter ſumit, & ſolemniter celebrat: quod à ſancto Spiritu non dubitatur factum, vt Hora illa, quam Dominus ſplendore ſuæ Reſurrectionis perluſtrauit: & qua noſtræ gratiæ Lux, & Sol iuſtitiæ fidelibus ortus eſt, Diuinis laudibus, & dignis ſemper excoleretur Officiis. Nam & ideo Dominus quaſi in fine noctis, & in exordio diei à mortuis reſurgere voluit: vt nobis patenter oſtenderet, quòd per Reſurrectionem eius, vetuſtatis caligo finem acciperet, & lux nouitatis, ac gratiæ adituſque felicitatis æternæ inueniret
S. Iſidorus. exordium. Hoc etiam tempore, teſtante B. Iſidoro, à fidelibus ſpes futuræ Reſurrectionis creditur, quando Iuſti à morte quaſi à ſopore ſomni reſurgentes, æternæ lucis, & felicitatis principio ſicut ſol fulgere incipient. Quod tempus etiam

A apud antiquos venerationi fuiſſe, teſtatur & ille vetus Pſalmographus, dicens: In Matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus. Et illud: Pſal. 62.
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer Pſal. 118.
eloquia tua. Et alibi: Repleti ſumus manè Pſal. 89.
miſericordia tua. Et illud: Mane oratio mea præ- Pſal. 89.
ueniet te.

De Prima.
CAP. IV.

PRima verò, licet nouo tempore in Oriente apud Monaſteria Paleſtinorum primitus ſtatuta, & inuenta: tamen quia omnis eam ſuſcepit Eccleſia, pro eo quòd à Spiritu ſancto non dubitatur adiuncta, ſumma pariter deuotione, & lau-
B dum exhibitione celebranda eſt. Quæ benè poſt Matth. 28.
Solis ortum agitur, vt hora illa, in qua primò mulieribus Chriſti Reſurrectio per Angelos, atque per mulieres Apoſtolis nunciata eſt, non ſit Diuinis laudibus, & dignis Officiis aliena. Et hoc ſatis videtur rationabile, vt prima Hora diei Diuinis Officiis, & ſanctis orationibus debeamus inſiſte- Mar. 16.
re, quatenus & eo quòd de tenebris ad lucem ve- Ioan. 20.
nimus, Deo gratias referamus: &, vt Ipſe per totam diem corda, & corpora noſtra in viam ſalutis, & iuſtitiæ dirigat, cogitemus. Et quia omnis virtus, omnis ſanctitas, omnis iuſtitia ad laudem, & honorem Dei, & in IESV Chriſti nomine debet ſemper inchoari, rectè diei, qua lucis operatio ſignatur, exordium laudibus Diuinis debuit conſe-
C crari. Et notandum, quòd Spiritus ſanctus hanc Horam non per Apoſtolos, vel antiquiores Patres, non etiam per maiorem Eccleſiam voluit ſtatui, ſed nouo tempore per ſubiectos Eccleſiæ filios ſtatuendam, mira, piaque prouidentia reſeruauit, vt nobis videlicet innoteſceat, Spiritum Domini hanc ſibi virtutem reſeruaſſe, vt per quoſcumque, & quandocunque inſpirante eo aliquid rectum, & ſanctum in Eccleſia ſtatutum fuerit, non iam abiectione perſonarum, aut temporis nouitate quiſquam reiicere audeat, ſed amorem inſpirantis, & ſtatuentis Dei per hominem, diligenter amplectatur, & teneatur.

D

De Tertia, Sexta, & Nona.
CAP. V.

HOram Tertiam, Sextam, & Nonam Danielem etiam, & tres Pueros ſupplicationibus Domino deuouiſſe, ſacra teſtatur Hiſtoria, Quorum imitatione nos his Horis digniſſimum eſt Diuinis Officiis inſiſtere, quamuis nouo tempore, & ob aliorum cauſas myſteriorum, multò nobis ſint celebriores. Denique Horam Tertiam ſanctus Act. 2.
Spiritus, quia tertia eſt in Trinitate perſona, ſua deſcenſione celeberrimam reddidit, & laudibus Diuinis digniſſimam fecit. In qua deſcenſione tantum ſancti Spiritus gratiam affuiſſe aſſerunt,
E vt omnium linguis omnes Apoſtoli loquerentur, & vnumquemque Apoſtolum quacumque vna lingua loquentem omnium linguarum præſens diuerſitas ſimul intelligeret. Quatenus daretur intelligi, quòd Spiritus Domini ſub vnius Eccleſiæ gremio coniungeret, & vniret, quos ſuperbia diabolici ſpiritus in terris ædificatione diuiſerat. Benè etiam Tertia Hora Spiritus ſanctus deſcendit, quia tertio tempore Chriſtus omnem mundum inuocauit, & ſuæ gratiæ luce perfudit. His etiam de cauſis Sanctorum Patrum auctoritas hanc noſtram præ omnibus aliis ad Miſſas celebrandas ſtatuit fore legitimam, in qua ſola iterum pec-

principalis vocaboli, in quadam ferè pari celebratione Officiorum addere placuit.

De Ordine Lectionum totius Anni.

CAPVT X.

IN Septuagesima ponunt Eptaticum vsque quintum decimum diem ante Pascha. Quintadecima die ante Pascha ponunt Hieramiam vsque in Cœnam Domini. In Cœna Domini legunt tres Lectiones de Lamentatione Hieremiæ: Quomodo sedet sola ciuitas: & tres de Tractatu S. Augustini in Psalmo sexagesimo tertio: Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: tres de Apostolo, vbi ait ad Corinthios: Conuenientibus vobis in vnum, Secunda: Similiter postquam cœnauit, Tertia: De spiritualibus autem nolumus ignorare, fratres. In Parasceue tres de Lamentatione Hieremiæ, & tres de Tractatu S. Augustini in Psalmo sexagesimo tertio: & tres de Apostolo, vbi ait in Epistola ad Hebræos: Festinemus ingredi: Secunda lectio: Omnis namque Pontifex: Tertia lectio: De quo nobis grandis est sermo. In Sabbato sancto tres de Lamentatione, & tres de Tractatu S. Augustini, & tres de Apostolo, vbi ait in Epistola ad Hebræos: Christus assistens Pontifex. In Pascha Domini Homilias ad ipsum diem pertinentes. Infra hebdomadam Homilias. In Octauis Paschæ ponunt Actus Apostolorum, & Epistolas Canonicas, & Apocalypsim vsque in Octauas Pentecostes. In Octaua Pentecostes ponunt Regum, & Paralipomenon vsque ad Kalendas Augusti. In Dominica prima mensis Augusti ponunt Salomonem vsque ad Kalendas Septembris. In Dominica prima Septembris ponunt Iob vsque in medium Septembris: ibi ponunt Tobiam, Iudith, & Hester, & Esdram vsque ad Kalēdas Octobris In Dominica prima mensis Octob. ponunt Librū Machabæorum vsque ad Kalendas Nouembris: Hinc ponunt Ezechiel, & Daniel, & minores Prophetas vsque in Aduentum Domini. Dominica prima de Aduentu ponunt Isaiam vsque in Natalem Domini. In Vigiliis Natalis Domini legunt tres lectiones Isaiæ: Primo tempore, Consolamini, Consurge. Deinde Sermones, & Homilias ad ipsum diem pertinentes. In Festiuitate Sancti Stephani, Sancti Ioannis, Sanctorum Innocentium, Sancti Siluestri, Sermones ad eosdem dies pertinentes. In Octaua Domini Homilias de ipso die. In Dominica prima post Natalem ponunt Epistolas Pauli vsque in Septuagesimam. In Epiphania Lectiones tres Isaiæ, Omnes sitientes, Surge, Gaudens. Deinde leguntur Sermones, vel Homiliæ eidem diei pertinentes.

De Ordine Missarum.

CAPVT XI.

LEgitima Hora Missarum est Tertia, atque Nona. In omnibus namque legitimis ieiuniis Missa hora Nona, cæteris verò diebus hora Tertia, secundum vsum, & ordinem celebranda est. Nam quòd post Nocturnas Dominicæ Natiuitatis Vigilias, & quòd Sabbato Sancto in exordio Paschalis noctis, & quòd diebus Dominicis, ac maioribus Festis, quódque diebus ferialibus mane pro Defunctis ante Primam, vel post Primam, & quòd quandoque legitimis ieiuniis mane, vel apud quosdam hora Tertia cantatur, ob certæ necessitatis, vel mysterij causam, fieri non dubitatur. Aliis autem Horis, licet Missa non inueniatur in Canonibus statuta, vsus tamen Ecclesiæ habet, Missam ab ortu Solis vsque ad Tertiam, & à Nona vsque ad Vesperam posse pro necessitate celebrari. Diebus ergo Dominicis, & Summis Festis propriæ, quæ habentur Missæ, cantari debebunt. In Festis verò præcipuis popularibus, & priuatis, si propriæ habentur Missæ, cantentur: si verò propriæ non habentur, de communi conuenientia dicantur. In legitimis quoque ieiuniis propriæ habentur Missæ, quas cantare debemus, exceptis paucis Vigiliis, in quibus de communi conuenientia Missæ cantantur. Infra Octauas etiam Summorum, siue vt quibusdam placet, præcipuorum Festorum Missas de eisdem Festis plurimorum vsus asseuerat agendas. In hebdomada tamen Paschæ, & Pentecostes propriæ, quæ habentur Missæ, cantentur; cæteris verò diebus dicatur Missa præcedentis Dominicæ, tamen si Feria Quarta, aut Sexta habentur propriæ Missæ, vel Epistolæ, aut Euangelia dicantur. Missam quoque pro Defunctis mane vestro Conuentui semper fore dicendam statuistis, exceptis Dominicis, & Festis in nouem Lectionibus celebrandis, & diebus inter Octauas summorum Festorum conclusis. Præter hæc in omnibus summis Festis, & in illis præcipuis, de quibus duæ Missæ habentur, mane ante Primam Missam in Conuentu cantandam statuistis. Verùm in aliis præcipuis, eundisque popularibus Festis, ac diebus Dominicis, ac legitimis Ieiuniis, Missam his astantibus Clericis, vel Laïcis, qui ex qualibet causa Hora Tertia, vel Nona ad Missam non possunt occurrere, canendam disposuistis. Missæ igitur omnes, quas in Conuentu decreuistis esse dicendas, si facultas suppetat, semper cum Officiis suis secundum vsum, & ordinem Ecclesiæ, ac temporis congruentiam, Diacono, & Subdiacono ministrantibus decantentur.

De Hora Collationis.

CAPVT XII.

HOra Collationis, cum dies longi sunt, & noctes breues circa Solstitium Æstiuale, agatur temperius, id est, Solis adhuc radio apparente. Cum verò dierum breuitas noctes fecerit longiores, agatur tardius, id est, cum Lux diei tenuata legendi facultatem tollere cœperit. Quæ tantùm Hora ordinatim augeatur, & minuatur, id est, secundum augmentum, vel decrementum dierum, ac noctium. Verùm quando mandatum agendum est, & quando aliqua præcellens solemnitas imminet, in qua tempestiuius solito, surgendum sit, ipsa Collationis hora solito agatur temperius.

Qua Hora noctis Vigilias agere debeamus.

CAPVT XIII.

OMni tempore in quantum satuari potest, diebus Festiuibus, transactis duabus partibus noctis, tertia adhuc restante ad Vigiliarum Officia peragenda surgendum est. In diebus autem Dominicis, aliisque Solamnis pro vsu, pro modo quoque, & quantitate Officiorum surgendum est; quatenus omni die Festiuo, & Feriali tempora, suo cuncta Diuina Officia modo dabito, peragi valeant. Æstiuo tamen tempora pro paruitate noctium Lectiones in nocturnis Vigiliis breuiandæ sunt: Hyemali verò pro earū longitudine Lectiones

prolongandas censemus, nisi quandoque pro importabili nimietate frigoris breuientur.

Quo ordine, vel tempore agantur Matutina, & catera Hora.

CAPVT XIV.

Peractis autem Vigiliis omni tempore, tacto, si liceat, signo, Matutinæ laudis agantur Officia. Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium pro vsu & ordine competentibus horis, per singulos dies gerantur, & temporalitatamen vt in his, & in omnibus semper eorum, quæ instant, necessitas dierum quoque, & officiorum quantitas prospiciatur & qualitas.

De his, quæ in Capitulo agenda sunt, vel dicenda.

CAPVT XV.

Cum Fratres post Primam, in Capitulo mane conueniunt, Lector petita benedictione, Mensis terminum, ætatem Lunæ, Feriam sequentis diei & Festa more solito pronunciet. Quibus pronunciatis Fratres consurgant, & finitis solitis eiusdem horæ versiculis, iterum sedeant, & lectionem de Canonicæ Vitæ institutionibus, siue de Festo eiusdem diei, si summum, vel præcipuú fuerit, audiant. Qua finita, lectiones, & responsoria sequentis diei Lector singula singulis fratribus assignans, pronunciet. Deinde Prior petita benedictione à fratribus, dicat quicquid necessarium viderit, vel in exhortandis animabus, vel in ipsius Ecclesiæ rebus locandis, aut aliquibus Canonicis negotiis pertractandis; nullusque ibi, excepto Priore & Præposito, loqui præsumat, nisi iussus, aut interrogatus, siue erectus. Et cum vnus ibi loquitur, cæteri taceant, & loquentis verba ad finem vsque intendant. Si quis autem fratrem suum in sancta professione transgressionis culpam incurrisse cognouerit, regulari more ex charitate consurgens, humiliter proferens, dicat: Ille Frater noster contra Ordinem fecit; cuius vocem accusati mox sequatur erectio, in mediumque accessio; tum ille culpa eius nominatim expressa sedeat: iste verò terræ prostratus dicat: mea culpa, peccaui. Et Fratres respondeant, parcat tibi Deus; quòd ille se erigens, iterumque prosternens, atque eadem proferens tamdiu faciat, donec Prior eum stare præcipiat, & sententiam satisfactionis iniongat, certamque ei horam, vel diem assignet, qua ipse iniunctionis debitum perfecisse debeat. Hæc autem eadem fieri post Nonam, si in Capitulum conueniatur, non interdicimus, cú Priori placuerit. Hunc itaque modum satisfactionis accusati, vel per se confessi, semper tenere debeant.

De Summis Festis in Capitulo nunciandis, & de Confessione, ac Remissione vicissim danda.

CAPVT XVI.

Summa autem Festa cum venerint, quinto, vel quarto ante die, peractis prius omnibus, quæ in Capitulo gerenda mane post Primam iam scripsimus, quidam de Fratribus, cui Prior iniunxerit, accedat in medium, & petita benedictione dicat: Quinto, vel quarto die proximè futuro, Fratres charissimi, illam Festiuitatem Domini nostri Iesu Christi celebrat uri, sanctificamini, & estote parati. Tu autem Domine, &c. Fratribus itaque

A mediocri voce, Deo gratias respondentibus, subiungat idem Lector secundùm quod à Præposito statutum fuerit; qui Fratres Inuitatorium, Lectiones, Responsoria, & quæque alia in Officiis necessaria, dicere, cantare, vel legere debeant. Quibus prooounciatis fiat omnium ea cessuum patens Confessio, quam pœnitentiæ, & satisfactionis sequatur iniunctio, ante Festi eiusdem celebrationem, si fieri potest, implenda. Si quis tamen aliquid priuatè confiteri voluerit, confiteatur Priori, siue Presbyteris per Priorem ad hoc Officium deputatis. Remissionem quoque Fratres sibi inuicem, & omnibus absentibus, qui offendere voto, & absolutione, qua possunt, exhibeant. Quod satis esset laudabile, & Ordini congruens, si etiam in singulis Sabbatis, &
B præcipuorum Festorum Vigiliis fieret. Cantaturi igitur, & lecturi, his, vel aliis diebus quibuslibet, quæ cantanda sunt, & legenda, præuideant: etsi necesse sit aliquid in his quærere, certæ personæ à Priore designentur, à quibus licita hora hoc exquirere debeant; quique id eis humiliter, & studiosè exhibeant.

De plurimis Fratrum Orationibus, & Obseruationibus.

CAPVT XVII.

De ternis verò Orationibus nocte ante Vigilias, mane ante Primam, sero post Completo-
C rium: & de Precibus post Matutinas, & Vesperas agendis: de Canticis Graduum dicendis: de Matutinis quoque, & Vesperis Sanctorum: de Horis Sanctæ Mariæ, si fraterna deuotio habeat: de Vigiliis Matutinis, Missis, & Vesperis pro Defunctis exhibendis: de Psalmis pœnitentialibus mane dicendis: de aliis Psalmis post Horas cantandis: de Ordine præterea intrandi Ecclesiam, vel Capitulum, & exeundi: de Ordine eundi, standi, loquendi, vel silendi in claustro: de Ordine communiter dormiendi, & surgendi, communiter edendi, & potandi: de præparatione ministrorum, qui ad Missam seruituri sunt: de lauandis manibus, & capitibus pectinandis: de signis tangendis, & tabulis: de
D significandis Horis Diuinis: hora quoque Collationis, & Refectionis: de Vicaria fratrum subministratione: de Ordine Dominicalium, vel quarumcunque Processionum: postremò de omnibus intra Ecclesiam, & Fratrum Officinas agendis, quæcunque necessaria sunt; & ordo, vel institutio insinuet Maiorum.

Quòd Prior super his omnibus debet esse sollicitus.

CAPVT XVIII.

Cum sit Prioris proprium cuncta interiora, &
E exteriora per se, & per alios semper inquirere, inquisita perspecta subtiliter discutere, discussa sapienter tractare, statuenda statuere, facienda imperare, vitanda negare, quid cuique congruat, loqui singulis, prout opus fuerit, subministrare: corrigenda quæque sapienter corrigere, peccantibus pro modo culpæ, modum etiam satisfactionis iniungere: vt nec asperitas quemquam ab emendatione retrahat, & lenitatis nimietas neminem inuitú soluat; & si foris aliquando necesse fit, asperitatem monstrare, intus tamen in animo semper seruare humilitatem. Lectioni cum sibi vacat, insistere, orationibus incumbere, fratres in vnum collectos san-

ctarum Scripturarum sæpe fluentis irrigare: de vita, & moribus Clericorum, & proprij Ordinis, obseruatione frequenter instruere, virtutes, & exempla Sanctorum eis ad imitandum proponere peccantes pœnarū supplicio enumerando terrere: bene agentes ad desideria percipiendæ felicitatis accendere, singulis quibusque aduenientibus pro suis necessitatibus, & personarum qualitate, si facultas suppetat, subministrare: postremò Confratrum omnium animarum, & corporum vigilanti studio curam gerere, & omnes res Ecclesiæ, mobiles, & immobiles, spirituales, & corporales custodire, regere, atque disponere, & cunctis cunctas necessitudines, & congruentias subimplere. Et cum vnus homo tanta portare non possit, necesse est vt sub ipso aliorum statuantur personæ, quibus onera diuisa portare, & omnia necessaria congruenter fieri valeant. Siquidem Moyses cum totius Israelis onus regiminis portare non posset, consilio etiam incircumcisi hominis, viros ex omni Israel prudentes elegit, quos super populum Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos ad finiendas lites, & disceptationes tollendas constituit, maiora sibi tantummodò finienda reseruans. Hoc ergo charissimi exemplo commoti in Prioris auxilium ex prudentioribus Viris personas prudentiom eligendas statuistis: qui onera singula interius, atque exterius ad animarum, & corporum necessitatem supplendam, ad ordinem quoque obseruandum, pertinentia leniùs diuisa portarent. A

De Præposito.

CAPVT XIX.

ELigendum itaque de Confratribus virum vnum censuistis, Fratres charissimi, qui sit voluntate purus; sermone discretus, actione sanctus, ordinis scientia & obseruatione præclarus, & si fieri potest, Diuinarum Scripturarum sufficienter imbutus notitia: quem patientiæ virtus, charitatis dilectio, vitæ quoque decoret Religio; qui cæteris sub Priore Præpositus, Prælationis suæ in gerendis officiis, in fratribus regendis, & custodiendis, in ordine seruando, & Regula peruigilem gerat custodiam. Hic ergo Officiorum qualitatem, vsum, & ordinem, singulasque varietates Fratres edoceat; hic solita Officia designari in tabulis, secundum vsum, & ordinem, postmodum in Capitulo coram Fratribus pronuncianda præcipiat; pulmenta quoque Fratribus præparanda, & quæque illis apponenda coram Hebdomadariis, & Cellario statuat. Vestimenta autem, & calciamenta ne dari differantur tempore necessario studeat, singulorum quoque Obedientias intus & foris, si iustè regantur, regulariter impleantur, præuideat. Omnium ergo interiorum, & exteriorum curam sub Prioris consilio, & iussione habeat: & quæcunque necessaria sunt, ipso absente dicat, & faciat; maioribus tamen negotiis Prioris iudicio reseruatis; cætera autem omnia huius officio pertinentia, & hic nominatim non expressa, vsus ipse, & ordo edoceat. In quibus omnibus sic sui vtatur iure regiminis, vt à Domino iustitiæ præmium consequatur gloriæ.

De minoribus Præpositis statuendis, seu Magistris, & disciplina peccantium.

CAP. XX.

STatuat quoque præter hunc Prior sub isto ad fratrum custodiam, & alios Magistros, siue Præpositos, si necessarium viderit, quibus singulis proprium locum assignet in Claustro, vbi ipsi residentes, Fratres sibi commissos hinc inde statutos in bono nutriant, in sanctis moribus instruant, & eos Lectionibus. Hymnis, Canticis, aliisque Ecclesiasticis doctrinis, vtilitatibus incumbere, in loco stare, & proprium Ordinem seruare compellant, & a suis oculis nullatenus eos sine certa necessitatis causa separari, vel abire permittant. Postremò eos non solùm ab opere peruersitatis, & B malitiæ, sed ab vso otiosæ loquacitatis immunes custodiant, & in omni religione sanctitatis, & honestę grauitatis perfectos exhibeat. Quibus, si qua necessaria fore perceperint, hoc Priori, siue Præposito innotescant, quatenus si facultas suppetat, eorum omnis impleatur absq; dilatione necessitas. Si quos autem de sibi commissis vagos, vel otio, aut inutili loquacitate vacantes, vel ordinem proprium seruare nolentes, vel suis Prælatis inobedientes esse perspexerint; & eos semel, bis, & ter commonitos emendare nequiuerint, tunc ipsos C corrigendos Præposito adpræsentent. Quos itidem Præpositus semel, bis, & ter commonitos, si nequaquam emendare poterit, coram Fratribus in Capitulo repræsentet. Quòd si se nec per Priorem correxerint, omnibus supponantur, & ab omnibus iniurientur; postremò fraterno consortio, & communione priuari, ieiuniis macerentur: & si personarum patitur qualitas, verberentur. Si verò nec sic emendantur, in carcerem ieiuniis longis castigandi retrudantur, vel maioris Ecclesiæ, siue Episcopi iudicio dimittantur. Hi ergo, qui dimissi, vel in carcerem retrusi fuerint, aut clam per se recesserint, si quando pœnitentia ducti satisfactionem promiserint, & D veniam postulantes impetrauerint, primò quidem per longum probentur exterius, & si verè apparuerint pœnitentes, in infimo saltem loco quandoque suscipiantur interius. Hunc modum correptionis, Fratres charissimi, non solùm in Clericis, verùm etiam in Professis Laicis tenendum, vestra charitas censuit.

De Obedientias tenentibus, siue suscipientibus.

CAP. XXI.

QVi verò Obedientias Domus prò Fratrum vtilitate, atque seruitio susceperint, sub E Prioris, & Præpositi cura, ac potestate permaneant. Et quicquid eis ipsi, vel ipsis absentibus, alij Prælati supplentes vices eorum mandauerint, sine dilatione obseruent, & impleant: Si quid autem admiserint, secundùm Prioris iussum, & Ordinis vsum, ac culpæ modum satisfaciant. Qui verò superbi, aut negligentes, aut auari, seu prodigi: susurrones, aut fures, vel quoquo modo rei Dominicæ vastatores inuenti fuerint, aut sibi præsidentium mandata contempserint, vel aliquid alicui, quod dare debuerant, ex odio subtraxerint, vel quicquā contra vsum, & ordinem gratiæ singularis amore, quod non erat opportunum tradiderint, Prior eos à suia

Oficiis remoueat, & ioiuncta illis pœniteoria, &
satisfactionis seutentia, alios in eorom locis subro-
get, qui hæc vigilantiùs, puriúsque peragentes,
Christo, & Confratribos siris fideliter admini-
strent. Ad potrigenda igitur singulis Fratribus in-
tus necessaria, quidam ex valentioribus, & pru-
deorioribus Fratribus eligâtur viri, quorum voua
Sacrariom, alter Cameram, terrius Cellarium,
quartus Refectorium, quintus Vestiarium regen-
da, ac custodienda suscipiaor. Quicunque ergo
ad aliquam harum, vel similium Obedientiam
suscipiendam aecesserit, veniat in medium Capi-
tuli, & prostratos incipiat Psalmum, *Deus in ad-*
Psal. 65. *iutorium meum intende*; quem cum Fratres com-
pleuerint, cum Oratione Dominica, & Capitulis,
atque Oratione competenti surgat, & genibus fle-
xis suscipiat de manu Prioris Regulam, vel alium
libellum, sic dicentes: Nos huius Obedientiæ cu-
ram, atque laborem ad salutem animæ tuæ, in
pœnitentiam, & remissiooem peccatorum tuo-
rum ex Fratrum coosensu, pro charitate te fer-
re præcipimus. Et exinde eius Obedientiæ cu-
ram summa iodustria, prudentia, & consilio
gerat, atque perficiat. Quibus verò hæ tales
Obedientiæ pro aliqua offensa auferuntur, vel
qui ab eis voluntate Prioris subleuantur, pro-
strati in medio accusent se super omnibus, quæ
in his sobministrandis admiserunt, iocipiantque
Psalmum quinquagesimum, quem dum Fra-
tres perfecerint, cum Oratione Dominica, &
Capitulis; atque Oratione competenri assur-
gant, & quaotitatem pœnitentiæ, quam Prior
ioiunxerit, hilari animo suscipiant, & susceptam
intra iussum rempus perficiant.

De Sacrista.

Cap. XXII.

AD Sacristæ igitor obedientiam Oratorium,
Sacrarium, Armarium, & omoia quæ in
eis facienda sunt, vel reponenda, cunctaque ne-
cessaria, vel congruentia, pertineant. Hic ergo D
Oratorium pro vsu, & ordine mundet, illu-
minet, costodiat, & competenti Hora claudat,
atque speriat, nihilque ibi indecens agat, aut
recondat, vel agi, aut recoodi permittat: di-
cente Domino: *Domus mea, Domus Orationis*
Matth. 21. *vocabitur.* Oleum autem Sanctum, Corpus
Domioi, Capsas cum Sanctorum Reliquiis, in
Ecclesiis posse consistere, nemo dubitat. Alta-
quoque minura, si Ecclesiastica, & nihil iode-
corum præbeotia; & Diuinis obsequiis quotidie
necessaria esse non reprobamus, si fieri potest,
semper Sacrista custodiat, vt nulli inde exeuo-
di, aut Intrandi locus pateat, nisi quis Oratio-
nis, aut Deuotionis causa, vel offerendæ obla-
tionis, aut Eucharistiæ sumendæ, seo Fraternmi-
tatis Clericorum percipiendæ humiliter intrare
quæsierit. Ad Missarum verò solemnia Pres-
byter ante Ostium Chori populorum oblationes
suscipiat: ibique eis Domioici Corporis, ac
Sanguinis mysterium tradat. Quòd si populus
magnus fuerit, & ad Altare accedere volue-
rit, noo prohibeatur. Verùm Clericis adhuc in
Choro residentibus, ad Altare molieribus adi-
tus, si fieri potast, ooo concedatur. Quicquid
ergo io Cera, Oleo, & Incenso, aut Vestibus
ad vsum Altarium, vel ministrantium necessa-
rium fuerit oblatum, Sacrista ad supplendam
obedientiæ suæ necessitatem, io Sacratio repo-
nenda suscipiat. Altarium autem, vel Altaribus

A mioistratium, vestimenta, ornamenta, cuncta-
que protius Ecclesiæ vtensilia in Sacrario teneaan-
tur clausa, atque recondita: quæ quidem partim
diebus certis, partim singulis, hora statura, sicut
necessarium fuerit, & ordo, atque vsus popos-
cerit, à Sacrista ministrantibus, aliisque Fratribus
his opus habentibus assignentur, quæ expletis
Officiis cuncta subtiliter requisita, denoò susci-
piat reponeoda. Præter hæc, libros quosque
Sacrista sub sui custodia clausos in Armario ha-
beat, & quos io Ecclesia Fratribus in Officiis
necessarios scierit, ipse apponat, ipse denuò &
reponat. Quos verò in Claustro Fratribus no-
B uerit opportunos, ponat in loco statuto, de quo
Fratres quos voluerint libens accipiant, & in quo
post horam eos repooere debeant, à Sacrista item
suscipiendos, & recoodendos. Quicquid ergo
ad libros scribendos seu aptandos, vel reparan-
dos necessarium fuerit, apud se Sacrista habeat,
vt, & qui oon habeutur libri, fieri: & qui ha-
bentur, aptari, seu reparari semper valeant. Stu-
deat prætcrea Sacrista summopere, vt Horas Ca-
nonicas tam in die, quàm in nocte sic discretè
secnodùm vsum, & ordinem, & Prælatorum
arbitrium, pro temporis qualitate, pro diei ce-
lebritate, pro Officij quaotitate significet, vt
omnia oecessaria congruenter fieri valeant. Hic
C etiam Dormitorij illuminandi, Claustri mun-
dandi, & Capituli, & omnia mandatis agendia
oecessaria consecrandi curam habere debebit.
Hæc igitur omnia Sacrista prouideat, & quæ-
que his, vel in his necessaria vsus, vel ordo, aut
maiorum documenta monstrauerint, summa sem-
per industria tempore suo sapienter efficiat. Quæ
cuncta si Sacrista solus portare nequiuerit, adiu-
tores ei Prior dare debebit, per quos eius one-
ra diuisa lauius cuncta portari valeant, & im-
pleri.

De Camerario.

Cap. XXIII.

CAmerarius itaque habeat loca firma clau-
sione muoita, opportuna ostia, & fenestras,
vode his, qui intus, vel foris sunt, oecessaria
ministrentur, habenria: vbi aurum, argentum,
ferrum, æs, omniaque metalla, & voiuersa ou-
mismata vodecunque aduenientia, & cuncta,
quæ fiunt, corporeis officiis interiorum, & ex-
teriorum ex his necessaria fieri, omniaque vasa
manualia, lapidea, fictilia, & lignea, inte-
rioribus item, & exterioribus officiis depu-
randa, plura, & si fieri potest, multiplicia te-
neantur recondita. Omnia igitur horum quæ-
cunque Fratribus ad perageoda sua officia in-
E tus, vel foris necessaria fuerint, omni procul di-
latione, ac murmuratiooe remota, libens Came-
rarius præbeat, vel perpetim, si oporteat quo-
tidianis vsibus relinquenda, vel si necesse oon
est, iterum ad se, expletis operibus, reducenda.
Quæcooque autem de rebus sibi commissis quo-
tidianis vsibus intus, vel foris necessaria fuerint;
sic distribuantur ab eo, vt iam ad ipsorum
custodiam, quibus dantur, pertioeant; quæ
vetustate coosumpta aum noua iterum dantur,
Camerario, si sint vtilia restituaotur, vel repa-
randa, vel ad aliquem vsum habenda, ne de rebus
Ecclesiæ, quod prodesse potest, aliquid pereat.
Quòd si qua fuerint perdita, vel caso fracta, &
non reparata, pro his alia tribuantur, verùm ij,
quorum culpa fracta, aut perdita fuerint, secuo-

dum Prioris iudicium, digna satisfactione pœniteant. Si quid autem in aliqua Obedientia defuerit, ille si habeat, vel habere valeat, aut dato, aut pretio supplere debebit. Camerarius igitur cuncta sibi pertinentia interioribus, & exterioribus officiis necessaria, vel propriis expensis facta, vel pretio cōparata semper habere se studeat; quatenus nullo vnquam tempore cuiusquam occasione necessitatis à sui Ordinis obseruatione, & Diuini cultus seruitio Fratres se subtrahere valeant.

De Cellerario.

Cap. XXIV.

Sint & Cellaria intra Claustri mœnia constituta, Refectorio, Coquinæ, & Pistrino in quantum fieri potest, propinqua, vbi Fratrum cuncta esui, vel potui necessaria sub claue reposita maneant, cum omnibus vasis, & vtensilibus, quæ sunt his reponendis, ac præparandis necessaria. Talis itaque à Prælatis eligatur Cellerarius, qui sit vir prudens, charitate, humilitate, & patientia plenissimus, non auarus, non prodigus, non vinolentus, non edax nimium, non superbus, non tardus, sed moribus honestus, ac Deum timens, vitiis carens, virtutibus hærens iusto nec largior, nec tenacior: qui stipendia Fratrum fideliter seruet, & cura vigilanti dispenset: qui nec verborum asperitate, vel tarditate, nec rei dandæ diminutione, vel dilatione, nec turbidi vultus ostensione, Fratres in administrando conturbet. Omnibus ergo dulcis appareat, & quosque ad se venientes benignè suscipiat, & cuique, prout opus viderit, subministret. Eos verò, quorum necessitati nequit satisfacere, dulcium verborum consolatione studeat refouere. De infirmis etiam sit sibi cura non modica, vt quicquid eis ab illorum Custodibus petitur, si habeat, vel habere valeat, sub festinatione tribuat: & si certa ad hoc persona statuta non fuerit, coquis præcipiat, vt pro velle, & necessitate Infirmantium, & Custodum iussione hoc celeriter, & aptissimè præparent. Coquina ergo, & Pistrinum sibi inuicem sint contigua, & Refectorio propinqua: & cum omnibus vasis, & vtensilibus suis sub Cellerarij custodia deputata. Iniungendum igitur est à Prælatis, Coquis, atque Pistoribus, vt ipsi per omnia Cellerario obediant, & ei de omnibus rebus sibi commissis rationem reddant: à quo etiam quæcunque sibi necessaria exigant, atque accipiant. Cellerarius itaque frequenter eos moneat, & artis suæ officia diligenter edoceat, ipsisque abundanter elaboret ostendere, quàm grauis culpa sit res Ecclesiæ per negligētiam perdere, seu furtim, quod omnium nequissimum est, diripere. Coqui autem peruigili cura omnia, quæ Fratrum esui sunt necessaria, præparent, & ea mundissimè, & accuratissimè peragant pro iussu Cellerarij, & Fratris Hebdomadarij. Cellerarius itaque, cui hæc omnia commissa sunt, vasa, atmenta, seu vtensilia Pistrini, Coquinæ, & Cellarij si perdantur, aut frangantur, seu veterascant, restaurare, & innouare per Camerarium, reparare etiam per seipsum, si potest, studeat. Coqui igitur, & Pistores propria loca Pistrino, & Coquinæ contigua habeant: vbi de officiis suis alterutrum se moueant, & vbi simul manducent, ac maneant, & cuncta ad se pertinentia peragant.

De Refectorio, & Refectorario.

Cap. XXV.

Refectorium quoque, Fratrum deputetur cuidam, qui id ouanter suscipiat, susceptum diligentissima cura custodiat. Fiant ergo, & habeantur in Refectorio, & circa Refectorium omnia quæcunque Fratribus comesturis, vel potaturis pro vsu, & Regulari ordine vestræ conuersationis esse opportuna noscuntur. Quæ omnia, & quibus omnibus necessaria Refectorarius studiosè curare, & diligenter hora congruenti exhibere debebit. Refectorarius itaque summopere studeat, vt nihil in Refectorio indecens, nihilque stomachis Fratrum noxium appareat, sed frequenter mundatum, & decenter præparatum Fratres semper inueniant. Ipse quoque mensas congruenti hora aperiat, & panis, ac vini à Cellerario suscepti debitam mensuram, cęteraque Fratribus in manducando necessaria locis singulorum apponat: & omnia, quæ ibi sunt opportuna, pro vsu, & ordine diligenter faciat. Qui omnia, quæ vel veterascunt, vel casu aliquo perduntur, seu franguntur, à Vesterario, & Camerario innouari, vel restaurari semper exigat; vetera, vel fracta illis cuncta restituat.

De Vesterario.

CAPVT XXVI.

Ordinetur & pręter istos de Fratribus Vestearius, qui super Fratrum vestimentis, & calceamentis, ac lectualibus summam semper diligētiam habeat. Hic itaque intra Claustri mœnia, loca habebit munitione secura, vbi linum, vel lana, panni, pelles, & coria, vestimenta, & calceamenta, nec non & Fratrum lectualia, & quæcunque his aptandis, faciendis, & reparandis sunt necessaria, aliaque his congruentia saluè, & securè teneri, & conseruari valeant. Ad hunc ergo pertineat horum, quamdiu reparari possunt, reparatio, & cum innouanda sunt, omnium innouatio. Hic etiam omnia, quæ abluendis corporibus, vel lauandis, aut tondendis, seu radendis Fratribus, & quæcunque curandis eis in medicinis, vel medicamentis sunt opportuna, si facultas suppetit, apud se habeat, vt Fratres hæc omnia, cum necessarium fuerit, præparata inueniant. Huic Prior vnum, vel plures adiutores, si necesse sit, tribuat, cum quibus vestimenta, & calceamenta Fratrum frequenter excutiat: quique Lectis eorum singulis quibusque diebus coaptandis studeant: quique cum Fratres mutantur, mutatoria colligentes, in Vestiario deportent condenda, hora statuta ad abluendum lauandariis danda, & lota item suscipienda, & in Vestiario recondenda: & tempore mutandi singula singulorum lectis apponenda. Quibus singulis vestimentis singulorum nomina acuali opere inscribere studeat, vt quisque vestes sibi proprias assignatas, non alias suscipiat. His quinque Obedientiis statutis interius, sic ea quæ foris sunt, Prior disponere studeat, vt in nullo Ecclesia suarum rerum patiatur detrimenta: & omnia, quę foris necessaria sunt, congruenter fieri valeant.

De Procuratore rerum exteriorum.

CAPVT XXVII.

STatuatur itaque Vir strenuus ex fidelis Ecclesiæ familia, qui subtiliter, & prudenter omnem Ecclesiæ possessionem in aquis, & paludibus, si habentur, in siluis, pratis, vineis, & terris regat atque prouideat: & si fieri potest, quot sint coloni, vel possessores, & quid quisque quantumque possideat: & quid quisque quantumque, & quando Ecclesiæ reddere debeat, memoriter agnoscat: vel scriptum apud se, ne oblluioni tradatur, habeat: omniaque, quæ super his sunt necessaria, per se, & villicos, ac succursores sciat, & sub consilio Prioris ordinet, atque perficiat. Locationes autem rerum immobilium, Procuratore consultiùs ordinante, consentientibus Fratribus, per Priorem fiunt, si earum Ordinatio justè, & vtiliter facta fuerit. Hic igitur chartulas possessionum in loco munitissimo per aliquem Fratrum, cui Prior iniunxerit, custodias frequenter legat, vel audiat, vt ex his locationes, & redditus possessionum agnoscat, ne obliuionis incuria suarum rerum detrimentum patiatur Ecclesia.

De custodia rerum mobilium.

CAPVT XXVIII.

STatuatur & alius fidelissimus laicus, qui summam curam gerat super omnibus bestiis vsui Fratrum necessariis, & vniuersis armentis, eorumque pastoribus atque nutritiis, vt ipse eis quæcunque sunt iubenda, iubeat, statuenda statuat, requirẽda requirat, & eorum in omnibus custos, & rector prouidus fiat. Postremò quæcunque singulis quibusque armentis, & bestiis fuerint opportuna, iste cura peruigili impleat: & quæque horum custodibus necessaria per se, vel per alios exhibeat. Quicquid igitur de hac, vel de aliis Obedientiis fructuum, vel pretiosum, vel cuiusquam rei Fratrum vsui opportunè excipi, vel haberi contigerit, illis detur seruandum, vel exponendum, ad quorum Obedientias noscitur concedendum. Sic etiam omnia omnibus necessaria ab illis sunt exquirenda, à quibus habentur dispensanda.

De Negotiatore Ecclesiæ.

CAPVT XXIX.

ORdinetur præter istos, & alius Vir fidelissimus, qui per se, vel per alios, & quæ emenda sunt, emat: & quæ vendenda sunt, vendat, Emendorum ergo pretium & Camerarius tribuat, & venditorum idem recipiat. Negotiator ergo Ecclesiæ talis sit, vt nunquam, vel rarò decipi valeat, & studiosè neminem ipse decipiat. Qui nec, vt cariùs vendat, nec vt viliùs emat, ore suō fallaciam proferat, vel iuramentum ab his exigat, aut ipse exhibeat.

De Obedientia Familiarium.

CAPVT XXX.

OMnes itaque Familiares Prælatis suis obediãt, & quæcunque iubentiũ mandata hilariter, ac sine mora, & murmure perficiant. Nullus in Ecclesiastica familia inueniatur inutilis, nullus otiosus, sed omnes operentur, omnes Ecclesiæ vtilitatibus deseruiant, attendentes illud Apostoli: *Qui non laborant, non manducent.* Pueri tamen, & senes infirmi, & debiles non constringantur agere, vel operari, quæ nequeunt. Omnium ergo ætatem, scientiam, & vires Prior præuideat, & singulis singula officia domui necessaria, & illis pro viribus, & scientia competentia diuidat, & super eos, qui prudentiores sunt, Magistros per quos regantur, statuat; & sub quorum cura, iussu, arbitrioque, atque industria, iniuncta sibi Officia cuncta perficiant. Omnia autẽ quæ in vestimentis, calceamentis, & victualibus, quæque Officiorum suorum vsibus sunt necessaria, Magistri eorum prouideant, prouisa inueniant, & inuenta ipsis tribuant. Quæ omnia ab illis inquirant, ad quorum Obedientias illa nouerint pertinere. Hi igitur omnes cum suscipiuntur, prostrati ante Altare, promittant fidelitatem suam illis Sanctorum Pignoribus, obedientiam quoque secundùm Deum Prælatis eiusdem Ecclesiæ. Post hæc a Fratribus pro more suscepti, de cætero pro iussu viuant, & fideliter seruiant.

De Claustro, & de porta Canonicorum custodienda.

CAPVT XXXI.

CLaustrum autem interius tãta semper obseruatione custodiatur, vt nulli vnquam interiorum inde exeundi, sed & nulli exteriorum intrandi in eo, nisi secundùm statutum ordinem facultatem habeat. Si qui tamen fideles, & religiosi, Laici, Clerici ad interiora loca conspicienda, & Fratres visitandos ex deuotione intrare quæsierint, non negamus eos extra horam silentij per Priorem, vel Præpositum intromitti. Qui Fratrum benedictione suscepta, & locis optatis perspectis, vel statim exeant, vel si Prior hoc vtile viderit, in remotiori loco cum ipsis aliquantulum conuocatis prudentioribus, & ab ipsis optatis Fratribus, sedeant: & vbi breuiter eos pro ædificatione animarum, ipse, vel cui ipse iusserit, allocutus fuerit, benedictione item Fratrũ suscepta, deducantur extra, & charitate quidẽ eis necessaria, in hospitali; vel si tales viri sunt, vt sic oporteat, in alio loco ad hoc statuto, exhibita, dimittantur in pace. Aliter autem, nec ipsi Fratribus, nec fratres ipsis in claustro iungi permittantur. Mulieres autem in Officinas Clericorum intrare, nedum stare penitus execramur. Foris ergo domus statuatur à Fratrum Officinis disiuncta, vbi ex charitate eis exhibeatur quod necessarium fuerit. Quòd si eis aliquid à Fratribus dici oporteat, & Prior concesserit, plures simul ad eas accedant, nec soli cum eis loqui præsumant, nisi testes coram affuerint. Claustrum itaq; interius à cõgruentiori parte, &, si fieri potest iuxta Ecclesiam, aditum habeat; iuxta quem fiat locus, in quo aduenientes quasque necessarias, vel iussas personas Canonici permissione Prioris Canonicè alloquantur. Iuxta portam igitur exteriorem, Portarium Prior stare instituat, quatenus nemo extraneus nisi interrogatus, & iussus, intrandi licentiam habeat. Interioris autem ostij custodiam Prior vni Fratrum attribuat, quod ita diligenter custodiat, vt nullus intrandi, vel exeundi licentiã inueniat, nisi quem Prior vel Ordo postulauerit. Hic igitur diebus singulis sero hora Collationis ostio serrato, clauẽ Priori, aut Præposito debitã tribuat: quã prima hora sequẽtis diei, item ab eo tenendam per totum diem suscipiat.

De colligendis Hospitibus, & quibusque Aduenientibus.

CAPVT XXXII.

His itaque interius, exteriusque sic dispositis, studeant, necesse est, Prælati Ecclesiarum præparare aliquod receptaculum parum disiunctum ab Officinis familiarium exterius, vbi hospites, & quique aduenientes honestè, ac decenter suscipiantur: & singulis eorum à Magistro, & Custodibus eiusdem hospitij pro qualitate sua, ac necessitate fidelissimè seruiantur. Ad sustentandam ergo B secundùm loci possibilitatem quorumcunque aduenientium necessitatem, committantur Magistro hospitij cunctorum redituum quarumcunque rerum Ecclesiæ, omniumque eorum, quæ ad victum pertinent decimæ, & cunctarum oblationum, & eleemosynarum partes, in vsus pauperum, & aduenientium, dispensatione fidelissima exponendæ. Sit ergo Custos hospitij Vir boni testimonij, charitatis, discretionis, & virtute prudentiæ plenissimus. Hic ergo quid cuique congruat, in mandocando, in bibendo, in pedibus lauandis, in lectis præparandis, & cæteris necessitatibus exhibendis prouideat, & pro- C
Ioan. 12. uidens exhibeat. Prælatorum autem vigilet industria, ne is, cui hospitium commiserint, res pauperibus erogandas ad vsus suos, vel suorum præsumat expendere: & Iudæ damnationis se participem faciat, qui loculos habens, ea, quæ mittebantur, in vsus suos retorquebat absconditè. Ipse verò cum alijs sibi ad receptum pauperum deputatis expensas proprias secundùm modum cæterorum ex communi suscipiat, ne si de rebus erogandis suas, & sibi seruientium necessitates suppleat, pauperũ & aduenientium opportunitatibus subuenire non valeat.

A Quòd si horum curam neglexerit, & res dispensandas illicitè tractauerit, multò seueriùs cæteris admittentibus, à Priore iudicandus, & ab hoc Officio remouendus; & in loco eius alius est ordinandus, qui hoc sanctè, & perfectè, ac secundùm Deum, iussumque Prioris exhibeat.

Quòd absente Priore, & Præposito, minores Præpositi vices eorum supplere debeant.

CAPVT XXXIII.

B Horum itaque Capitulorum, & totius Ordinis disciplina, & obseruatio, & omnium rerũ intus & foris dispositio, per maiores Prælatos Ecclesiæ fiat. Verùm istis absentibus, minores Præpositi vices eorum supplere, & omnium interiorum, & exteriorum curam habere debebunt.

Quòd ex his ad Maiorum præceptorum obseruationem ascendere, & vitæ perpetuæ gaudia percipere quis valeat.

CAPVT XXXIV.

C Hæc sunt, Fratres charissimi, quæ, sicut petistis, & statuistis, vestro sacro Conuentui, auxiliante Christo, seruanda descripsimus; quæ si cum simplicitate, puritate, & alacritate cordis tenentes sine intermissione seruaueritis, faciliùs ad altiora sanctitatis opera scandere, & Christi cohæredes, ac vitæ perpetuæ participes esse poteritis. Verùm in his, & in omnibus quodcunque Prior secundùm Deum in anima, vel corpore expedire, prodesse, vel nocere vni, vel omnibus perspexerit, concedendi, vel iubendi, auferendi, & quæcunque necessaria dicendi, vel statuendi potestatem habebit.

Explicit Regula Canonicorum.



INCIPIT EPISTOLA PASCHALIS Summæ Sedis Pontificis, in qua hanc Institutionis Canonicæ Regulam suscipit, & confirmat.

PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis Filiis apud Ecclesiam B. Mariæ in Portu Rauennatis Exarchatus regulariter commorantibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Hanc Institutionis Canonicæ Regulam, tam ex Sanctorum Patrum auctoritate conceptam, quàm religiosorum Virorum exemplis, & morum honestate compositam, Nos perspectam Deo auctore suscipimus, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter obseruandam iniungimus; Vt quorum sequi vestigia deuouistis in terris, eorum obtinere consortium possitis in Cælis. Datæ Transtyberim XII. Kal. Ianuarij, Indictione X.

Ego Crescentius Sabinensis Episcopus, Confirmo.
Ego Petrus Portuensis Episcopus, Confirmo.
Ego Cono Prænestinus Episcopus, Confirmo.
Ego Vitalis Albanus Episcopus, Confirmo.
Ego Bonifacius Cardinalis S. Marci, Confirmo.
Ego Deus-dedit Cardinalis S. Laurentij in Damaso, Confirmo.
Ego Desiderius Cardinalis S. Praxedis, Confirmo.
Ego Guido Cardinalis S. Balbinæ, Confirmo.
Ego Petrus Card. Diac. SS. Cosmæ, & Damiani, Confirmo.
Ego Petrus Card. Diac. S. Adriani, Confirmo.
Ego Rosemannus Diacon. Card. S. Gregorij, Confirmo.
Ego Gregorius Card. Diac. S. Angeli, Confirmo.
Ego Ioannes Diac. Card. S. Luciæ, Confirmo.

Et Exultabit lingua mea Iustitiam tuam,
Deus.





INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN OMNIBVS B. PETRI
Damiani operibus continentur.

In quo numerus primus ad paginam remittit : Littera locum signat : Numerus litteræ postpositus secundam columnam notat : Collect. Collectanea : Reg. Pet. de Hon. Regulam Petri de Honestis : Littera vero maiuscula cum subsequenti tomum demonstrat.

A

Anima

C

D

Idola.

L

P

Q

R

B. P. Dam. Oper. f

T.